PETRI ANGELII BARGAEI SYRIAS HOC EST EXPEDITIO ILLA CELEBRRIMA CHRISTIANORUM...

Pietro Angeli, Roberto Titi

PETRI

ANGELII BARGAEI

HISTORICI ET

POETAE REGII

SYRIADOS

LIBRI XII.

Eiusdem argumenta in omnes.



LVTETIAE,

Apud Mamertum Patissonium Typographum Regium, in officina Roberti Stephani.

M. D. LXXXII.

PETRI ANGELII BARGAEI
SYRIAS

HOC EST EXPEDITIO illa celeberrima Christianorum Principum,

QVA HIEROSOLYMA ductu GOFFREDI *Bulionis Lotharingiæ Ducis à Turcarum tyrannide liberata est.*

EIVSDEM VOTIVVM CARMEN IN D. CATHARINAM.



FLORENTIAE,

Apud PHILIPPVM IVNCTAM.
MDXCI.
Cum Licentia, & Priuilegio.


AGIT
ATRA

SANCTISSIMO AC BEATISSIMO D. N. D. XYSTO V. PONT. MAX.

Petrus Angelius Bargæus.

NON omnino inconsultè, ac temere, ut mihi quidem uidetur, Xyste V. Pont. Max. complures mirari solent; quòd, cum toties Christiani principes Turcarum tyrannidem euertere conati sint, aut insignes ipsi clades acceperint, aut vnam aliquam victoriam consecuti, leuiter potius sauciato, quàm grauiter afflicto hoste discesserint; eiq; non solum occasionem ad se reficiendum, uiresq; confirmandas præbuerint, sed animos etiam ad imperij fines latius quotidie propagandos addiderint. Cur enim id uel prudentes etiam homines, & rerum vsu inprimis exercitatos magnopere non commoueat? & in summam admirationem non conijciat? Nam si copiarum robur, & multitudinem; si militum disciplinam, & uirtutem; si ducum, & imperatorum præstantiam consideremus; si causam cum causa conferamus; nihil plane reperiemus, in quo nos illis superiores esse non debeamus. Constant illorum exercitus partim ex Græcis, Macedonibus, Illyricis, Scythis, qui sæuissimæ tyrannidis diuturnitate oppressi, animorum præstantiam, si qua olim in illis fuit, prorsus abiecerunt: partim etiam ex Asiaticis, gentibus ad otium, & seruitutem natis. Nostri ex Italis, Hispaniis, Gallis, Germanis, Pannonijs, Sarmatis, nationibus sine ulla controuersia fortissimis, & rei bellicæ peritissimis. Valent illi equitatu: nostri equitatu, & peditatu: nulla ferè

apud illos arma, quibus corpora teguntur: omnes apud
noſtros acies, omnes turmę loricis, galeis, thoracibus, ocreis
in primis munitæ, atq; inſtructæ, quibus telorum ictus fa-
cillime repellant. quare numquam antea vſu venit, vt Aſia-
tici exercitus ex Europa victores diſceſſerint. contrà, ſi ve
terum memoriam repetamus, & Alexandros, Syllas, Lu-
cullos, Pompeios, Cæſares, Ventidios commemorare veli-
mus, innumerabiles penè triumphos ex Aſia in Europam
reportatos eſſe, & eam gentem noſtris ſemper paruiſſe in-
telligemus; imperaſſe numquam. Immò, ut Græcorum,
& Latinorum annales, atq; hiſtorias omittamus, & ad tem
pora hæc noſtra propius accedamus, nonne paulo ante hāc
ætatem Georgius Caſtriota, qui Scanderbegus eſt appella
tus, ingentes Turcarum copias parua admodum manu ſæ-
piſſimè fudit, fugauitque? itaq; nationem illam attriuit, &
profligauit, ut parum omnino abfuerit, quin ex Europa
funditus eiecerit? Hæc igitur qui ſecum interdū cogitant,
iure illi quidem, ac meritò mirantur, eò rem deductam eſ-
ſe; ut, quos non multò ante veluti mancipia quædam deſpi
ciebamus, eos nunc quaſi quoſdam inuictos hoſtes magno-
pere formidemus; & quod magis dolendum ſit, contrahen
di inter Chriſtianos reges fœderis, & conſtituendæ aduer
ſus immaniſſimas belluas ſocietatis rationem ullam exco-
gitare nequeamus. Cuius ſanè rei cauſam vulgò homines
cum quærunt, principum Chriſtianorum diſcordiam eſſe
ſtatuunt, qua ſit effectum, ut illi cum Africam, atq; Aſiam
occupauerint, tum bonam, magnamq; Europę partem in
ditionē, poteſtatemq; redegerint. Ego, Xyſte V. Pater bea
tiſſime, præterquam quòd id ab omnibus uerè dici fateor,
illud præterea addo, difficillimū ſcilicet fore, vt bellum in
Turcas quibuſuis condicionibus, ac fœderibus à Chriſtia-
nis ſuſceptum felicem exitum nanciſcatur; niſi ipſi prius
ſe emendarint, vitæq; innocentia Deo gratos reddiderint,
ac non imperij propagandi cauſa, ſed amplificandæ Chri-
ſtianæ pietatis gratia, huiuſmodi bellum & ſuſcipi, &
geri oportere conſtituerint. Nam ſi ita fiat, diſcordiarum

omnium quasi radices ipsæ, & semina tollantur necesse est, & Deus etiam ipse, causam sincero animo agi à nostris cum videbit, pios conatus adiuuabit. Etenim, cæterorum principes qui sunt, in Christi Dei hostibus bello persequendis non terrena quædam, atq; humilia, sed cælestia omnia, ac sublimia versare animo, ac spectare in primis debent; sic, ut honestum, & pium, quod est, ex instituto antecedat, vtile ex euentu, atq; occasione consequatur. Id quod quantopere a regibus, atque exercituum ductoribus obseruari oporteat, ut mentem nimirũ in Deum conijciant, omnemq; abijciant priuatæ vtilitatis cogitationem, quoties cum hostibus confligunt, suo ipse exemplo nobis Moses apertissimè ostendit. cuius videlicet copiæ in eo prælio, quod ab illo cum Amaleco commissum est, tum demum hostem in fugam uertebãt, cum ipse manus in cęlum protendebat; fugabantur rursus, ac passim cędebantur, cum easdem ad terram demittebat. Habendus enim ante oculos Deus est ab ijs, qui eius causam se agere profitentur, ac ne paulum quidem cogitationes ab eo amouendæ, neque ad regnandi cupiditatem, pietatis, ac religionis simulatione, traducendæ. id enim cum fit, illud etiam fiat necesse est, ut, qui se fœdere astrinxerunt, non iam communi, sed suæ quique priuatim utilitati inseruiant; & contempta pietatis causa, initam societatem deserant, & dissoluant. atque hoc cum incredibili Reip. Christianæ damno, & ignominia sæpe ante hoc tempus accidisse non ignoramus. Quòd si in id modò incumbatur, vt sublata Mehemetti superstitione, atque impietate, fides Christiana non solùm in eum locum restituatur, ex quo per vim deiecta est, sed etiam latius propagetur, & in externarum gentium mentibus radices agat, dubitari non potest, quin sint omnia felicissimè, atque ex sententia nobis euentura. Hoc autem quàm verum sit, argumento esse potest clades illa insignis, qua Pius V. Pont. Max. Turcas affecit immoderatè iam, atque audacissime exultantes; cum deuicta ac demersa ad Echinadas insulas innumerabili eorum classe, quæ

tum

apud illos arma, quibus corpora teguntur: omnes apud nostros acies, omnes turmę loricis, galeis, thoracibus, ocreis in primis munitæ, atq; instructæ, quibus telorum ictus facillime repellant. quare numquam antea vsu venit, vt Asiatici exercitus ex Europa victores discesserint. contrà, si veterum memoriam repetamus, & Alexandros, Syllas, Lucullos, Pompeios, Cæsares, Ventidios commemorare velimus, innumerabiles penè triumphos ex Asia in Europam reportatos esse, & eam gentem nostris semper paruisse intelligemus; imperasse numquam. Immò, ut Græcorum, & Latinorum annales, atq; historias omittamus, & ad tempora hæc nostra propius accedamus, nonne paulo ante hãc ætatem Georgius Castriota, qui Scanderbegus est appellatus, ingentes Turcarum copias parua admodum manu sæpissimè fudit, fugauitque? itaq; nationem illam attriuit, & profligauit, ut parum omnino abfuerit, quin ex Europa funditus eiecerit? Hæc igitur qui secum interdũ cogitant, iure illi quidem, ac meritò mirantur, eò rem deductam esse; ut, quos non multò ante veluti mancipia quædam despiciebamus, eos nunc quasi quosdam inuictos hostes magnopere formidemus; & quod magis dolendum sit, contrahendi inter Christianos reges fœderis, & constituendæ aduersus immanissimas belluas societatis rationem ullam excogitare nequeamus. Cuius sanè rei causam vulgò homines cum quærunt, principum Christianorum discordiam esse statuunt, qua sit effectum, ut illi cum Africam, atq; Asiam occupauerint, tum bonam, magnamq; Europę partem in ditionẽ, potestatemq; redegerint. Ego, Xyste V. Pater beatissime, præterquam quòd id ab omnibus uerè dici fateor, illud præterea addo, difficillimũ scilicet fore, vt bellum in Turcas quibusuis condicionibus, ac fœderibus à Christianis susceptum felicem exitum nanciscatur; nisi ipsi prius se emendarint, vitæq; innocentia Deo gratos reddiderint, ac non imperij propagandi causa, sed amplificandæ Christianæ pietatis gratia, huiusmodi bellum & suscipi, & geri oportere constituerint. Nam si ita fiat, discordiarum

om-

omnium quasi radices ipsæ, & semina tollantur necesse est, & Deus etiam ipse, causam sincero animo agi à nostris cum videbit, pios conatus adiuuabit. Etenim, cæterorum principes qui sunt, in Christi Dei hostibus bello persequendis non terrena quædam, atq; humilia, sed cælestia omnia, ac sublimia versare animo, ac spectare in primis debent; sic, ut honestum, & pium, quod est, ex instituto antecedat, vtile ex euentu, atq; occasione consequatur. Id quod quantopere a regibus, atque exercituum ductoribus obseruari oporteat, ut mentem nimirũ in Deum conijciant, omnemq; abijciant priuatæ vtilitatis cogitationem, quoties cum hostibus confligunt, suo ipse exemplo nobis Moses apertissimè ostendit. cuius videlicet copiæ in eo prælio, quod ab illo cum Amaleco commissum est, tum demum hostem in fugam uertebãt, cum ipse manus in cęlum protendebat; fugabantur rursus, ac passim cędebantur, cum easdem ad terram demittebat. Habendus enim ante oculos Deus est ab ijs, qui eius causam se agere profitentur, ac ne paulum quidem cogitationes ab eo amouendæ, neque ad regnandi cupiditatem, pietatis, ac religionis simulatione, traducendæ. id enim cum fit, illud etiam fiat necesse est, ut, qui se fœdere astrinxerunt, non iam communi, sed suæ quique priuatim utilitati inseruiant; & contempta pietatis causa, initam societatem deserant, & dissoluant. atque hoc cum incredibili Reip. Christianæ damno, & ignominia sæpe ante hoc tempus accidisse non ignoramus. Quòd si in id modò incumbatur, vt sublata Mehemetti superstitione, atque impietate, fides Christiana non solùm in eum locum restituatur, ex quo per vim deiecta est, sed etiam latius propagetur, & in externarum gentium mentibus radices agat, dubitari non potest, quin sint omnia felicissimè, atque ex sententia nobis euentura. Hoc autem quàm verum sit, argumento esse potest clades illa insignis, qua Pius V. Pont. Max. Turcas affecit immoderatè iam, atque audacissime exultantes; cum deuicta ac demersa ad Echinadas insulas innumerabili eorum classe, quæ

tum

tum quidem ceruicibus imminebat noſtris, ac certiſsimum exitium, fœdiſsimamq; ſeruitutem Italiæ minabatur, re ipſa vir ſanctiſsimus declarauit, victoriã eſſe a Deo pijs precibus potiſsimum impetrandam. Erant enim noſtri & triremium numero inferiores, & metu penè tot antea acceptis cladibus ſic exanimati, ac ſibi prorſus diffidebant; ut ad internecionem, & perniciẽ plerique omnes proficiſci ſe arbitrarentur. & tamen, cum primùm ad manus uentum eſt, quaſi diuino quodam claſsico excitati, magna hoſtes occidione deleuerunt, ut dubitari non poſsit, quin ea victoria ſanctiſsimi Pontificis precibus debeatur. Sed cum hoc docere Chriſtianos principes debet, in bello aduerſus Turcas Chriſti Dei cauſam agi tãtummodo oportere, non item ſuam; tum verò idem apertiſsimè demonſtrauit exercitus ille in expeditionẽ eductus auctore Vrbano II. Pont. Max. & è Gallis potiſsimum, atque Italis ad liberandám à Saracenorum, Turcarumq; ſeruitute Hieroſolymam collectus. cum quidem, non de augenda ſingulorum principũ potentia, nouiſq; regnis conquirendis, ſed de Palæſtina, Syriaq; in priſtinum ſtatum, libertatemq; reſtituenda, & ad Chriſtum Deum reuocanda actum eſt. vt mirum nõ ſit, ſi poſtea intra tres annos noſtrorum virtute bellum illud cõfectum fuerit: quod plerique ſanctum à ſumma pietate, & ſanctimonia, qua ſuſceptum, ac geſtum eſt; plerique etiã heroicum ab animorum, & rerum actarum magnitudine appellauerunt. Tale enim, tãtumq; fuit, ut nullum omnino aliud fuiſſe conſtet, quod cum eo comparari debeat; & ex quo clarius intelligi poſsit, nihil à Chriſtianis principibus non ſperandum, ſi modò ipſi nõ ſuam (quod iam ſæpè dicimus) ſed Chriſti cauſam agendã ſuſcipiant. Atque hoc me, Beatiſsime Pater, cum ſuperioribus annis Ferdinandus Medices, herus meus, quem honoris, & obſeruantiæ gratia nomino, in illuſtri clariſsimorum, ac doctiſsimorum virorum frequentia, qui ad eum ſalutandũ ex inſtituto quaſi quodam quotidie conueniunt, & ab illo tum admodum hilarè, tum valdè copioſè accepti inter epulas, vt fit, de grauiſsimis rebus

bus

bus vel ad agendum, vel ad contemplandum pertinentibus colloquuntur, cum me, inquam, semel, atque iterum hoc affirmantē, ac de tota re subtilius disputantem audiuisset, proq; ea animi magnitudine, & in Christianam Remp. pietate, qua præditus est, incredibili, principum, ac populorū omnium animos ad præclarè aliquid audendum, moliendumq; accendi magnopere cuperet, etiam atque etiam hortatus est, ut, quod olim de huiusmodi bello Syriaco poema inchoaueram, absoluere pergerem: quòd futurum non desperaret, cum vulgò ab hominibus legeretur, quanta erga Deum pietate, quantaq; inter se concordia principes illi ad liberandam Hierosolymam conspirassent, quin nostrorum mentes ad aliquod huiusmodi præclarū facinus aggrediendum, Christoq; vni inseruiendum inflāmarentur. Magnas enim, vel mirabiles potius vires habet poesis ad impellendas mentes ad honestè, fortiterq; agendum. Nam cum principes describat tales, quales eos esse oportet, excitatur paulatim in omnibus ad eamdem gloriam, idemq; decus consequendum animus. quare præstantissimum illum Imperatorem, & gloriæ cupiditate penè flagrantem Alexandrum Macedonem cognomento Magnum Homeri lectione mirabiliter delectatum fuisse scimus: & Lacedæmonios ad pugnam intrepidè cum hoste committendam Tyrtæi poetæ carminibus excitari consueuisse legimus. Nec mirum sanè, quando à natura omnes ferè animantes ita factæ sunt, ut cantu, & musica in primis capiantur: qua quidem in re, ut omittam cunctarum gentium, & nationum consensum, gratiæ certè cū à Mose, ac Dauide, cæterisq; sanctissimis viris, qui diuino spiritu afflati futura prædicebant, & ab ipsa sanctissima Virgine Iesv Seruatoris nostri matre apud Elisabethā Deo optimo maximo canendo actæ, laudesq; musicis numeris comprehensæ, tum hymnus à turba Christum ipsum cum acclamatione prosequente dictus, ostendunt, poeticam non solùm hominibus, sed ipsi etiam Deo gratissimā esse, modò ea non ad inanem quamdam, & Christiano homine planè indignam voluptatem, sed ad virtutem, & pietatem

tatem tota comparetur. Atque ego ſanè iam inde à principio diligenter operam dedi, id vt vnũ præcipuè in hoc poemate meo perpetuum eſſet. caui enim accuratè, ne quid in eo legeretur, quod ad vnius Chriſti Dei gloriam non referretur. Id autem quàm feliciter ſim cõſecutus, alij exiſtimabunt. Ego certè illud, quicquid eſt, Sanctitatis tuæ iudiciũ ſubire, & eiuſdem nomine quaſi munitum duabus potiſsimum de cauſis exire in vulgus volui: primùm, ut Henricus Francorũ & Polonorum Rex Chriſtianiſsimus, & ad quem vnũ hoc ipſum opus magnopere pertinet, non modo tam pij, tamq; præclari facti commemoratione, ſed auctoritatis etiam tuæ pondere vel in primis cõmotus, ſe ſuosq; omnes ad auitam laudẽ excitari planè intelligat. quando eius inuictiſsimę nationis arma, & virtutem Turcæ incredibiliter pertimeſcunt; ipſamq; vnam ad illud imperium euertendũ natam eſſe cum ipſi per ſe credunt, tum veterum ſuorum oraculis, ac prædictionibus admonentur: quæ quotieſcumque aut recordantur, aut in eam mentionem incidunt, lugubri lamentatione & fletu imperij calamitatem & ruinã ſui non aliter deplorant & conqueruntur, ac ſi in re pręſenti verſarentur: deinde vt tu quoque, Beatiſsime Pater, ad grãde aliquod incœptum inuitari te, atque adeò currentẽ impelli ſentires. Nemo enim eſt, qui cũ primùm admirabili illo Cardinaliũ omnium conſenſu ad Pontificatũ euectus es, feliciſsima omnia Chriſtianis rebus ominatus non ſit? quando à tua tanta virtute, conſtantia, pietate nihil nõ magnũ ſperari oportere, cuncti arbitrantur, & ſtatuunt. Quod autẽ meum eſt, Pater Beatiſs. præterquàm quòd Deũ humillimè, atq; aſsiduè precari non deſinã, vt & Sanctitatem tuã diutiſsimè ſeruet incolumem, & eas vires tibi ſuppeditet, quibus ipſius hoſtes omnes profligati, aut meliorem mentẽ induãt, aut funditus deleantur; quantũ etiam ingenio, atq; induſtria conſequi potero, dabo operã, atq; enitar, nulla vt ætas de ſummis, ac diuinis laudibus tuis vnquam conticeſcat. Vale.

AD HENRICVM III, GALLIAE ET POLONIAE Regem Christianissimum.

SI VACAT egregias laudes audire tuorum
Claraque facta patrum: si paulum ingentia regni
Pondera, quae magnis onerant tua pectora curis,
Ponere humi, facilesque potes dare versibus aures,
Accipe perpetuus nostro quae nuper ab ore
In Gallos expreßit amor, Rex maxime Regum,
Vel pietas ingens potius, dulcisque cupido
Clarandi facinus: quo nullum maius in orbe
Terrarum audiuit quisquam, bella horrida postquam
Coepere, & victo peperere ex hoste triumphos.
Namque, vt non desint, merito quae maxima dicas,
Quaeque animo mirere tuo, cum facta Quiritum,
Pellaeiue ducis Graium celeberrima chartis,
Aut portenta legis, quae confinxere Poetae:
Multa tamen, si non risu dignißima, certe
Talia, quae fieri nunquam potuisse rearis,
Inuenies. quid enim credas, dum magnus Homerus

Flumine cum Xantho luctantem ſcribit Achillem?
Aut Veneris ſaeua violatam cuſpide dextram?
Eque acie accepto cedentem vulnere Martem?
Cyclopiue oculum terebrantem ſtipite Vlyſſem?
Seque ſub extremo dum colligit ariete tectus
Velleribus denſis, dias in luminis oras
Subducentem antro? & ſociorum caede trementem,
Vitantemque manus diri paſtoris & iram?
Aut inter fluctus, ventorum interque procellas,
Nauigio amiſſo, pendentem e vertice ſaxi;
Ereptumque alta caprifico ex ore Charybdis?
Vel cum monſtra canit rerum ſpecioſa nouarum,
Scyllamque & Circen, Laeſtrygonas, Antiphatemque:
Inque feras verſos ſocios, canibuſque marinis
Abſumptos, Ithacus quos ſecum auexerat Heros?
Mira quidem; facili ſed tantum credita vulgo:
Non illis, quorum munit ſapientia pectus,
Et rerum multarum animus percalluit vſu.
Ilium enim lento tandem cecidiſſe duello
Euerſum, atque armis direptum, ignique crematum
Argolico, in cineres atramque abiiſſe fauillam,
Quid mirum? non longe aberant Lacedaemone Troum
Pergama, Ledaeaeque Helenes inuiſus adulter
E patrio Graium ſpectabat littore littus.
Cumque his ſuppeteret cunctarum copia rerum,
Se tamen in decimum victoria diſtulit annum.
Quod ſi quis Peliae duriſsima iuſſa tyranni
Obiiciat, iuueneſque auſos irrumpere pontum
Cyaneas inter cautes, dum fluctibus actae
Altera in alterius frontem concurrit, & imas
Suſcitat in caelum pelago exundante procellas:
Incolumis tamen vnde audax euaſerit Argo,

Alitis

Alitis emiſſae celerem ſectata volatum,
Ignotaſque vias, ignotaque littora curſu
Emenſa, AEetae fuerit populata penates,
Et ſecum in luco ſuſpenſum auexerit aurum,
Cumque auro forma inſignem atque aetate puellam,
Perdomitis primum tauris, quibus ora, pedeſque
AEre eniderent, quique atros naribus ignes
Spirarent: turbaque ſatis e dentibus orta
Quae ſibi conſcierit per mutua vulnera mortem:
Ingenium ipſe equidem docti mirabor, & artem
Scriptoris: qui pertenuem rem, perque puſillam
Tantopere inuentis ornauerit vndique monſtris.
 Namque haec ſi quis erit qui ſecum expendere pergat,
Non modo reppererit veterum mendacia vatum
Eſſe, ſed efficitas per vana poemata nugas
Vela latrociniјs: furtis obtendere noctem:
Flagitijs nebulas offundere turpibus atras.
Cum quaecumque animi gerimus virtute, manuſque,
Cuncta reformident vani figmenta Poetae:
Ne forte occumbant mox vna oppreſſa ruina,
Dum cupiunt vero longe maiora videri.
Vt facie virgo ingenua, cui concolor oſtro
Succus, & Alpina mixtus niue, vitat & horret
Pigmenta, & fucos, natiuum abolere colorem
Qui poßint, cultu illa ſuo contenta decenti.
 Adde, ſuperuacuis quod ſiqua ornatibus vti
Cogitur; haec formam deformem abſcondat; oportet:
Queis deinde amißis, dulces mouet orba cachinnos.
Ceu, cum forte ſibi grandes dempſere cothurnos,
Subſediſſe humiles vulgo ridemus Iberas;
Quas modo credidimus quaſi quaſdam a ſtirpe gigãtum
Procero magnas incedere corporis auctu,

Cum ſint ancillae ſimiles, quae paruula veſtem
Pone regit, ne tracta ſolum per compita verrat.
Ergo nec Graij, nec noſtri habuere Latini
Dignum argumentum, quod mirarentur, & vnum
Sincerae tanquam ſimulacrum oſtendere poſſent
Virtutis, niſi figmentis, & anilibus omnia
Fabellis nuper variarent ſcripta repertis,
Et vani in vanas conferrent ſomnia chartas.
Tu ne igitur res Heroum, & benefacta canentem
Ornatu ſpolias omni? nihil ipſe relinquis,
Vnde argumentum diti ſe vellere Serum
Induat? & multis quaſi picta coloribus Iris
In ſe oculos hominum paßim conuertat, & ora?
Immo ego, quae veteres ſcripſere poemata docti,
Non vnquam laudata ſatis fateorque, voloque
Tanquam propoſitum cunctis exemplar haberi
Scribendi recte: vel tu verba ipſa, vel artem
Inſpicias, certoſque velis ediſcere mores.
Sed ſi detractis eadem ſe nuda videri
Fabellis, nugiſque ſuis patiantur amentque,
Illa equidem vix apta legi, vix digna putabo,
Quae quiſquam miretur, & auribus audiat aequis.
At bellum, confiſa ſuis quod viribus olim
Intulit Abdaridum populis, Aſiamque nefando,
Ipſam Aſiam, caeſis hominum tot millibus, vna
Seruitio exemit fortißima Gallia, quiſnam
Pro rerum euentu ſatis admirabitur vnquam?
Primum etenim exſuperās Alpes, Scythiāque niualem,
Fluminaque, & varios non vno nomine tractus
Europae, genteſque adiens feritate tremendas,
Extremi ad fines ſe contulit Helleſponti.
Mox Aſia in media Turcas aggreſſa feroces,

Anno-

Annorumque trium ſpatio, tot caſtra, tot arces,
Oppida tot munita loco, tot fortia cepit
Regna manu, quot vix olim cepere Quirites
Poſt ter ſepteni quinquennia condita luſtri.
Et gens illa tamen ſumptis metuenda pharetris,
Et victis conſueta nouas imponere leges,
Oppreſſos ſtabili populos ditione tenebat.
Atque haec ipſa quidẽ iam magna eſt gloria, magnus
Gentis honos: procul a patria regione profectam
Eieciſſe ſuis diros e ſedibus hoſtes.
Verum alios feciſſe eadem non legimus? eſto.
Quid? quod non vllis odijs, non exijt vlla
Acta lue, non pulſa metu, belliue coacta
Externis, noua tecta ſibi quaeſiuit, agrôſque?
Quid? quod Chriſticolum pro libertate reliquit
Foecundos patriae campos, caelumque ſalubre?
Regnataſque ſuis etiam tum legibus vrbes?
O pietatem animi memorandam, o nobile factum,
O decus, o nullis felix legionibus auſum,
Praeter eas, quas ipſa volens tum Gallia miſit
Ex ſe delectas, bellumque capeſſere iuſſit,
Quo neque nos maius, neque poſtera perleget aetas.
Salue magna Ducum mater, ſalue inclyta tellus
Virtutis verae cultrix; tibi debita tantae
(Tu modo laeta faue) perſoluere praemia palmae
Ingredior, tenebriſque tuos Heroas ab atris
Eruere, & ſaeclis memores mandare futuris.
Illa aderit pubes, felix genus; illa canenti
Non figmenta quidem, non & mendacia, quae nos
Vel legiſſe ſemel pudeat, pigeatque; ſed vltro
Suggeret ex ſeſe vera ornamenta, dabitque
Ipſa aliquid ſemper, quod tu mirere, probeſque,

Et laetere tuos tantis Heroibus ortos
Illuſtres proceres; quorum pulcherrimus ordo
Immortale decus laudum putat eſſe ſuarum
Imperio parere tuo, Rex maxime Regum.

AD SERENISS. ET CHRISTIANISS. CATHARINAM MEDICEM HENRICI III. Gall. & Pol. Regis Christianiss. matrem.

O ET Tuscorum proles certissima Regum,
Et claro e Morinum sanguine nata Ducũ,
Quam quondam aethereas in luminis edidit oras
LAVRVS ab Hetruscis nobile germen auis:
Vt, Regum mater, regeres foecunda potentum,
Quos placida populos Sequana lambit aqua;
Et duris animum in rebus testata referres
Inuictum, & puram cum pietate fidem:
Hic MEDICES Regina, tuos, decora alta, parentes,
Ac possessa illis Attica regna leges:
Tum quaesita pie mirabere solis ad ortum
Imperia, & forti bella peracta manu:
Bella, quibus paria vlla vsquam non viderit aetas,
Siue ea praeterijt, siue futura venit:
Vt qui te hinc atque hinc Heroum a stirpe profectam
Norit, & Heroas mox peperisse nouos,
Idem optet parere tibi Regna omnia, & omni
Spectari terrae nil nisi in orbe tuum.

P. ANGELIVS BARGAEVS.

NICOLAI AVDEBERTI GERMANI AVDEB. F. IN PETRI ANGELII BARGAEI vatis excellentiss. diuinam Syriada,

Ad Lectorem carmen.

QVAE legis hic, ne forte putes mortalia facta
Scriptaque: caelestis sunt vtraque iussa parentis:
Inspirauit enim mentes, & fortia fulsit
Robore corda Ducum, peditumque, equitumque secũdis
Euentis dedit, & meritae praeconia famae.
Scilicet ANGELIVS diuino percitus oestro,
Angelius, nuper velut aethere lapsus ab alto;
Hesperijs sed iam populis, & notus Eois,
Gentibus & notus sub vtroque iacentibus axe,
Excepit dictata Dei spirantis ab ore
Carmina, & Heroum celebrauit nomina, longa
(Ingratos veteres) caliginis obruta nocte;
Qui pia pro Christi gesserunt nomine bella;
Quique adeo in Syrijs ceciderunt fortiter oris;
Virtutemque suam signarunt sanguine fuso,
Infernas clara fugientes morte tenebras;
Tantum immissa potest vis relligionis, & ardor.
Supremi sic consilio Genitoris vtrumque
Fluxit opus caelo, decus immortale piorum:
Qui nunc cum puris radiant puri ignibus ignes,
Non ideo dubites haec facta, haec scripta futura
Aeterna, aeterno cum sint a Patre profecta.
Materies est diuina, est diuinus & Auctor.

AD CHRISTIANISs. FRANCIAE ET POLONIAE REGEM HENRICVM III,

IN P. ANGELII BARGAEI SANCTISSIMVM SYRIADOS OPVS,

GERMANI AVDEBERTI Aurelij Carmen.

QVIS *nouus insolito mulcet praecordia plectro,*
Antiquosque omnes delet de pectore cantus?
En Graia Iliade, & Romana AEneide maius
Surgit opus, Regum Rex maxime, Sarmata prudens
Quem procul externis Regem sibi legit ab oris,
Quem Galli haeredem sceptri venerantur auiti,
En multo tibi maius opus, me iudice, surgit.
Ilias, AEneisque canunt ficta omnia; quae si
Vera etiam credas, sunt certe humana: sed ingens
Mēte Deum ANGELIVS *summo est demissus Olympo,*
Celtarum vera vt caneret, diuinaque facta
Magnanimis Ducibus Syrio patrata sub axe.
Quae sic viuaci sacrat immortalia famae,
Vt meritos celso faciat succedere caelo
Maiores cum laude tuos longo ordine Reges,
Inuictosque Duces, caelestis fulmina belli.
Qui pia per Solymas gentes vexilla tulere,
Regnaque victores terris posuere repostis:
Aut alacres caro Christi pro nomine dulces
Profudere animas aeternae lucis amore.
O decore illustres, o terque quaterque beatas
Sublimes animas, sacri quas excita Martis

Buccina tam celebris per ſecula nulla tacebit,
Viuite perpetuum rediuiuae morte ſuperba;
Veſtra Palaeſtinis conduntur corpora campis;
Stellanti caelata polo ſed nomina fulgent.
Quae totum ANGELIVS *celebrat diffuſa per orbem*
Ille, ille Angelius Mediceae gentis alumnus,
Inſigniſque cliens, Medicum flos cultus in hortis,
Hortis iampridem ſophiaeque, ſophiſque ſacratis.
Quem tua Diua parens ritum ſeruatque colitque,
Praeſtanteſque viros ſtudio complectitur omni.
Hoc gentilitium eſt, propriumque illique tibique,
Siue ab Auo, ſiue a materna ſtirpe profectum.
Nec tua gentili virtus concedere laudi
Suſtinet; at proauos omnes poſt terga relinquens,
Vtriuſque domus antiquos vincis honores.
Ne tibi ne graue ſit pretioſum euoluere munus
HENRICE *Aonidum pater & tutela ſororum:*
Hic quantum humanis caeleſtia, veraque fictis
Excellunt, tantum Graio, Latioque poetae
Et ſenſu & rebus BARGAEVM *excellere noſces:*
Nec fruſtra vatem prima praetendere fronte
Auguſtum HENRICI *nomen, fruſtraque poema*
Auſpicijs voluiſſe tuis exire ſub auras.
Nam praeclara leges proauorum facta tuorum,
Ingenteſque tuae gaudens miraberis actus
Gentis, & accenſos deuoti pectoris aeſtus;
Conſilium, bellique artes, infracta duellis
Corda Ducum, Chriſtoque inuictas praeſide turmas.
Quae vates collecta in te quum cerneret vno
Singula, & in pulchro ſplendentes corpore priſcas
Heroum dotes; quarum tu non minus haeres
Quam regni, & generis. namque illas tota fatetur
Non modo te meritis Europa aequare, ſed olim
Immenſo ſpatio praecurrere fortibus auſis,
Innumeriſque pia pro Relligione trophaeis:
Non alium reperit ſua cui monumenta ſacraret

Aptius

Aptius, & digna decoraret laude merentem.
In quem vnum fixere omnes sua lumina, sub quo
Aurea felices spectabunt secula Galli.
Nec tibi tu deeris, talis quem cura remordet
Noctes atque dies. en accipe fronte serena
Oblatum munus, Rex optime. regia vere
Bargaeus tibi dona dicat; nil proelia praeter,
Heroas, Regesque canens, gentesque subactas,
Et penitus caesas victrici Marte cohortes:
A teneris (mirum) tibi propria munia cunis.
Ergo, idem victorque & Rex, HENRICE, *poetam,*
Donaque regali, tibi sacra, tuere fauore.

IN PRIMVM LIBRVM
SYRIADOS ARGVMENTVM.

VLTVRVS *Solymam Deus omnipotentis Olympi*
Militia ex alta fidum iubet ire ministrum,
Qui peregrinantem Belgam exhortetur ad arma.
Ille autem Italiae cursu defertur ad oras
Recto, & Iapygiae celebrem peruenit ad vrbem.
Nicoleo templum ingreditur: quo forte sacerdos
Sacra die castus diuo faciebat Alethes.
Cui sese totum patriam nomenque roganti
Belga aperit, narratque vnde, & quid venerit. ille
Respondet, coeptum esse ingens, sed inutile; quando
Vexat Iapygiae dominos discordia fratres.
Aduenit interea victor Boemundus; & aedem
Laetus adit: moxque inter se peragenda locuti,
Prandent. Minturnus cantat facta inclyta Mosis.

In II. Librum Syriados argumentum.

VADIT *ad Aruernos Belga, & legatus Iapyx,*
Pontificemque adeunt, mandata exponit Alethes
Concilio in medio: Patremque hortatur & vrget,
Cogat in arma duces, & certo foedere Reges.
Inter se stabiles iungat: qui bella capessant

In Turcas, Asiaeque iugum Solymaeque nefandum
Infringant: vires Regis promittit opesque
Ipse sui tam iusta omnes fore ad arma paratas.
Afflictos Pater Vrbanus miseratur, & vna
Dicendo inflammat cunctos ad praelia Gallos.
Quorum adeo proceres certatim nomina sacrae
Dant sua militiae: concurritur vndique. Belga
Primus abit: matresque piae, nuptaeque queruntur
Dum celerant iter Heroes, & signa reuellunt.

In III. Librum Syriados argumentum.

AVDITA *belli fama Rex Daunius ad se*
Aduocat Italiae pubem, atque hortatur ad arma.
Mox superum propere conscensis nauibus aequor
Certus adit certo Taulantia littora cursu.
Interea Aligeris, qui iussi humana tuentur
Patrem apud aeternum, tantis de rebus habetur
Concilium: diraque suos ab sede ministros
Lucifer excitos ad praedam accendit opimam.
Casibus at varijs Heroum exercita pubes
Per glacies, perque acta niues peruenit ad Istrum:
Criminaque & caedes audit non laeta suorum.
Mox celerem approperans pacata per oppida gressum,
Moenia ad ostriferi sedit Byzantia Ponti,
Galli vbi & Ausonij laeta se voce salutant.

In IIII. Librum Syriados argumentum.

LVCIFER *inuidiae flagris praecordia Graium*
Inflammat, Thracemque acuit per somnia Regem,
Vt fraude aggressus Gallos euertat, & ad se
Auocet imperij sibi debita iura Quiritum.
Ergo ille exortas lites componit, & vltro
Excipit hospitio Heroes, blandasque per artes
Detinet, & veteri monstrat loca cognita fama,
Et fallax promittit opes, rerumque peritum
Ductorem: sed qui tantis incommoda caeptis
Afferat, & nostros in saeua pericula ducat.
Nuntius interea Gallorum perculit aures
Germanorum acies crudeli caede peremptas.
Approperant igitur Ponti transmittere fauces,
Inque Asiam euecti peditesque equitesque recensent.

In V. Librum Syriados argumentum.

PROCEDVNT *proceres vna, camposque feraces*
Ingressi cingunt densis turrita cateruis
Moenia Nicaeae, describitur ambitus vrbis,
Ascaniusque lacus: Solymani exercitus ingens.

Exploratores missi capiuntur: & hostem
Occultum obscuris referunt insistere siluis.
Mixque adeo multis equitum cum millibus ipse
Saeuus adest, magnisque suos hortatibus implet:
Atque Tolosates, qua parte vrbs vergit ad Austrum,
Aggreditur properans: concurritur vndique vastis
Viribus, & media multi sternuntur arena
Vtrinque: accepta Turcae sed clade fuguntur;
Et victi in siluas atque auia lustra recedunt.
Fama Tolosatem ductorem ad sidera perfert.

In VI. Librum.

ARCTIVS *obuallant vrbis circum vndique muros*
Heroes, multoque lacum custode tuentur,
Et Turcis aditum prohibent: committitur ergo
Pugna atrox, fusoque palus a sanguine crescit,
Et tandem Abdaridum classis demergitur vndis.
Legati ad ciues rursus mittuntur: at vxor
Regia saeuit inops animi, populumque labantem
Increpat, & duros suadet tolerare labores.
Interea summae turris compage soluta
Obruitur, magnaque cadit confracta ruina
Machina, & inclusos pedites elidit, equosque.
Altera sed propior muris admota supremas
Deuoluit pinnas, & turrem funditus actam
Euertens, nostris aperit cum moenibus vrbem.

In VII. Librum.

AT *proceres Turcis sese dedentibus vltro*
Ignoscunt, prohibentque iras atque arma suorum.
Inde iter ingressi dirimunt (sic Graius agendum
Dixerat, vt Gallis cunctarum copia rerum
Afflueret maior) vires, atque agmina seorsum.
Ergo ita compositis superaduenit hostis, & vna
Millia multa virum, campoque aggressus iniquo
Ausonios, ter terga retro conuertit, equosque,
Ter caelum emissis compleuit turba sagittis.
Ac nisi Tullingus procerum comitante caterua,
Ferret opem, validaque manu succurreret ollis,
Vltimus ille dies Italis, Regique fuisset.
Discedunt hostes magno certamine victi;
Castraque plena auri nostris populanda relinquunt.

In VIII. Librum.

CONSISTVNT *proceres; defunctaque corpora vita*
Lectorum iuuenum lacrymis, & honore sepulchri
Condecorant, seseque ipsos, & vulnera curant.

Quos pius Addemarus verbis solatur amicis.
Ergo illi vnanimes peragunt iter agmine facto.
Et simul aerij transcendunt inuia Tauri
Vna omnes inopes animi & rerum omnium egeni.
Quorum alij, sese magna iam parte suorum
Desertos: alij, peregre venisse queruntur
Finibus a patrijs, quos tum remeare volentes
Castigat dux Tullingus, subigitque morantes
Ire viam: sed consilio Boemundus & arte
Vsus abit, primusque Italos trans ardua montis
Ducit: & ad rapidum primus se sistit Orontem.

In VIIII. Librum.

CASTRA *locant proceres ad cinctam duplice muro*
Antiocheiam vrbem, & pontem quo iungitur amnis,
Expugnant, multique cadunt certamine in ipso
Abdaridae. quos Sensadolus, fortissima Regis
Assani soboles, procul ipso a ponte fugatos
Increpat: atque Italis obuertere pectora cogit.
Inde iterum nostris magna virtute repulsis
Occupat ingressum, & iubet interrumpere pontem
A tergo: inque imum praeceps mox desilit amnem;
Et ripae incolumis tela inter iacta propinquat.
Confertam interea transmisso flumine Galli
Inuadunt Turcarum aciem: quae protinus atro
Acta metu ruit ad portas; seque ilicet intro
Praecipitat. caedit multos ibi Daunius Heros.

In X. Librum.

LVCIFER *Aligeros dirorum ab sede nigrantum*
Euocat (haec illi primum permissa potestas)
Et lites serit in populos, & castra piorum.
Grassatur passim in miseros pestisque, famesque,
Iniussique abeunt multi, sociosque relinquunt.
Hortatur pater Addemarus perferre labores
Hortanturque duces. noctu Bachmanus, & acer
Sansadolus fratres castra inuasere, piosque
Innumeros misere neci: quos clara coegit
Heroum virtus fusos conuertere terga:
Dumque adeo fugiunt, fratres cecidere perempti.
At Robertiades perculsos pone secutus,
Praeuertitque fugam, portamque a cardine vellit.
Ingressi Heroes passim omnia caedibus explent.

In XI. Librum.

ASSANVS *prole amissa, spoliatus & vrbe,*
Inde fugit raptim paucis comitantibus, & se

Proripit in Persas, cui millia multa virorum
Corbana Rex, tanti casum miseratus amici,
Adiungit, magnisque vna mox viribus vrbem
Amissam repetunt: nostri quam peste fameque
Absumpti, & numero exigui, dimittere, seque
Commendare fugae statuunt. verum inclyta virtus
Heroum obsistit. mox & tellure sub ima
Defossam inueniunt hastam; qua pectus apertum
In cruce pendenti CHRISTO *fuit. ilicet illam*
Ante ferens pius Addemarus educit in hostem
Armatas acies: quas millia multa tuentur
Caelestum Aligerum. fit pugna; & funditur hostis.

In XII. Librum.

NVNTIVS *interea caelesti ex ordine custos*
Turcarum infidis custodem exuscitat Afris
Appositum. ille Arabum vires, atque arma potentum
Cogit opem properans Solymorum afferre tyrannis.
At Galli, amissis multorum millibus, vrbe
Discedunt, noto Antiochi de nomine dicta.
Dumque iter inceptum properant Heroes, & altam
Aspiciunt Solymam, genibus cuncta agmina flexis
Procumbunt, Solymamque omnes vno ore salutant.
Mox propius muros iterumque iterumque repellunt
In pugnam egressos Turcas. hic perculit aures
Nuntius aduenieus Gallos in Perside caesos
Exceptosque Duces: ad quos fortissimus Heros
Auxilium laturus abit Tullingus, opemque.

In XIII. Librum.

CASTRA *locant, magnaque vrbem obsidione coronant*
Heroes, caeptumque vrgent: exercitus altos
Arietat in muros, duri quos vndique Turcae
Defendunt, populumque parant delere piorum.
Interea adueniunt Arabes, Libycaeque cohortes
Innumerae, & complent fulgentibus omnia signis.
Christicolum trepidant acies, pugnaeque futurae
Apparat Heroum virtus interrita sese.
Congressi aufugiunt nostri, castrisque tuentur
Spes reliquas; & nullus abit dux vulneris expers.
Tullingus redit accitus. is, milite septus,
Aggreditur Libycos: ductorem interficit: omnes
Inde fugat caede ingenti: tum denique muro
Exciso, ingreditur victor exercitus vrbem.

AD PHILIPPVM DESPORTES.

DESPORTES, cuius doctae facundia linguae,
Pectoraque Odrysia candidiora niue,
Deuincire animũ Regis potuere potẽtis,
Dum fauet ingenij dotibus ille tui:
Si mihi praeteritos aliquot Deus addat ad annos,
Arbitrio cuius ſtat properatque dies,
Poſteritas mirata leget, quo vindice Orontes
Eripuit turpi ſubdita colla iugo.
Gratum opus Heroum virtuti & fortibus auſis,
Quos tulit ad tantum Gallia terra decus.
Cui tu aditum ad Regem cum iam pateſeceris, ipſe
Eiectum ne abeat, qua pote nitar ope.
Quãquam quid dubitem? nam qui vel pace vel armis,
Inque Deum mira eſt Rex pietate potens,
Acta libens releget patrum pia, & auſa ſuorum,
Queis plauſiſſe ingens pars pietatis erit.
Tu vero interea vatem complectere vates,
Quod facis, & factum fac tueare tuum.

P. A. BARGAEVS.

IACOBI TORELLI V. CL. AD P. A. BARGAEVM Epigramma.

ROMAE olim quod Conſul erat, Carthagine Suffes,
Hoc Medix Oſcis, gens ea Thuſca fuit.
Medice ab hoc, clara eſt MEDICAEAE ſtirpis origo:
ANGELII & veterum ceu monimenta canunt.
Thuſca aluit vatem BARGE: demiſit OLympus
Condere Principibus carmina digna ſuis.
Thuſcia gaude vni magnos Heroas ab alto,
Praeconeſque pares fata dediſſe tibi.

P. ANGELIVS BARGAEVS LECTORI S.

SCRIPSERAM abhinc fermè triginta annos libros de Venatione, eosque apud me in custodia quasi quadam tantisper habere statueram, donec digni videri possent, qui à doctis viris legerentur. Sed cum ab amicis, & familiaribus meis me insciente descripti essent, & ad manus etiam exterorum peruenissent, placuit, vt quales quales tum erant, primo quoq; tempore in lucem à me potius ederentur, quam laceri, & mendarum pleni pasim in hominum manibus versarentur. Excusi igitur primùm Lugduni sunt à Sebastiano Gryphio; ac septem annis post Florētiæ à Iunctis aliquanto emendatiores, non ita tamen vt perpur-

gati, atq; omni cura perpoliti dici possent. Romæ postremo editi sunt: ac ne tum quidem ab omnibus planè maculis liberi. etenim cum me sæpe magnis articulorum, atque interdum laterum doloribus laborante, & alijs cum morbis misere colluctante excuderentur, accidit, vt eorum negligentia, qui castigandis ijs, quæ imprimuntur, præfici solent, nonnulla errata illic prætermissa fuerint, quæ nunc à me indicari, & corrigi, & in pagella ad finẽ Syriadis separatim adnotari oportere duxi. Quibus maculis deletis, cætera non nisi lentè, ac fastidiosè à me probata sunt, postquam D.O.M. beneficio valetudinẽ sic recuperaui, vt quæ me ægrotante typis excusa fuerant, ea ego relegere potuerim. Ac siquid omnino in ijs reliquum est, quod iure reprehendi debeat, id, quicquid est, me inuito est. Dedi certè operam, atq; omni diligentia curaui, nihil vt relinqueretur, quod castas, & latinas aures offenderet; idq; si, quemadmodum spero, cõsecutus sum, primùm quidem Deo Opt. Max. gratias ago, qui vitam mihi ad id ętatis propagauit, vt quæ iuueni, & nescio cuius inanis, ac præproperæ glorię fortasse ni-

mium

mium cupido exciderant, ea & ambitioſè emẽdare, & ſubtiliter perpolire potuerim; deinde FERDINANDO MEDICI Magno Duci Hetrurię. is enim, cum Piſis oratoriã, & poeticam, atq; etiam philoſophiã, quam moralem dicimus, publicè docerem, eoq́; in munere obeundo ſic eſſem occupatus, vt nullum omnino tempus vacuũ ad ſcribendum mihi daretur, Romam (erat enim tum S. R. E. Cardinalis) magnis propoſitis prę-mijs euocauit, ibique apud ſe, & ſummo in honore ſemper habuit, & in tantum otium collocauit, quantum ne deſiderari quidem ab vllo poſſet, qui ſe totum in ſtudia literarum abdere aliquando concupiſſet. Qua ſanè beneficentia, & liberalitate effectum eſt, vt nõ modo è poematis iam antea à me conſcriptis, & peruulgatis maculas, quæcunque inhæſerant, ſuſtulerim, ſplendoremq; illis, quantum potui maximum, accerſierim, ſed etiam ad argumentum multo grãdius pertractãdum, quod abhinc fermè triginta annos animo, & cogitatione conceperam, atq; adeo etiam inchoaueram, me conuerterim. eò enim & infinitum otium, quod mihi ſuppeditabatur, & ipſius etiã FERDINANDI

Medicis voluntas, & cohortationes non ſolum inuitabant, ſed etiam cunctantem, & vires meas diligenter expendentem quaſi ἀέκοντα ἑκόντι θυμῷ, vt ille inquit apud Homerũ, impellebant. Nam ſi Virgilius, quem & ingenio plurimum valuiſſe, & doctiſsimũ fuiſſe nemo non fatetur, in epiſtola quadam ad Auguſtum, cum de Aeneide ſua loqueretur, ſcribit à ſe tantã inchoatam eſſe rem, vt eam penè vitio mentis ſibi aggreſſus eſſe videretur, quid mihi faciendum erat, qui & ingenio, & doctrina longiſsime ab illo abeſſem, & ea lingua in pangẽdo carmine vti deberem, quæ iamdiu ex vſu, atque ore hominum quaſi exul, & extorris excidiſſet, neque vulgare, & fabuloſum aliquod bellum deſcribẽdum eſſet, ſed chriſtianum, & communi chriſtianorum omnium cõſenſu pietatis, & religionis cauſa ſuſceptũ, & bellorum omnium, quæ geſta vnquam ſunt, maximum? in quo neq; delectandi, neque docendi gratia fabulas adhibere, & monſtroſis quibuſdam narrationibus, ac digreſsionibus vti oporteret; ſed chriſtiani ritus chriſtianè, & latinè adumbrandi, & exponendi, & ne verbum quidem interſerẽdum, quod

impium

impium illum Deorum cultum, & superstitionem redoleret. sed hanc omnem difficultatem, quæ ab incæpto deterrere, ac reuocare vel doctissimum quemq; potuisset, tanti Principis voluntas sic infregit, vt nefas esse putauerim primo quoque tempore nõ aggredi quod inchoatum, &, vt verè dicam, penè desperatum opus reliqueram. Cur enim ei, vel cum existimationis, & nominis mei iactura non parerem, cui, propter collata in me beneficia, si non parerem, omnium hominum ingratissimus meritò existimari possem. Huc accedebat, quod non ambitione quadam motus, vt huiusmodi argumentum semel à me susceptum ad exitum perduceré imperabat, sed, vt, si fieri posset, poema aliquod heroicum extaret, in quo nihil non christianum esset, & quod à fabulis ad pietatem adolescentulorum animos traduceret. Non potui igitur, & iure suo illud à me postulanti, & pro auctoritate, qua eius volũtas apud me esse debet, præcipienti non libentissime concedere. Quod cũ non inuitus fecissem, & iam duos libros absoluissem; ijq; in Galliam delati fuissent, Henricus eius nominis tertius Gallorum

& Po-

& Polonorum Rex Christianiſſimus literis
priuatim ſuis, ſuaque manu perſcriptis ma-
gnopere hortatus eſt, vt huiuſmodi poema
perficerem, quod quo alacrius facerem cla-
riſſimarum dignitatum titulis me exorna-
uit, quæ quidem (vt ingenue fatear) calca-
ria iandudum currenti ſic admouerunt, vt
tanto Regi ſatis à me fieri vehementer cu-
perē, ſed rei magnitudine deterritus, quan-
quam totum argumentum ſoluta oratione
complexus fueram, animum ab incepto re-
uocarem. cum itaque in eo eſſem, vt ſuſce-
ptum laborem abijci potius, quam perferri
à me oportere cogitarē, accidit vt CHRI-
STINA ſpectatiſsima fęmina Caroli Lotha-
ringiæ Ducis F. Henrici II. Regis Galliarū
N. & quæ inter maiores ſuos Carolum Im-
peratorem cognomento Magnum, Goffre-
dumque Hieroſolymæ liberatorem, & Re-
gem, ſcriptorum, & annalium omniū con-
ſenſu numeraret, FERDINANDO MEDI-
CI Magno Duci Etruriæ nuberet. id quod
me planè cunctantem, ac diffidentem exci-
tauit, derelictumque opus perſequi ſic coe-
git, vt non, niſi eo abſoluto, quieuerim. Sed
vt eò reuertar, vnde diſceſſeram, cū in Gal-

liam

liã libri illi duo delati essent,& regijs characteribus,& formis descripti in vulgus prodijssent, in duas potissimum reprehensiones apud criticos inciderunt. Vnam, quod huiusmodi argumentum iam non Poema, sed Historia esset, non licere autem Poema ex Historia confici. Alteram, quod huiusmodi actioni, quam ego describendam susceperam, nimis altè principium, &, vt ipsi dicunt, ab ouo repetitum adhibuerim, neq; ante oculos Homerum, ac Virgilium mihi proposuerim, quorum vterque ita Poema suũ confecerit, vt alter à decimo belli Troiani, alter à septimo nauigationis anno exorsus fuerit. His igitur rationibus laborem hũc omnem meum inanem esse argumentantur. Ego verò, humanissime lector, nũquam eo animo fui, vt putarim opus hoc meum huiusmodi futurum, vt cum summis illis poetis comparari deberet. absit à me tantę temeritatis, atque impudentię nomen: non sum tam hebes, neq; tam importunus, qui eorum poetarum incredibilem, atque infinitam pręstãtiam aut non admirer, quam Plato, quam Aristoteles, quam doctissimi quiq; vehemẽter admirati sunt,

aut huiuſmodi eſſe putem, ad quam proximè accedere quiſquam poſſit. Sint illi ſanè, vt ſunt eius facultatis Principes, & quaſi Dij quidam, à quibus qui proximè abeſt, longiſſimè tamen abeſſe iudicādus eſt. Sed vt planè intelligo me iure optimo reprehēdi, ſi ideo reprehendor, quod & in texendo argumento, & in pangendo carmine neq; cum Homero, neq; cum Virgilio comparari poſſim, ita arbitror me inique accuſari, ſi propterea accuſor, quod ex Hiſtoria poema conficere voluerim: quodq; belli illius originem, ac principium nimium altè repetiuerim. quibus in rebus, vt, qui hæc legēt, à me neq; erratum, neque operam noſtram temerè verſatam eſſe intelligant; totius facti rationem explicem neceſſe eſt. Statuerā, vt paulò ante dictum eſt, iam inde ab vltimis penè confirmatæ ætatis annis chriſtianum poema conficere, in quo ne veſtigium quidem impij illius veterum Græcorum & Latinorum cultus extaret; Sed omnia ad Christi Dei liberatoris noſtri laudem & gloriam referrentur. Videbam igitur in huiuſmodi re nullum fermè locum aut fabulę, aut fictioni relinqui, & ſumi argumentum

cum aliquod oportere ex historia, quòd à Christianis hominibus in dubium reuocari non posset, in quo res ita gestas fuisse constaret, vt Deo potius, quam vllis mortalium viribus, & potentiæ tribui debere viderentur. Nihil itaq; fuit, cur ego me in fingenda, concinnandaque ad clamores & admirationes fabula diutius torquerem. malui enim in aliquo vero argumẽto christianus christianè agere, quã in re ficta, ac mendaci, nescio quam ingenij gloriam parum christianè aucupari. At enim hoc vt piè cõgitatum sit, non efficit tamen, vt quæ historia est, poema esse possit. Videamus igitur primũ ab rei ipsius vi & natura, mox etiam ab illustrium virorum auctoritate, & exemplis, verumne hoc sit, an omnino falsum. Quod quo certius constet, hoc huiusmodi disputationis fundamẽtum iaciemus, quod apud omnes in confesso est, Poetæ scilicet munus esse ea dicere, quæ talia sunt, qualia fieri oportet, quæque vel probabiliter, vel necessario fieri possunt. sunt enim hęc verba Aristotelis. φανερὸν δὲ ἐκ τῶν εἰρημένων, καὶ ὅτι οὐ τὸ τὰ γενόμενα λέγειν, τοῦτο ποιητοῦ ἔργον ἐστὶν ἀλλ' οἷα ἂν γένοιτο, καὶ τὰ δυνατὰ κατὰ τὸ εἰκὸς ἢ τὸ ἀναγκαῖον.

Debet igitur is, qui se poetam esse profitetur, ea in primis ad poema conficiendum sumere, quę probabilia sint. nisi enim talia existimentur, vt fieri potuerint, ridicula videbuntur, neque vllam legentibus vel vtilitatem, vel voluptatem parient. Probabiliora autem videntur, quę facta sunt, & facta esse constat, quam quę facta non sunt. quia adhuc non constat huiusmodi esse, vt fieri possint. pręcipuè verò id accidit in magnis, atque arduis rebus, in quibus admirabili quadam virtute opus est. qualia sunt pręclara illa facinora, quę magno cum vitę periculo à viris fortibus in bello edũtur. Ex quo fit, vt qui Comedias scribunt, constituta fabula, personis nomina imponant, quæ volunt. probabile enim est aut à seruulo herũ decipi, ac fraudari, aut virginem ab adolescente vitiatam fuisse, aut amantem filiũ rem domesticam dissipare, aliaque huiusmodi, quę re vera frequentissimè vsuuenire non ignoramus: ideoque etiamsi ficta sciamus, facillimè tamẽ aut vera esse credimus, aut huiusmodi certè, quę vera esse potuerint. nemo enim penè est, qui iocularium in malum, vt Simo inquit Terentianus, aut

ipse

ipſe aliquando non inciderit, aut alium incidiſſe non viderit. longe aliter res ſe habet in Epopeia, & Tragædia. Nam cum in ijs res grauiſſimæ tractentur, & ea facta repræſententur, quæ vel propter euẽtorum atrocitatem, vel propter admirabilem virtutis præſtantiam auditoribus, ac legẽtibus perſuaderi vix poſſunt, poetis neceſſe propemodum fuit ad hiſtoriam confugere, ex eaque certas perſonas, certaque bella ſeligere, quibus tãquam ex hiſtoria iampridem cognitis ad poemata concinnanda vterentur. Hac enim ratione factum eſt, vt cum ab hiſtoria, aut nihil, aut parum omnino diſcederent, res ipſas, quas tamen figmentis aliquibus adumbrare cogebantur, non modo probabiles, ſed etiam veras eſſe facile perſuaderent. At ingenioſior, ac ſolertior poeta, qui argumentum fingit, quàm qui factũ ex hiſtoria ſelegit, quod carmine complectatur. nemo negat. Sed hoc nunc non quęritur, illud quæritur, poſſimus ne ijs, quæ verè facta ſunt, pro poetico argumento vti. id quod, niſi planè fallor, ex ſuperioribus rationibus ſatis aperte concluſum videtur. Quanquam ad hoc obtinendum poteram

eſſe

esse Aristotelis auctoritate contentus. Qui postquam in libro illo suo de Poetica ostendisset Historicũ à Poeta differre, quod Historicus plures, Poeta vnam actionem complectitur, quod ille quæ facta sunt narrat, hic qualia fieri debuerunt; hic τὰ καθόλου, ille τὰ καθ᾽ ἕκαστον persequitur, his verbis totam disputationem concludit, Δῆλον οὖν τούτων, ὅτι τὸν ποιητὴν μᾶλλον τῶν μύθων εἶναι δεῖ ποιητὴν, ἢ τῶν μέτρων, ὅσῳ ποιητὴς κατὰ τὴν μίμησίν ἐστι. μιμεῖται δὲ τὰς πράξεις. κἂν ἄρα συμβῇ γενόμενα ποιεῖν, οὐθὲν ἧττον ποιητής ἐστι: τῶν γὰρ γενομένων ἔνια οὐδὲν κωλύει τοιαῦτα εἶναι, οἷα ἂν εἰκὸς γενέσθαι καὶ δυνατὰ γενέσθαι, καθ᾽ ὃ ἐκεῖνος αὐτῶν ποιητής ἐστι.

Hoc est. Ex his igitur apertè patet, Poetam potius esse poetam appellandum, quod fabulas fingat, & concinnet, quã quod versus pangat, idque tanto magis, quanto magis imitatio poetam efficit, quàm versus, imitatur autẽ poeta actiones. Quamobrem & si vsueueniat, vt, quæ facta sunt, quis imitetur, nihilominus qui id fecerit, poeta fuerit, nihil enim prohibet, quin nonnullę res, quæ gestæ sunt, huiusmodi sint, quales verisimile sit geri debuisse, & eius præterea generis, vt eo modo geri potuerint. qua scilicet ratione is earum rerum poeta dici, atque haberi iure optimo debebit. Nullum

ergo,

ergo, auctore Aristotele, discrimẽ est, quod ad argumentum poeticum pertinet, inter actiones alicuius ingenio fictas, atque excogitatas, & actiones, quæ ex historia petuntur modo tales sint, quales verisimile est fieri debuisse, & eius præterea generis, vt ea ratione confici potuerint. quare idem auctor in eodem libello testatur bellum Troianum habuisse principium, medium, ac finem; & nisi magnitudo obstitisset, facile potuisse pro vna actione sumi ab Homero. Quod si verum illud bellum fuit, & ab Homero pro argumento vsurpari potuit, sequitur etiam historicã actionem, modo talis sit, qualem esse oportere paulo antedicebamus, si à poeta describatur, poeseos personam induere, & ex historico argumento poeticum fieri. At Homerum Aristoteles cæteris anteponit omnibus, quod, cum posset totum illud bellum Troianum in vnam actionem conijcere, eius particulam selegit, quã pulcherrimis digressionibus exornatam exponeret. iure ille quidem optimo hoc facit: neque ego aliter sentio. Sed idem tamen Aristoteles viam reliquis non præcludit, quo minus etiam cum aliqua laude

ex historia argumentum petant. Quod à me siue ob ingenij tenuitatem, siue ob eam reuerentiam, quam adhibere christiani homines debent aduersus relligionem, & pietatem, factum esse, tantum abest, vt pœniteat, vt etiam magnopere gaudeã, tale tantumque argumentum mihi ex historia suppeditatum fuisse, quale quantumque ne ab Homero quidem fingi, excogitarique vnquam fortasse potuisset. In quo nihil est quamobrem rei gestæ prolixitatem quisquam obijciat, quam summo cum iudicio ab Homero vitatam fuisse testatur Aristoteles. Nam bellum hoc Hierosolymitanũ trium annorum spatio confectum est sic, vt finis à principio non longissimè distet. facillimèque omnia quasi quodã decenti corpore comprehensa, & ad vnũ, eundemque exitum tendentia non sine admiratione, ac delectatione spectari possint. Vtinam modo ego is sim, qui & elocutionis granditatem, & verborum, sententiarumque grauitatem, & pondus cum tã admirabili, ac planè poetica actione adæquarim. Demonstratum à nobis est (nisi fallor) erratũ non esse, quod ad conficiendũ poema hoc nostrum

ex hi-

ex hiſtoria totum argumentum hauſimus. Reliquum eſt, vt ijs reſpondeamus, qui nimium altè, & (vt ipſi dicunt) ab ouo totius actionis principium duxiſſe nos autumant. Ariſtoteles (vt paulo ante dicebamus) teſtatur Homerum ſine repreheſione potuiſſe aggredi ad poema concinnandum totum bellum Troianum, ſed ſi id feciſſet, incurſurũ in prolixiorem actionem fuiſſe, quam quæ commodè vno, ac decẽti corpore comprehendi potuiſſet: ſelegiſſe autem belli illius particulam, quam epiſodijs ornaret, & ad iuſtam, conuenientemq; longitudinem totam illam fabulam perduceret. ita enim ſummus ille philoſophus Homeri factum interpretatur. Nos autem, ſi cum Plutarcho, multiſque alijs admirabilis doctrinæ ſummique ingenij viris ſentire, & ab Ariſtotelis opinione aliquantulum diſcedere liceret, Homerum exiſtimaremus à ſcribendo bello Troiano abſtinuiſſe, vel quòd in eo ante decimum annũ nihil omnino memoratu dignum à Græcis geſtum fuiſſet, vel quòd vnum Achillem laudandum cum ſuſciperet, haud æquè commodè id facere poterat, ſi bellũ ab Helenæ raptu ad Ilij euer-

ſionem perducere voluiſſet. Nam ſi id aggrederetur, alterutrũ neceſſario eueniebat, aut, vt in Achille tantopere exornando parciſſime verſaretur, aut ſi ea in re diutius, vt cum Ariſtotele ſentiamus, immoraretur, infinitum propè opus, & quod à nemine ſpectari cũ delectatione poſſet, conficeret; ſic enim eſt Ariſtotelis locus explicandus. Nã alioqui non video cur opus illud ad infinitam magnitudinem perduci oportuiſſet, ſi à raptu Helenæ ad captum Ilium deriuatum eſſet. immo ſi ea præclara facinora toto eo in bello facta à Gręcis fuiſſent, quæ in Syriaca illa expeditione à Chriſtianis edita ſunt, vt lectorem delectare, & ad virtutem excitare poſſent, multo breuiore verſuum numero comprehenſa eſſent, neque multa iterari, idéque toties repeti, vt opus ad iuſtam magnitudinẽ produceretur, oportuiſſet. illud tamen incommodum, vt paulo ante diximus, ex ita conſtituta actione naſcebatur, quòd, cũ diutius lectorem in contemplanda alicuius virtute verſari non pateretur, Achillis præſtantia cum tam incredibili admiratione ſpectari non potuiſſet. Sed vt hoc meum cõmentum nihil ſit, certè illud

tè illud

tè illud verum eſt, ab Ariſtotele propterea laudari Homerum, quòd belli Troiani particulam multis, ac pulcherrimis epiſodijs excogitatis, atque ingeniosè adinuentis, ita anxerit, atque ornauerit, vt iuſtæ magnitudinis poema concinnauerit. quod ſi verum eſt, non video, cur ego reprehendi, & accuſari debeam, ſi reiectis fabuloſis digreſſionibus, & cõmentitijs fabulamentis, ea, quæ chriſtianis magna, & admirabilia acciderunt, quæque multo magis pios animos iuuare, ac delectare poſſint, quàm fictæ, atque inanes quædã narrationes, & mendacia mihi deſcribenda eſſe cenſui, vt non vnum, aut alterum, ſed omnes illos Principes meritis laudibus ornarẽ, Deoq; Opt. Max. gratias agerem, qui ad tam præclarum facinus aggrediendum eorum animos excitaſſet, viresque ſuppeditauiſſet, quibus illi feliciter ad exitum id perduxiſſent, quod alioqui ijs viribus, quæ tum coactę ſunt, perfici nullo modo poſſe videbatur. Ego igitur hoc epiſodiorũ genere contentus, quæ non aliunde accerſita, ſed quę neceſſaria quędam totius actionis membra eſſe viderentur, opus hoc meũ ab eo principio ſum exorſus, quod

in hac quidem actione caput, & fons esset eius finis qui consecutus est. neque altius omnino repetitum est, quam repeti oportuit. nisi dicamus Homerũ quoque Odysseam suam, idest Vlyssis reditum in patriã, ab altiore principio, quam poeseos ratio ferret, exorsum fuisse. quippe qui à Deorum concilio eam actionem, ac fabulam incohauerit. in quo cum de Vlysse à Minerua mentio facta esset, Iuppiter Palladem ad Telemachum, Mercurium ad Calypsonem mittit, à qua priusquam liberè dimittatur, quinque ipsi libri, quasi ἐν τοῖς προλεγομένοις ab Homero consumuntur, ac vigesimo secundo demum libro Proci interimuntur, & Vlyssis domus è seruitute liberatur, ipsiusque status à miseria ad fœlicitatem traducitur, vt meritò ab Aristotele eius actionis argumentum longum appelletur cum ait τῆς γὰρ ὀδυσσείας μακρὸς λόγος. At illic multa sunt quæ episodijs absoluuntur. Illa quidem episodijs absoluuntur, sed prolixis, sed incredibilibus, & portentosis, quæque à christiana sinceritate longissimè abesse oporteat. Verum vt reperiri episodia possint, quæ poetæ christiano conueniant, non video cur ma-

gis Hie-

gis Hierosolymę, quàm Vlyssis seruitutis finis ab ouo (vt quidam dicunt) ductus esse dici possit, cum vterque à principe Deo fluxerit. Statuit apud Homerum Iuppiter Vlyssem e seruitute, in qua multos iam annos versabatur, liberare. Hic Deus Opt. Max. Hierosolymam à diuturna Turcarum tyrannide eripere. Illic Mercurius & Pallas, Hic Angelus ad huiusmodi factum inchoandum mittitur. Illic à Pallade Telemachus ad quęrendum patrem ducitur, Hic Petrus Eremita ab Angelo ad Principes christianos excitandos proficisci iubetur. Quod itaque ad principia vtriusque actionis pertinet, eadem sunt, & pari interuallo à fine distant. immo si Homericorum episodiorum tempora, quæ Odyssea comprehēduntur, cum Syriacæ expeditionis temporibus comparemus, longius omnino distat Odyssææ initium à fine, quam à liberata Hierosolyma Syriacæ expeditionis principium. Nam Odyssea decem, poema hoc nostrum tres tantum annos complectitur, Ergo vtraque actio, tam Odyssææ scilicet, quam Syriadis ab ouo inchoata est, etiam si ex Odyssea episodia tollantur, quod tamen

si fiat

ſi fiat, quis nō videt poema illud, & perexiguum, & (vt ita dicam) planè abiectum futurum fuiſſe? Sed & illic neceſſaria fuerunt epiſodia, & in Syriade neceſſaria eius actionis membra, quibus demptis tota illa coagmentatio diſſoluta concideret. Sed neque ego ab ouo ſum exorſus, neque item Homerus. nam ordiri ab ouo id dicimur, quod non à proxima, ſed à remota cauſa ducimus, quod Homero contigiſſet, ſi principium Troiani belli ab Ledæ partu ordiretur. Quale illud Medeę Ennianę principium.

Vtinam ne in nemore Pelio ſecuribus
Cæſa cecidiſſet abiegna ad terram trabes:

quod ante Ennium Euripides fecerat. In eundem errorem ego quoque incidiſſem, ſi actionem meam ab ortu Mehemetis orſus fuiſſem. nunc autem cum à proxima eius expeditionis cauſa Homerum ſecutus totam rem ordiar, qui me ab ouo orſum eſſe affirmant, aut Horatianum pręceptum non ſatis intelligunt, aut, quod egimus, ingenij calumnia ludificari volunt. Quod autem Odyſſeę principium cum Syriadis principio comparauimus, non ideo à nobis factum,

ctum, vt noſtra hęc cum tam digno opere conferamus, ſed vt oſtendamus quem ea in re ſecuti ſimus. Quod ſi nobis minus feliciter contigiſſe docti homines iudicabunt, facile patiemur ab ijſdem inter eos numerari, in quibus, ſi nihil aliud, pręclara certè de adoleſcentulorum animis ad pietatem & virtutem inflãmandis voluntas extiterit. Eoſq; quibus noſtra hęc minus ſatisfacient, hortari non deſinemus, vt, quoniam quid in contexendo poetico argumento requiratur, tàm acutè vident, ipſi pręſtent, quod nos pręſtare non potuimus.

AD SERENISSIMAM MAGNAM DVCEM ETRVRIAE,

CHRISTINAM LOTHARINGIAM
CAROLI LOTHARINGIAE DVCIS F.
Henrici II. Gallorum Regis. N.

ET FERDINANDI MEDICIS Magni Ducis ETRVRIAE Vxorem.

QVOD tibi, magnorum soboles clarissima patrum,
Affero deuinctæ nobile mentis opus,
Suscipe, ceu sueta es, vultu CHRISTINA sereno,
Et, non indignum, quod tueare, puta.
Hic, quæ delerat penitus male grata vetustas,
Merserat & tenebris longa, nocénsque dies,
Herois benefacta leges. quo nullus in orbe,
Non armis maior, non pietate fuit,
Téque ortam à tanto lætabere principe. quanquam
Inuicti Reges, magnanimique Duces,
Qui populos tenuere omni ditione, tenéntque,
Attollunt cælo téque, tuámque domum.
Ille tamen ceu Sol medio resplendet Olympo,
Séque tuos effert maximus inter auos.
Quorum lasciui nulli hic finguntur amores,
Nec lachrymis madidæ mollibus inde genæ.
Non & fallacum portenta absurda magorum,
Vectáque per cælum corpora viua ducum.
Sed vitæ integritas cæptis comitata refertur,
Et pia constanti bella peracta manu.
Ac meritò. Nam quæ virtus gerit ardua, non sunt
Turpiter impressis dedocoranda notis.

PE-

PETRI ANGELII BARGAEI

SYRIADOS LIBER I.

HESPERIAS *acies, magnóq; accepta Tonanti*
Arma cano, & varijs exhausta pericula in oris,
Iactatósq; diù populos morbóque faméq;.
Quorum incredibili Solymis virtute reclusis,
Christicolæ extremi potuere à finibus orbis

Visere deposita dubiæ formidine vitæ
Bethlema, & Isacidis promissa parentibus arua.
Tu verò, cuius claro de lumine lumen
Exoritur nobis, tacitósque exsuscitat ignes,
Vnde altam afflati mentem cælestibus auris
Deserimus populos, & habentes nubila terras,
Verus amor patris, natíque æterna voluptas
Spiritus, hinc atque hinc pariter qui profluis, & qui
Cuncta mouens te tota hominum in præcordia fundis,
Mortalíque doces ore immortalia fari,
Sancte faue; præstóque adsis ingentibus ausis.
Ac me, delectis dum sumpta heroibus arma
Dicere, & Ausonias conor vulgare per oras,
Da, reges memorantem, altas euoluere causas
Bellorum, & tanti narrare exordia motus:
Da, quoscumque animis diuturna silentia nostris
Exemere viros, reuocare ad lumina vitæ:
Nec tenebris, atráque vllos caligine tectos
Ire sinas, quos vna sui fidissima merces
Sustulit ad cælum virtus, vastósque coegit
Traijcere Ionij fluctus, pérque inuia Thracum
Vnanimes grauibus caput obiectare periclis:
Cum miseras Asiæ gentes, pressámque nefando
Eripuere iugo dextris victricibus vrbem
Hanc, vbi sancta suis olim vestigia plantis
Impreßit, vitæque dedit præcepta futuræ
Illa Dei soboles, certæ dux ille salutis
Mundi opifex, nostróque vno pro crimine passus

Ludibria, & pœnas, letúmque informe, sepulchro
Exciuit sese, & manifesta in luce refulgens
Victor ad ætherei sedes remeauit Olympi.
Presserat insolitis nigri regnator Auerni
Supplicijs omnes, latum quicumque per orbem
Terrarum CHRISTI *cultum, noménque professi*
Suspicerent veros veræ pietatis honores.
Et nusquam deerant ficto de crimine pœnæ
In miseros, nusquam Diuûm bene cedere sueta
Relligio nostras properabat linquere terras,
Europam, ditémque Asiam, Libyámque patentem:
Præcipuè populos, quoscumque Ægyptus, & vnà
Læta Palæstinis regio pascebat in aruis.
Illic dedecorum maculæ, & genus omne probrorum,
Contemptúsque acres, ignominiosáque passim
Dicta sequi, nec verberibus, nec cædibus vllis
Parcere, sed sanctæ sæuire in corpora gentis.
Quin etiam templa ipsa manu subuersa nefanda,
Effusique aris calices, atque hostia fœdè
Proculcata solo, raptúsque in vincla sacerdos,
Dum se cælicolum Regi purissimus offert,
Attollitque oculos, & sanctum numen adorat.
Quingentæ æstates, quingentæ ex ordine brumæ
Transierant, nullúsque aderat finísue, modúsue
Christicolûm aduersis iam tot per secula rebus:
Cum pater omnipotens Solymorum ad mœnia vertit
Vltores oculos, tacitóque hæc pectore fatur.
En iterum infando populos Ægyptia tellus

Seruitio, duráque premit iam compede nostros?
Impiáque assuetis deturbat honoribus aras?
Non ita. namque etsi debent mihi plurima pœnas
Ingentes seris nocitura nepotibus olim
Flagitia, & certæ subito sine vindice fraudes:
Extinxisse tamen populi scelerata rebellis
Regna iuuet: solióque alto pepulisse tyrannos,
Qui modo longinquos sese profitentur Erembos
Liquisse, & Scythiæ campos fugisse malignos.
Hæc genitor, celerémque ad se vocat inde ministrum
Aligerùm è cœtu, sanctam qui protinus vrbem,
Quiq; Palæstinos populos, Syriámque tuetur.
Vade age, fide vigil, quò iam pulcherrima rerum
Vrbs Iudæa suas altis in collibus arces
Ostentat mole ingenti, & testudine templi
Marmorea augustum Nati complexa sepulchrum.
Huc præstantem animis, & magnum ingentibus ausis,
Et miro impulsum veræ pietatis amore
Aduenisse virum Celtarum a finibus vsque
Scimus, & inceptis, animus quæ destinat, aptum.
Illi vita insons, illi suadela, lepósque,
Et dictis vis acris inest: nec sanguine cretus
Obscuro, solum montis secessit in antrum,
Cum primùm obduxit teneras lanugine malas,
Verum vt liberior cultum pietatis obiret,
Et mihi sinceros animi libaret honores.
Is nunc & macie confectus, & obsita pannis
Membra ferens, supplex oculos ad sidera tollit:

Vtque

Vtque velim finem miseris imponere rebus,
Ac tot supplicijs Solymos prohibere fideles,
Per mortem testatus, & incunabula nostri,
Pérque resurgentis factum memorabile Nati,
Cum fletu, precibúsque petit. luat impius ergo,
Seu sit Arabs, seu Persa fugax, mihi sanguine pœnas
Tantorum scelerum. Tu, quò succedere possint
Ocyus, & mentem hanc nostram rata iussa sequantur,
I celer, atque illum tacitis hortatibus imple.
Dic abeat quàmprimùm Italas delatus ad oras,
Nostráque Pontifici referat mandata: piorum
Concilium cogat, regésque inducat amicos,
Gallósque, Ausoniósque duces, fortésque Britannos,
Suscipere vnanimes, tantúmque capessere bellum.
Ipse ego nusquam abero. Dictis his Aliger altæ
Militiæ, ventis, & fulminis ocyor aura,
Ilicet immmensum rapidis secat æthera pennis.
Iámqu inter nubes terras delatus ad imas
Aspicit innumeris viridantia littora palmis,
Sirbonisque lacum fluitante bitumine, & oræ
Oppida Sammariæ geminas despectat Iamnes.
Mox & humi propior, quà se Galilæa propinquæ
Finibus insertat Syriæ. superimminet ales
Cernuus, atque vndas amnis veneratur amœnas
Iordanis, sterilémque agrum, duráque salebra
Horrentem tractum, riguámque perennibus arcem
Fontibus, ingressus peregrinum heroa salutat.
O animos olim regum impulsure feroces

In bellum, & flammas pro libertate meorum,
Ipse preces, fletúsque tuos Pater audijt æquis
Auribus, & populo præsens succurret egeno.
Tu modò, cum primùm stellas aurora fugarit,
Surge celer, rectáque Iopes ad littora gressus
Tende: vbi iamdudum ventos expectat euntes
Nauis in Italiam merces vectura Sabæas.
Nec prius in Belgas, & patria regna recurres,
Quàm positam Aruernis Elauer propè flumen in oris
Vrbem adeas, sanctúmque Patrem, qui præsidet orbi,
Hortantem populos ad bellum videris, huius
Laturos tanti mercedem, & præmia facti.
Hæc ait, atque illum procumbere in ora volentem
Suppliciter, fletúsque humiles, lachrymásque cientem
Deseruit, tenuésque abijt resolutus in auras.
At pius insolita lætatus imagine rerum
Surgit, & æterni veneratus numinis aram,
Has secum tacito fundit de pectore voces.
Summe Pater, cuius sedes stellantia cœli
Claustra premit, sic nulla vsquam gens incolat orbem,
Quæ laudes, noménque tuum non tollat ad astra,
Et meritos confessa vni tibi reddat honores:
Cuius & in medio solus non pectore regnes,
Et fieri videas quicquid vis ipse, iubésque,
Non secus ac puræ cum iam mortalia mentes
Exuerunt, labémque omnem exemere, luémque,
Da, Pater omnipotens, summo mandata referre
Pontifici, regúmque animos accendere bello:

Adde

Adde & opes, adde & vires, quibus impius hostis
Pareat, aut multo vitam cum sanguine fundat.
Sic memorans, humiles properat Symeonis ad ædes:
Isacidæ Symeonis, erat qui maximus vnus
Christicolûm princeps patrum, custósq; sacrorum
Iura ministrabat populo, patriásq; benignis
Hospitijs assuetus opes effundere, cunctos
Ipse domi Solymam peregre accipiebat euntes.
Ergo illum festinus adit, lætúmq; salutat
Lætus, & ingentes voluens sub pectore curas:
Scis Symeon, scis ipse, inquit, quibus ante querelis
Res fratrum afflictas, & tantæ fleuimus vrbis
Excidia, & magni polluta altaria templi:
Sume animos. tetigere Deum tua vota, precésque.
Ipse mihi, dum genua graui titubantia somno
Fortè labant, medióq; tholi sub fornice victa
Procumbunt, clarus manifesta in luce refulsit
Nuntius æterni referens mandata Parentis:
Atque hæc palmiferæ cedentem ab littore Idumes
Ausonio patri narrare incendia iussit,
Cogat vt innumeros, armétque in prælia reges.
Tum Symeon: Eadem ista mihi modò visa loquentis
Effigies, somnus lassos dum serpit in artus,
Aligeri effigies lachrymantem, & multa timentem
Affari, & fletum placidis compescere dictis.
Ergo age rumpe moras, & te, quò prospera rerum
Tantarum series vocat, atque æterna voluntas,
Siste volens: Deus ipse bonis bonus annuit orsis:

Hæc illi inter se vario sermone serebant:
Ac templum ingressi puro ter flumine frontem
Aspersere suam: sanctis ter fulsit ab aris
Flamma repens, templúmque insueta luce repleuit.
At Petrus (namque ipse Petri pius aduena noto
Nomine dictus erat) precibus, sacrísq; peractis,
Cœlestiq; cibo mentem, potúq; refectus,
Alta Palæstinæ Pharijs regnata tyrannis
Mœnia deseruit, portúmque, Iopémque petiuit.
Nec mora mutati spatia in contraria venti
Aspirant flantes Eoi ab limine Solis
In puppim. facilis salsas volat illa per vndas.
Atque Ægyptiaci latè maris æquora sulcat.
Iámque procul videt, & Cretam scelerata secutam
Arma Iouis: summa qui pulso è sede parente
Mortali, est ausus Diuûm sibi poscere honores.
Exin Sammonij rupes, atque ardua montis
Saxa legit: dextráq; Cason, celsámq; relinquit
Carpathon, & salebris duram Pholegandron acutis,
Mox Diam, Melónque. illic gens Attica quondam
Extinxit miseros tenera cum prole parentes.
Nec non & rigidas Cranaes inamabilis oras
Præterit: illicitos vbi primùm infamis adulter
Tyndaridi dedit amplexus, castúmq; cubile
Polluit iniustæ pariturum incendia Troiæ.
Inde autem Maleæ scopulos, vndásq; sequaces
Exuperans, placido cursu Messenia radit
Littora, & Ænussas Euro impellente relinquit.

Illam etiam ſcopuloſa Ithace mirata volantem eſt:
Miratæ Ionios celerem percurrere fluctus,
Quæ modò deuictos teſtantur Echinades hoſtes
Thracas, & vndiſono ſubmerſas æquore claſſes
Heſperiæ ſcelerum pœnas ſoluiſſe merentes.
Et vos Leucatæ nimboſa cacumina montis,
Fulminibúſque altam percuſſa Ceraunia frontem,
Protinus ingreſſam Adriacas vidiſtis in vndas
Peucetios petere, & tuto ſe condere portu.
Qualis vbi aerij ſummo de vertice ſaxi
Ilicet aurarum ſtrepitu commota columba
Auolat, & magni præpes ſecat ætheris oras,
Et tandem patria lætam ſe turre recondit,
Sic illa, indomitum poſtquam tranauerat æquor,
Littus adit victrix, claræque allabitur vrbi:
Quam quondam (ceu priſca ferunt monimenta priorum)
Dædalides, omnémque agrum, quà Daunia tellus
Culta patet proprio ducens è nomine nomen
Fecit Iapygiam: ſeri ſed deinde nepotes
Dixerunt Barium: primi vnde inſignia regni
Sceptraque, purpureóſque habitus, ſacrúmque tiaram,
Sumere tum reges Siculique, Italique ſolebant.
Ergo ipſi optata tandem potiuntur arena,
Votáque ſolliciti perſoluunt debita nautæ
Nicoleo, cui templum altis ſublime columnis,
Marmoreúmque, ingénſque calet fumantibus aris:
Et circùm Arabijs permiſcet odoribus auras.
In medio ſacram teſtudo intercipit vrnam

Aurea,

Aurea, quæ Diui cineres, atque ossa sepulti
Complexa, ambrosium summo de marmore fundit
(Mira quidem, sed certa fides) iniussa liquorem.
Huc pius ingrediens heros sanctissima primùm,
Aurea pyxis vbi niueum complectitur orbem
Cælestis crusti, mysteria pronus adorat.
Mox humilis, suppléxque altam contendit ad aram:
Ac pressa genibus terra sic voce precatur.
Diue, Myram Lyciæ cui sex ex vrbibus vnam
Innumeris illustrem atauis, populóque frequentem
Insueta patres olim dant sorte regendam:
Qui puer, & nutricis egens lactantis ab ipsis
Vberibus, quoties lux quarta, & sexta refulsit,
Auertens faciem seras ieiunus in horas
Sensisti gelidæ venisse crepuscula noctis:
Mox & opes patrias miseris largitus egenis
Sancta Palæstinæ visis loca: & vndique nauem
Iactatam ventis, agitatam & fluctibus atris
Ipse Deo supplex optato in littore sistis
Incolumem, sæuíque expertus vincla tyranni,
Post tristes casus, post dura incommoda tandem
Discedis, curásque hominum, terrásque relinquens
In cælum sublimis abis, vnde arduus orbem
Despicis, & tantos tecum miserare labores:
Sis bonus, o, nostrísque faue, sanctissime, cæptis.
Dixerat, & cælo supplex immota tenebat
Lumina, largifluo spargens sibi flumine pectus:
Sustulerátque ambas, quasi raptus ad æthera, palmas:

Cum

Cum senior, cui prima sacri custodia templi,
Curáque perpetuis adolere altaria flammis
Supplicis aspectu subitò commotus, & ore:
Dic nobis, dic hospes, ait, noménque, genúsque,
Quisquis es: & mensas hodie dignare paratas.
Namque diem solemnem agimus, quo maximus heros
Hinc abijt clara cœli in statione locatus.
Sic memorans, dextra apprensum in sacraria ducit,
Atque auro è solido solidas ostendit acerras,
Et pateras, calicésque graues, purósque lebetes
Vasa ministerijs, cultúque accommoda templi:
Ille autem admirans placido est sic ore loquutus.
Non equidem sine mente Dei, sine numinis aura
Adueni has primùm terras, & Iapygis vrbem,
Quam victor populorum heros Patareius vnam
Protegit, & fidus præses, custósque sacrorum
Ipse suis patrocinijs tutatur egentem.
Iam Solymæ manifesta salus, iam Persidis atra
Cæde Palæstinis tepefient flumina campis.
Desierat fari senior, cum talia Alethes
Miratus magno scitandi ardescit amore,
Quæ sit tanta salus, quæ cæde tepentia crescant
Flumina, quos ducat victrix Europa triumphos.
Subijcit hæc igitur cupienti habitator eremi.
Non vllus (mihi crede) furor, non vlla futuri
Vana superstitio percellit imagine mentem:
Verùm animo tanti præsens, fiducia Diui
Addita, & Ausoniæ felix aduentus ad oras,

Quas

Quas ego concepi ſpes imo in pectore cunctas
Integrat, & cœpto ſuadet dare vela labori.
Namque Palæſtinas nuper nouus aduena terras
Dum peragro, & Solymæ veſtigia cuncta videre
Preſſa Deo iuuat, atque ipſi aduigilare Sepulchro,
Et modò Carmeli montes, modò viſere Idumem
Palmiferam, & ſacros Iordane ex amne liquores
Sumere, tum ſi qua eſt regio teſtíſque, memórque
Mortis, & exactæ per tot miracula vitæ,
Aut lacus, aut rupes, aditum perrumpere, & ad ſe
Ire iubet: vidi euerſas, proh dedecus, aras,
Templáque cornipedum præſepia facta ferorum.
Sed me dicentem iam deſerat auricomus Sol,
Si fœdas ignominias, ſi dura piorum
Exitia, & ſæuos caſus memorare libebit.
Exarſere ignes animo: ſubit ira ruentem
Vlciſci pietatem armis: ſcelera inde nefanda
Deturbare procul, noſtriſque afferre ſalutem,
Immanis quos ipſa premunt regna impia gentis.
Ergo ego primores Solymæ iuuenéſque, ſenéſque
Alloquor, & miſeris quæ ſit ſententia poſco.
Aſt ollis (neque enim certæ ſe dedere morti
Iam dubitent, tempus ſiquando id poſtulet, & res)
Omnibus idem animus populos è ſede ſuperbos
Deijcere imperij, ſæuóſque expellere reges,
Aut vltro cunctos vni dare colla ſecuri.
Hæc eadem Syrij, quos flumine magnus Orontes
Alluit, Antiochi veteri cognomine dicti.

Hæc

Hæc Cilices, Lycijque volunt: hæc Olbia, cuius
Ascanius placido perfundit mœnia fluctu:
Nec qui Byzanti populo dominatur, & vnus
Obtinet imperium, quà se fera Thracia pandit,
Quæque adeo Pelopis tellus circumdatur vndis
Auxilium iam ferre neget. sed viribus impar
Non audet lapsis Asiæ succurrere rebus,
Expectátque tacens dum se Germania bellax
Excitet, aut Italûm virtus miserata ruinas
Imperij, labésque graues; aut Gallia fortes,
Gallia magnanimûm mater generosa virorum,
Cogat in arma duces, bellóque ea regna lacessat.
Ac mihi versanti tantam sub pectore molem,
Nuntius in somnis alto delapsus Olympo
Constitit ante oculos, & cœpta capessere iussit.
Quare ego nunc primùm vestras appulsus ad oras
Ausoniæ ingredior reges aditurus, & ipsum
Christicolûm patrem, septem qui collibus vrbis
Præsidet, atque hominum mentes, sensúsque potentum
Impellens stimulante Deo regit vnus, agitque;
Desierat, cum longæuus sic infit Alethes.

Magna quidem, magna, ò hospes, neque temporis huius
Cœpta paras, &, ni me animi sententia fallit,
Nulla ope mortali, nullo superanda labore.
Namque inter sese diuisa potentia regum
Infregit solidas bellorum ad munia vires
Iamdudum, imperiique Italos spoliauit habenis.
Si tamen hæc audere potes, si fixa voluntas

Ista

Iſta tibi, precibúſque tuis Deus applicat aures,
Accipe quæ primùm ſtudio ſuſcepta, fideque
Perficias: neque enim, tanti quem gloria facti
Certa manet, nobis hæc intentata relinquas,
Exitus omen erit. nam res opis indiga, & vno
Vindice digna Deo cœptis bene geſta fauebit,
Et ſpem non dubiam dubijs modò mentibus addet.
Hanc partem Italiæ, bellóque, & pace potentem,
Imperio poſtquam patrio ceſſere Quirites,
Thracibus, & Tiberis dominatum amiſit auitum,
Externi tenuere duces. nos ante ſuperbo
Seruitio oppreſſi iuſsíſque, miníſque Getarum
Paruimus; nos ſæpe Arabum ſumus impia paſſi
Imperia, & victi pœnas expendimus Afris.
Poſtremò dum compoſitis iam rebus auaras
Graiorúmque manus, & mores ferre proteruos
Cogimur, atque animo placidas aſſueſcimus artes,
Extremis orbis gentes in finibus ortæ,
Inde vbi vicinam ſpectant Electrides Arcton
Inſulæ Oceano in magno, venere Chadeni,
Baſtarnæque truces, & fortia pectora Cimbri,
Quos patriæ, veterúmque ætas ignara locorum,
Nec tamen ignota terrarum à parte profectos
Noſtra hæc Normannos inuento nomine dixit.
Quippe ea gens Septem gelido ſubiecta trioni
Liquerat & campos, & inhoſpita ſaxa Chaluſi:
Ac poſt euerſas ipſis cum mœnibus vrbes
Gallorum, & miſeris paſſim viduata colonis

Rura,

Rura, ferox nostris regionibus intulit arma,
Nacta ducem magna virtute, & fortibus ausis
Tancredum præstantem, opibúsque, & sanguine clarum,
Et forma insignem, & numerosa prole beatum.
Namque illi fines, alienáque regna colenti
Bissenos natos fæcunda creauerat vxor,
Edoctósque sitim in syluis perferre, faméma que
Sæpe graues cœli tolerare coegerat æstus,
Sæpe etiam pedibus rigidas calcare pruinas,
Immanes dum luce feras, dum nocte sequuntur.
Ceu sus innumeros limo durata nepotes
Quæ post terga trahit, valles ingressa profundas
Decussæ ingentes glandis populatur aceruos,
Et procul inde vrsos fugat, & genus acre luporum:
Soláque fœcundæ saltus, & pascua syluæ
Insidet, atque epulis pinguescere pergit opimis.
Ipse etiam genitor natis comitantibus, omnes
Expulit obsessis Insubrum è finibus hostes,
Et vitreo quacumque vado Ticinus, & ingens
Eridanus, quacúmque vagus secat Ollius arua,
Abduáque, & tenuis gelido cum flumine Rhenus,
In leges iurare suas deuicta coegit:
Imposuitque iugum populis à littoris ora
Adriaci ad fines Samnitum, & ab amne Phiterno,
Quà fluit in longum regio ditissima, adusque
Hydrunti, & mollis cultissima rura Tarenti.
Nec satis hæc Siculos Afris extrema luentes
Supplicia, hinc vrbes, illinc populantibus agros

Defen-

Defendit, peditésque omnes deleuit, equósque.
Post etiam cæde ingenti congressus iniquas
Prostrauit turmas, & funere mersit acerbo
Innumeros: at tu dictis Argiue maneres,
Pactáque victrici deferres præmia genti.
Mox veteris custos moris, legúmque seuerus
Gessisti vindex regnum Roberte paternum:
Acri animo, claráque ingens virtute, tuáque
Ante alios omnes pietate insignis, & armis.
Brundusium tibi se terra oppugnata, maríque
Dedidit vrbs, Graijs longè discedere iussis:
Et tua Trinacrij venere in iura, fidémque.
Ac nisi mors tantis obsisteret inuida cœptis,
Victrices superata manus iam Thracia, idémque
Barbara seruitium quæ gens minitatur acerbum
Europæ (sic spes fuerat) sensisset, & arma.
Quorum adeò veriti virtutem animosus Acarnan,
Et latrocinijs, raptóque exercita pubes
Ætola, imperium dextræ subiere potentis
Vltro omnes, vltro inuicti sunt régia passi
Iussa ducis. verùm postquam discordia fratrum
Impulit inter se miseros concurrere ciues,
Desciuere omnes, & nos liquere rebelles.
Nam soboles natu maior Boemundus auita,
Et patria in primis nulli virtute secundus,
Haud æquo patiens animo, quòd frater ademptas
Ferret opes, regníque vnus poteretur habenis,
Italiam repetens victor dimisit Achiuos.

Ac

Ac nunc germani sæuo premit oppida bello:
Depopulatur agros: altæque in mœnia Melphes
Arietat, excidiúmque vrbi, populisque minatur.
Hos motus, ni fortè parum Deus obstet amicus,
Comprimere, atque iras primùm sedare necesse est:
Quando hic militiæ veteris graue robur, opésque
Ingentes, nec non classes, naualia, portus,
Vnde ad palmiferam facilis traiectus Idumem.
Vix hæc fatus erat æui maturus Alethes,
Cum sese ad templum victor Boemundus agebat,
Vota soluturus Diuo, quæ fecerat ante,
Nicoleo, vt caperet sine cæde, & sanguine Melphem.
Ergo aderat circùm ducibus stipatus amicis,
Et corde, & vultu quærens à numine pacem,
Suppositum genibus pressit puluinar, & ambas
Ad cœlum palmas humili cum voce tetendit.
O, qui coniectos Byzanti in vincla tribunos,
Damnatósque neci per fraudem, & crimen iniquum,
Seruasti incolumes, meritas tibi maxime grates
En agimus, lætique tuis aduoluimur aris.
At tu, sancte pater, si, quod te poscimus, æquum est,
Si iustum gerimus bellum cum fratre, piúmque,
Da positis odijs certo nos fœdere iungi
Concordes, sumptisque ambos discedere ab armis.
Hæc ille vt secum tacito sic ore precatus,
Surgit, & ex ebeno nigranti, albóque elephanto,
Quam mira Assyrius fabricauerat arte Phraates,
Et cocco, & denso famulus constrauerat auro,

Augusta sese sublimem in sede locauit.
Mox alij circum proceres capita ardua nudi
Stabant, incœptisque sacris intenta tenebant
Ora, sacerdoti linguisque, animisque fauentes:
Heroémque omnes Lyciæ, Pataræque potentem
Orabant humiles, ducis vt sine labe iuuentam,
Et vitam in longos facilis produceret annos:
Germanósque ira inter se, bellóque diremptos
Concordes stabili fratres sociaret amore.
Mox autem precibúsque pijs, sacrísque peractis,
Occurrit venienti vltro longæuus Alethes.
Inclyte rex Robertiades, tibi gratulor (inquit)
Victori: atque istam, peperit quam viuida virtus,
Lætitiam rebus nusquam variantibus oro
Perpetuam, vt dulci placitam cum pace quietem
Nactus, in externos vires, atque arma tyrannos
Conuertas, Graiúmque oras, & littora Thracum
Imperio adijcias, & barbara regna lacessas.
Quod virtus tua promittit: quod gloria gentis
Postulat, vnde genus iuuenis fortissime ducis.
Quódque adeò fuit inuicti cura vna parentis
Conficere, & regni longè producere fines
Ausonij: populisque feris imponere leges:
Iuráque nobilium reparare amissa Quiritum.
Nam memini, cum Tarpeia de rupe rebelles
Deiecit ciues victor, cæsísque maniplis
Henricum, fautrix cui tum Germania fasces
Detulerat, procul vrbe fugam celerare coegit,
Eximere

Eximere oppressum longa obsidione, metúque
Pontificem, sanctaque in sceptra reponere sedis:
Cuius ab auspicijs bello multo ante gerendo
Impositus, munúsque obiens insignis honoris,
Bis Venetos, bis secum ausos concurrere Graios
Contuderat, gemináque imo sub gurgite classes
Merserat; atque acie victor dimiserat Orco
Millia multa virûm: iámque affectabat ad oras
Byzanti festinus iter, iam Thracia vastis
Concipiens animis inuadere regna parabat.
Ipse ego, quem secum casus deduxit in omnes
Sacra ministrantem festis peragenda diebus,
Mirabar sublimem animum, mirabar & vnà
Ad decus intentum, stimulósque cupidinis acres
Egregiæ, & magnos curarum in pectore fluctus
Voluentem, quorum impulsu iam concitus ibat
Supra omnes, regnísque Asiæ, Libyæque ruinam
Molitus tacita capiebat gaudia mente.
Tum Robertiades lachrymis Boemundus obortis,
Hæc, ait, hæc nobis, quæ nunc, pater optime, narras
Nota nimis, sempérque animo genitoris imago
Fixa hæret iusta in Thraces capere arma monentis,
Atque Asiæ campos bello vastare iubentis;
Nec semel ante oculos in somnis constitit ipse,
Qualis erat, faciéque minax, vultúque seuerus,
Oppida cum prostrauit humi Taulantia, & arces,
Altáque Dyrrachij subuertit mœnia victor:
Aut cum Cassiopes moriens propè littus, acerbæ

Cassiopes littus, cunctarum infame sepulchrum
Virtutum, extincto quæ tum periere parente,
Mærentem dictis consolabatur amicis.
Nate, tui effigies, & spes fidissima patris,
Nate Italis, nate externis exercite bellis,
Tantorúmque adeò socius, testisque laborum,
Quos ego suscepi, quos nunc ego linquere cogor
Effusos (sic certa Deo, stabilisqúe voluntas)
Ipse vides, alacres quàm te comitentur euntem
Ferro accinctæ acies, quámque vndique circumsistant
Agmina multa virùm, & nostri studiosa iuuentus
Nominis, obscuræ iampridem inimica quietis.
Hæc tibi pacatis, qui nunc obstare videntur,
Hostibus, ingentem summis heroibus addet,
Imponétque sacrum capiti gauisa tiaram:
Quem modò longinqua Deus in regione paratum
Seruat, & impensè per mille pericula rerum,
Pérque adeò varios casus; duròsque labores
Quæsitum, si vera olim mihi numine plenus,
Afflatúsque Deo cecinit longæuus Ionas,
Spectabunt læti prouecta ætate nepotes.
Hæc pater ingenti natorum accensus amore,
Ne regni causa Italici discordia fratres
Diuideret, viresque absumeret inuida nostras.
Quamquam, o, sed noxæ, quarum persoluere pœnas
Cogimur, innumeræ mentémque, animúmque benignum
Auertere Dei: qui nos amittere passus
Propterea tot regna armis quæsita, manúque

Inuicti genitoris, auitæ & robora gentis:
Verùm hæc, sancte senex, vni cui cura piandi
Flagitia, & summi placandi numinis iram
Credita, si precibus non dedignabere castis
Exorare Deum, nostri, vt rerúmque misertus
Extinguat clemens tanta hæc incendia regni
Ausonij, & cœpti discordia semina belli:
Idem etiam fortasse viam monstrabit, & altum
Sternet iter, sceptra euertens Orientis, opésque.
Vix hæc desierat fari, cum magnus Alethes
Subijcit: O ingens patris decus, ò noua gentis
Gloria, quæ nam in te regum fortissime primùm
Laudarim? pietatem animi, robúrque iuuentæ?
An belli audaces, an pacis amabilis artes?
Omnia quæ pariter seclis venientibus ætas
Suspiciens, pariter magnum super æthera tollet,
Et tibi diuinos famæ instaurabit honores.
Non temerè, astutève aliquid fortissimus heros
Ipse tuus genitor, quòd veri effœta senectus
Acta metu solidas animi languescere vires
Senserit, extrema est titubans in morte loquutus.
Namque eadem ætatis sublimina prima ruentis,
Cum belli arderet studijs, persæpe canebat
Ista mihi de te puero: non Appula tellus,
Non & Iapygiæ, quæ Daunia finibus hæret,
Iam capere hunc possit, cum primùm adoleuerit, & se
Nouerit haud vsquam patriæ virtutis egentem.
Et nunc si veri quicquam mens augurat, ingens

Tantarum nobis rerum est oblata facultas.
Namque hic adueniens Solymorum nuper ab oris,
Iudaea ex media ciet alta ad praemia reges
Ausonios, totámque Asiam promittere praedam
Non dubitat populorum vno vox ore vocantum
In regna, & dominos cupientum expellere Turcas.
Haec memorans, ardorem animis iniecit, vt vltro
Christicolûm cuperet narrantem audire labores.
Nec mirum: namque ipse Deus, qui pectora regum
Vnus obit, sensúmque mouens alternat, & vrget,
Iamdudum mentem diuino afflauerat aestu,
Insuetóque imas accenderat igne medullas.
Ergo ait, O vtinam summi regnator Olympi
Haec inter reges componat foedera, & acres
Excitet Europae populos, quos conscia virtus
Ipsa sui stimulet tam iusta in bella, feróxque
Sponte sua pubes raptis sese induat armis.
Ipse ego, quem praesens germani iniuria versat
Immeritum, propriísque palàm deturbat ab agris
Haeredem, & summo secum contendere iure
Cogit, vt armatis in mutua vulnera dextris
Fraternos Italo foedemus sanguine campos,
Victas dedo manus victor, regnísque paternis,
Si modò quod memoras, hospes venerande, sequatur
Foedus amicitiae, iam nunc discedere certum est.
Sin autem secus ac volumus, res cesserit, & nos
Exitus ingenti de spe deiecerit omnes,
Tum tu Pontificem Romae exorare memento,

Litibus

Litibus imponat nostris finémque, modúmque,
Suscipiens vno dignam se iudice causam.
Quoque id commodius, nisi fortè indebita posco,
Conficias, certos nostra hac ex vrbe legemus
Quàm primum, tecum quos dimittamus amicos,
Componi orantes constanti fœdere pacem.
Interea (neque enim tantis conatibus instes,
Illorúmque expers hominum, ignarúsque locorum,
Quique adeò teneant Asiæ vel regna, vel vrbes
Vndique præsidijs, & multo milite vinctas)
Dic age, nec cupidis notæ tibi nomina gentis,
Cuius ad hoc tenuis famæ loca peruenit aura,
Auribus inuideas, quique arma capessere contra,
Qui conferre manus, qui bello audere ferantur.
Hæc Robertiades Boemundus. at inclytus hospes
Ex alto repetens diri primordia regni:
Expulerat Parthos armis victricibus, inquit,
Imperij fines adoriri Heraclius ausos,
Auxilio populorum vsus, quos incola terræ
Arabiæ felix proprio de nomine dictos)
Ipsa suo quondam Romana in prælia misit.
Militiæ sed enim postquam, morúmque periti
Bellandi cunctas didicere artésque, dolósque,
Ingentique æstu, atque insueto frigore corpus
Durarunt, hostésque sua virtute subactos,
Disiectósque duces, desolatósque maniplos
Videre, & mœstas vertère in terga phalanges,
Desciuere fide, séque adiunxere volentes

Imperijs Arabum, tum primùm in bella secuti
Abdaridem: quo non alter versutior vnquam,
Seu sit opus aut varias populis intexere fraudes,
Deceptásve semel compellere ad impia mentes,
Euersorem Asiæ, portentum immane, luémque
Excitam barathro, qui verum è pectore cultum,
Inque Deum pietatem omnem subuertere doctus,
Et miseros imis animos damnare tenebris;
Dum simulat sese venienti numine totum
Afflari, mentémque Deo, sensúsque teneri:
Ilicet ingenti turbæ rudis auctus opum vi
Ægyptum aggreditur, Syriámque in iura, fidémque
Cogit, & euersos Persas bellóque, faméque
Occupat, ac miseris ritus describit habendos
Sacrorum, & faciles infanda ad crimina leges.
Inde igitur firmis legionibus vndique septus
Iudæam inuadit, Solymósque oppugnat, & vrbis
Mœnia, deiectis passim custodibus, atrox
Æquat humi, populósque pios obtruncat, & ædes
Templáque, quæ CHRISTO *trāsacta dicauerat ætas,*
Excindit, sacrátque sibi, prho dedecus, aras:
Infandas aras illic, vbi nuper IESVS
Vera Dei soboles, summique exemplar amoris,
Ad cœlum monstrarat iter, sublatus iniquis
Iudicijs, duræque cruci data victima, primi
Morte sua luerat peccatum immane parentis,
Infernásque domos victor recluserat: illic
Fundamenta iacit diri teterrima ritus.

Vlla nec immemores etiam dum cura nepotes
(Heu labem sceleris numquam vlla in gente relictam)
Tangit, & in populos vindex agit ira rebelles.
Sexcentos iam capta annos infamibus aris
Seruit adhuc Solyma, & culta in conualle Damascus.
Nec pudet egelidi Daphnen ad littus Orontis,
Quæ populos CHRISTI *de nomine prima vocauit*
Ausa suos, necnon Biblon, Sidona, Tyrónque
Oppressa ceruice iugum perferre, suáque
Desperare omnes de libertate: nec vllam
Partem Asiæ, magna quæ non ditione prematur
Turcarum, atque Arabum: Quando gens illa nefanda
Acta fame quondam Scythiæ deserta reliquit,
Et vitæ ingrato quærens alimenta labore
Ipsa suas operas Persis famulata locabat.
Sed simul ac iuuenum cœtu florere, virúmque
Cœpit, & instructas potuit secernere turmas,
In dominos ausa est proprios conuertere dextras,
Atque acie fusis patrias imponere leges.
Sic Medos, sic Armenios, Cilicésque feroces,
Et Lycios, Lydósque manu superauit, & audax
Intulit arma Arabis. nec erat tum viribus æquis:
Congressi tamen in pugnam, séque inter adorti
Discessere pares, fœdúsque his legibus ictum:
Esset vt his idem, atque illis Deus, impius idem
Cultus, & Abdarides vnum modo numen vtrisque.
Ac veluti par acre canum, cum valle latentes
Impulsi quærunt odijs immanibus apros,

Sæpe illi inter se rixam committere sueti,
Ambo animis paribus, paribúsque ætatibus ambo,
Vndantes cohibent irarum in pectore fluctus,
Donec ad expositæ direpto in tergore prædæ
Peruenere dapes. subitas ibi protinus acti
In furias, pedibúsque pedes, atque oribus ora
Impliciti dubiæ ruperunt fœdera pacis;
Alter in alterius fauces, iugulúmque ruentes
Mutua vulnificis laniarunt dentibus artus.
Atque hic ipse Asiæ status est: hæc denique rerum
Cunctarum facies, dux inuictissime, quando
Iamdudum imbellis sua iura amisit Alexis
Graius; & imperij vix ipsum à finibus arcet
Irrumpentem hostem flumen Tanaísque, palúsque
Mæotis, Pontúsque ingens, & Bosphorus, & quæ
Influit Ægæas dimissa Propontis in vndas.
Quem tamen Europæ si pars coniuret, opémque
Afferat & regno, sæuaque tyrannide pressis,
Præcipitémque, actúmque procul fugere inde videbis
Ad montes Scythicos, atque incunabula patrum,
Rursus & in cæcas Arabum remeare cauernas.
Nam quis tam timidus, quem desperare coactis
Non pudeat tantis populorum viribus ipso
Defensore Deo? cuius si certa voluntas
Christicolûm rebus non aduersata fauebit,
Ipse ego mille acies peditum, mille agmina solus
Contemnam, aeriásque suis cum molibus arces.
Dixerat, atque animo voluentem talia regem,

Ararum,

Ararum, & populi custos compellat Alethes:
Optime dux Italûm, seclis decus addite nostris,
Quem modò stelliferi moderator maximus orbis
Opportunum ad nos, ipsóque in tempore misit,
His tectis quamquam angustis, quamquam hospite tanto
Indignis, pater ipse tuus successit, & altæ
Victor Iapygiæ nostra hæc ad limina adibat,
Et tenues mensas, & res dignatus egenas.
Tu quoque si contemnere opes, luxúsque beatos
Nunc potes, ingreditor nostros, Boemunde, penates,
Et dapibus lætus iamdudum accumbe paratis.
Sic ait: actutúmque hilares ex æde profecti
Vnà omnes abiere domum senioris Alethæ.
Hic ipso in medio, quò se spatiosior aula
Explicat, antiqua ex cedro, læuique cupressu
Induerant mensas niueis mantilia villis;
Et mira picti pendebant arte tapetes
Parietibus: quippe impositas ex ordine plagas
Ægypto textrix depinxerat æmula. primùm
Flumina purpureo currentia tota cruore,
Sanguineos etiam riuos, & stagna, lacúsque.
Præterea (horrendum visu, & miserabile) siqua
Vasa domi priuos olim seruantur in vsus,
Omnia cernere erat tetro fluitantia tabo.
Stratáque mox querulis ranis adoperta viarum,
Obsessásque fores, obsessa cubilia, nec non
Consumptum omne penus turba accedente loquaci.
Ipsi etiam culices tellurem, atque aera magnum
Complentes,

Complentes, hominúmque genus, iumentáque passim
Lædere, & impressis maculosos dentibus artus
Liuere: ac magnas muscarum implere cateruas
Atria nobilium, thalamósque, aulásque patentes:
Quadrupedésque feras grassantem extinguere pestem:
Vlceribus periisse homines, periisse videres
Quicquid habet pecudum regio ditissima Nili:
Vsque adeò magnæ magni stant cædis acerui.
Post quæ fulminibus summus circumsonat æther;
Verberat & grando sata læta, boúmque labores;
Et subiti è densis descendunt nubibus imbres;
Pinguiáque innumeræ populantur rura locustæ:
Quæ virides auido segetes absumere morsu
Pergentes, strictim detonsa noualia linquunt.
Parte alia cæcæ nigra caligine nubis
Contectas terras credas horrere perennes
Æternæ tenebras ventura in secula noctis.
Postremò, quæ prima vsquam sunt edita primis
Partubus, & prima in lucem venere, diémque;
Siue sit ancillæ, seu regis amabile pignus,
Seu pecudum fœtus, miserè sublata iacebant:
Turbáque Pellæi luctum male sana Canopi
Miscere, & tantis hærere incredula monstris.
Hæc dum oculis, animóque ingens simul hospes, & heros
Mirantur, pueri magnis à patribus orti
Dant manibus lymphas, & candida lintea puris.
Tum verò supplex animis, atque ore sacerdos
Adstitit, inque preces solemnia verba resoluit:

Summe

Summe Pater rerum, nobis qui cuncta benignus
Suggeris, & varias largiris egentibus escas,
Adsis ô præsens epulis, & numine lustra
Ipse tuo hunc cœtum, & castæ conuiuia mensæ.
His dictis sedere omnes, dapibúsque paratis
Iniecere manus, lætique medentia siccis
Faucibus hauserunt generosi sobria vini
Pocula, festiuo tempus sermone trahentes.
Interea cithara præstans Minturnus eburna,
Minturnus, quem Fibreno cum flumine Liris,
Dum fugit exosus nemora inter opaca profana
Antiquos ritus, & sacra horrenda Maricæ,
Miserat instructum numeris, atque arte magistra,
Inuicti cantat laudes, & maxima Mosis
Facta ducis, tacitósque ortus, vt conditus alueo
Pertenui, in summo primùm fluitauerit amne:
Vt puerum virgo sæuo prognata tyranno
Regia seruatum matri mandarit alendum:
Vtque domi acceptum, postquam primoribus annis
Accessere dies, ceu natum amplexa, fouénsque
Ingenti cura, studióque eduxerit omni.
Addit & Ogygium cum ferro obtruncat, & alta
Littore Niliaco contectum occultat arena:
Cum fugiens odium sæui Pharaonis, & iram
Tutus ad Arabios se contulit aduena fines:
Et magno genitas septem Raguele puellas
Tutatur præsens, sumptisque vlciscitur armis
Solus, & infestos fugat ipso à fonte latrones.

Inde autem, iußúque Dei, monitúque reuersus
Ægypto in media sumpta miracula virga
Edit, & Isacidas miserè seruire coactos
Eximit imperio dominorum; atque amne relicto
Arsinoe oppositam ad ripam deducit ouantes.
Intentánsque manu non enarrabile rami
Robur, Erythræas vndas disiunxit ab vndis:
Littoréque aduersò potitur; quem ponè sequentes
Currúsque, & turmas equitum, peditúmque cohortes
Demergunt fluctus, coeuntiáque æquora in vnum.
Hæc vates. citharámque vnà cum voce repressit.

PETRI ANGELII BARGAEI

SYRIADOS LIBER II.

AVREVS interea medium ſuperauerat orbem
Phœbus, & Oceani properans vergebat ad vndas,
Cum ſic ad regem ſenior conuerſus Alethes:
Quod felix, fauſtúmque tibi, Boemunde, tuiſque,
Europæque, Aſiæque omni, Libyæque patenti,

Iamdudum

Iamdudum aspicimus tanti primordia belli,
Vt volumus: résque ipsa suo se pondere librat;
Et precibus nostris placidas Rex magnus Olympi
Aduertens aures, iam nunc fore monstrat, vt olim
Ipse tibi manifesta volens hæc omina firmet,
Tantorúmque operum præclara incepta secundet.
Ergo age (quandoquidem melior pars acta diei
Admonet haud longè terris instare tenebras
Noctis, & Hesperio properare à littore somnum,
Nec cœnæ dum tempus adest) in tecta vocari
Nostra iube lectos, quos mens tua destinat vnà
Ire viros, almam cumprimùm crastina lucem
Aurora extulerit, vegetósque è mollibus artus
Ingressurus iter stratis erexerit hospes.
Tum Robertiades vultúque, & pectore lætus:
Ista, inquit, mihi, sancte senex, tam grata voluntas,
Quàm quæ olim votis rerum prosperrima nostris
Eueniunt, faustísque preces successibus æquant.
Namque ego dum tantam tacitus mecum ipse reuoluo
Hanc curam, & partes vrbis conuertor in omnes,
Te solum statuo, molem qui muneris huius
Ingentem subeas, qui nostra fidelis ad aures
Pontificis mandata feras, ac protinus vni
Polliceare fidem, dextrámque ad iusta paratam
Arma: modò hæc reliqui veniant in fœdera reges
Gallorum, quos ille adijt digressus ab vrbe
Nuper, vt Abdaridem cunctos accendat in hostem.
Quóque id commodius confectum ex ordine reddat,

Concilium in medijs nunc primùm indicit habendum
Aruernis; regésque illuc, populósque vocari
Imperat, & magni proponit præmia facti
Ipse mihi præsens præsenti ingentia, fratrem
Dum pacat, mentémque vnam conatur vtrique
Addere, & æternæ calcaria subdere laudis:
Omniáque incassum. nam nos discordia demens
Impulit infecta tristem dimittere pace.
Nunc autem, quando hæc certo sine numine Diuûm
Confieri nequeunt, & iam via lata patescit
Hostis ad excidium Schytici, Solymæque salutem,
Ite animæ illustres, quas hic coniunxit in vnum
Æterni patris vis, atque immota voluntas.
Ite illuc celeres, postquàm lux tertia Solem
Extulerit terris, & me fore dicite iussis
Parentem, atque vltro subeuntem pondera rerum
In partem, & cunctas ad tanta incœpta paratum
Fundere opes, nostri neruos, & viscera regni.
Hæc ille: &, noctis cum iam pars prima sub vndas
Oceani stellas secum deuexa tulisset,
Cænati seræ se composuere quieti.
At non & Petrus, non & longæuus Alethes
Per membra, atque artus dulcem fudere soporem
Ante, pias quàm mente preces, & voce tulissent,
Æternum numen concepta in vota vocantes.
Interea roseis Aurora inuecta quadrigis
Fluctibus ex alti surgit maris, & sua cœlo
Astra fugans, retegit montes, campósque patentes:

Primáque sollicitis hominum corda anxia curis
Excitat ad varios terræque, marisque labores.
Illi igitur, postquam venientem à limine regem
Voce salutarunt humili, lætúmque precati,
Felicémque diem, prior est ita fatus Alethes:
Quod mandas, fieríque iubes, rex optime regum,
En tibi præsto adsum, nec me longæua senectus
Effætæve queunt incœpto auertere vires:
Conatum modò respiciat dominator Olympi
Hunc nostrum; & rerum euentu fortunet euntem.
Interea (nisi fortè aliter videatur) ad aram
Nicoleo sacrum fieri de more iubendum est:
Quò communis amor, natíque, patríque supremi
Spiritus, à nobis in vota, precésque vocetur,
Allaturus opem linguæ, cum facta potestas
Dicendi fuerit, tua cum mandata referre
Pontifici heroum medijs in millibus vnus
Cogar inops animi, longóque infractus ab æuo.
Ille mihi persæpe alias præsénsque, volénsque
Affuit oranti, dulcésque ex ore loquelas
Extudit, & voces, quibus impacata Pelasgum
Pectora lenimus, populóque auertimus iras
Immanes, vllis opus insuperabile verbis.
Usque adeò magnum est diuina afflarier aura.
Hæc ait. & regem præeuntem ad templa secutus,
Primùm ambas de more manus lauit, induit ambas
Purpureis plantas soleis: obnubit amictu
Candenti caput, & latos circumtegit armos,

Inque

Inque crucem filo pectus super impedit acto:
Cui Pelusiaci talos currentis ad imos,
Inque sinus laxè byssi spatiantis honorem
Addit, & adducta cohibens premit omnia vitta.
Tum vero è collo tactum prius ore, labrisque
Demittit venerans limbum, quem sedula textrix
Ternarum spatijs crucium distinxerat æquis.
Postremò horrentem multo superinduit auro,
Et diti Serum contextam è vellere vestem.
Mox niueum tegmen, gemino cui vertice duplex
Surgit apex, gemmisque procul radiantibus ardet,
Protinus imponit capiti, quo tænia subter
Demissa hinc, atque hinc pendet breuis. inde precatus
Æternum numen, labentem desuper auram,
Sanctam auram, communem auram Natique, Patrisque
Toto animo, tota fundit pia murmura mente
Cernuus, & verbis, precibúsque potentibus ipsum,
Ipsum vnum presso ore Deum, cui pontus, & æther,
Cui parent elementa, vocat: venit ille vocatus
Cæleste in crustum, & donum (admirabile) Noæ.
Inde autem postquam precibus, sacrisque litatis
Casta sacerdotum series præcessit euntem,
Succedunt proceres, mox turba incondita vulgus,
Longæuique senes, nec non longo agmine matres
Omnia succensis illustrant compita flammis:
Densa diem, Solémque suum funalia vincunt.
Ille Deum, genitúmque Deo, sanctámque parentem
Voce vocat, cælóque animas, mentésque receptas,

 Ordine

Ordine quamque suo: vocem chorus omnis eamdem
Vnà iterans implorat opem, qua labibus olim
Placatus nostris, oculos mortalibus æquos
Aduertat miseris alti regnator Olympi.
Hæc postquam repetita, die sanctéque, piéque
Altera, & alterius festo lux agmine vidit,
Rege salutato senior discessit Alethes,
Nobilium in primis iuuenum comitante corona.
Quáque adeunt, certis implent rumoribus vrbes,
Oppidáque Italiæ: bellum exitiale parari
In Turcas, Arabásque feros, diuinitus actam
Aduenisse diem, pœnas cum penderet hostis
Sacrorum, ararúmque Dei, cum libera collum
Exueret Solyme, flueret iam maior Orontes,
Ac cælo grates ageret Nicæa, Tyrúsque.
Daunius hæc primùm, quà panditur Appula tellus,
Audijt, & pelago quæ brachia porrigit Ancon,
Diues opum, diues pictai vestis, & auri.
Nec non & bellum Rubicon indicere suetus
Hostibus imperij, sed nunc ciuilis amator
Dissidij, & patrio qui sanguine fœdus abundet.
Quin pater Eridanus, populi quem mille fluentem
A dextra, læuáque colunt, qui dissecat arua
Insubrum, superúmque rapax defertur in æquor,
Talibus impulsus monitis commouit ad arma
Ipse suos, miróque animos calefecit amore
Bellandi, atque Asiæ campos, Syriæque videndi.
Mox & Inalpini fama inflammantur eadem,

Allebro-

Allobrogésque olim rebus gens læta nouandis
Illa quidem, sed nunc regum studiosa suorum.
Ergo vbi iam Graias horrendi verticis Alpes,
Duráque piscosi superarunt saxa Lemani,
Quáque Araris, Rhodaníque vnà se flumina iungunt,
Accelerant gressus; Nannetúmque arua petentem,
Et cursu ingenti certantem, atque amne Garumnæ
Transmittunt Ligerim, & celebri clarissima fama
Mœnia, quæ gelidis Elauer præterfluit vndis,
Adueniunt, rigidi subeuntes ardua montis.
Huc Latiæ Pater excelsæ qui præsidet arci,
Terrarúmque omnem moderatur legibus orbem,
Accierat reges, populísque æterna ferentes
Iura sacerdotes, quicumque ad munia Belgas
Sancta vocant, quicumque viam, quæ tendit ad astra,
Ostendunt medijs inter vaga flumina Celtis.
Huc vbi Iapygia venisse ex vrbe profectos
Audijt ad sese summus Pater, ilicet omnes
Imperat hospitio recipi, paucósque moratus
Inde dies, dum se longo recreare labore
Possent, & memori mandata reuoluere mente.
Mox autem rerum custodem in tecta senatum
Aduocat, atque vna seniorem accersit Alethem.
Conuenere patres, lectissima corda, suáque
Vnanimes clara sublimem in sede locatum
Pontificem densa circumsedere corona.
Affuit & procerum virtus, & maxima vulgi
Vndique conuenit vis inconsulta, procáxque.

Ac veluti ingenti vitiosæ ex ilicis alueo,
Corticibúsque cauis densæ simul vndique nubes
Egrediuntur apum, volitántque ad florea Tempe,
Rura cateruatim nusquam tamen vna petentes;
Sed varios vario populantes agmine saltus.
Haud aliter quicumque vrbem, quicumque colebant
Aruernorum agrum, diuersa è parte ruebant
In tecta; & sacri palatia celsa senatus.
Protinus ingenti strepitu completa remugit
Regia: & insueto gemuit sub pondere tellus,
Puluereámque altum prorupit in aera nubem,
Dum teritur pedibus venientum, & pressa fatiscit:
Quorum alios properè ingressos spatiosa recepit
Aula, alij sub porticibus consistere iussi
Vestibulum ante ipsum. creber nam rumor ad aures
Iamdudum acciderat cunctorum, ab Iapyge rege
Mitti oratores, longinquáque bella parari.
Ergo vbi consessu in medio data copia fandi,
Atque alij tacuere omnes, sic infit Alethes:
O Pater, ò custos populorum, ò maxime, cuius
Discedens terris, qui nunc tenet ardua cœli
Astra Deus, certæ voluit committere curæ
Cunctorum, quicumque aura vescuntur inani
Christicolæ, ritúque pio assueuere, salutem;
Venimus extremis Daunorum à finibus vsque,
Emensi Italiæ campos, cœlóque minantes,
Et glacie rigidas, niuibúsque perennibus Alpes:
Venimus huc celeres, iussit ceu maximus armis,

Maximus

Maximus imperio, & pietate insignis, & vni
Ipse libens tibi qui sese, & sua regna suósque
Subijcit, & fasces vltro, sæuásque secures
Roberti proles magni Boemundus auitas:
Quas Siculi, quas Ausoniæ pars maxima, quásque
Illyrij, Graijque omnes venerantur, & horrent.
Ille dare in primis sua nos hæc oscula iussit,
Quæ damus, & sanctis aduoluimur vsque volentes.
His pedibus, corámque genu Sanctissime flexo
Numen adoramus præsens, quo limina cœli
Clausa pijs aperis, & aperta nocentibus obdis
Certus, itérque hominum nullo reparabile nisu
Obstruis æternùm, sontésque ad tartara trudis
Impia, vbi certæ certam spem quisque salutis
Abijcit, & lento consumitur impius igni.
Mox si fortè aliquas generosi pectoris iras
Excitat exoriens Persarum in finibus hostis,
Dum cladem Europæ infandam, exitiúmque minatur,
Dumque aras, & templa Dei, dum funditus imis
Euersurum animis veræ pietatis honores
Sperat, opes Asiæ latè populatus, & vrbes;
Hoc vno si fortè metu, quo certius vllum
Haud turbare potest mentes, animósque piorum,
Sancte pater (ceu fama refert vulgata) moueris,
Ipse opibus regni, quascumque habet, ipse vetustæ
Militiæ cunctis se viribus adiuturum
Conatus, nullásque vices bellique, domique
Vitaturum vnquam spondet, modò iusta parentur

 Arma,

Arma, quibus Turcarum acies, Arabúmque rebelles
Perdomitæ nostris cedant legionibus agros,
Oppidáque, & populos, quorum ceruicibus hæret
Turpe iugum, pater, an potius miserabile dicam?
Dicam vtrumque equidem, nec dicto ludar inani.
Ecquis enim nescit nostrorum crimine patrum
Creuisse, & partis Latium spoliasse trophæis?
Dum se desidiæ dedunt, dum corpora bello
Fortia desuescunt, dum se somnóque, cibóque
Eneruant, odijsque animos ciuilibus implent:
Sic strauere viam, quà nostra inuaderet audax
Hostis, & Ægæas sese penetraret in oras,
Et campis Asiæ, & Libyæ poteretur opimis.
Ac nunc ille quidem Solymæ (proh dedecus ingens)
Regnat ouans, Christóque Deo multo ante sacratas
Funditus euertens (quæ quis tristissima fando
Temperet à lachrymis?) tolli iubet impius aras;
Próque aris, templisque, suis stabula alta reponit
Dirus equis, nostro quos sanguine pascat, alátque;
Fretus vt ijs miseras misero premat vndique gentes
Seruitio, & dura iam compede vinciat orbem
Terrarum, ac media dominum se sistat in vrbe,
Pressurus mox colla iugo tibi Galle, tibíque
Germane armipotens, tibi dulcia pignora natos
Ablaturus, vt in mores, ritúsque nefandos
Conijciat, castásque nurus, tenerásque puellas
E gremio matrum raptas ad stupra reseruet.
Et, quos ad laudem, & decora alta Britannia, quósque

Ausonia,

Ausonia, & felix ad spem virtutis auitæ
Europa extulerat mater, nec ad vlla crearat
Seruitia, & labes, ignominiosique vitæ
Dedecora, ingenuos ollis abolentia fastus,
Et quicquid virtutis habent à stirpe relictum,
Ad sese abductos (heu dira opprobria) cogat
Iungere semiuiros obscœna, incestáque lecti
Fœdera, vel Caribus lixis inhonesta, Syrísque;
Membráque præduris sectos persæpe flagellis,
Aut foribus vigiles astare ad limen, herilisque
Obseruare oculi nutus, & verba potentis;
Aut ancillarum conclusos molibus altis
Custodire greges, quibus improbus ille tyrannus,
Ille Dei, nostrúmque hostis teterrimus omnium
Præficit exectos ad munia fœda ministros,
Et tamen haud magnum fuerit vicisse superbos,
Elatósque animis populos, vbi vincere sueta
Assuetas vinci nulla formidine gentes,
Illa olim redeat nostra in præcordia virtus.
Namque Itali si fortè duces, acrésque Britanni,
Et Galli coëant vnà socia arma ferentes,
Séque adeò in priuas acies, priuósque maniplos
Singillatim omnes populi secernere pergant,
Abdaridas quoties in pugnam, atque arma vocarint,
Præstabunt numero; quamuis certamine in ipso
Priuæ acies priuos adeant peditésque, equitésque.
Ergo age sancte Pater, quoniam, quod poscere votis
Tota videbatur iampridem Europa, quierunt

Mota odijs inter populos ciuilibus arma,
Et se cessurum fratri Boemundus auitis
Finibus imperij spondet, regnisque paternis;
Scilicet & circum florenti milite septum
Aggressurum armis Asiæ, si iusseris, oras:
Vel quemcumque pio statues præponere bello,
Illius auspicijs in prælia semper iturum:
Aggredere ingenti dignum pietate, quod vlla
Non abolere dies, memorique euellere mente
Possit opus; non vlla animis delere vetustas:
Vel si se toto permisceat æquore tellus,
Et rapidis summus conflagret ab ignibus æther,
Absumens aui monimenta æterna prioris:
Aggredere ò pater, atque Asiæ miserere, tuum quæ
Auxilium implorans, ad te post funera mille,
Mille hominum cædes, & versas funditus arces
Confugit, & supplex oculis te respicit vnum,
Vnum orat Solymæ plebes miseranda, quòd hosti
Seruiat Abdaridæ, quòd iniqua facessere iussa
Cogatur: sed quæ nil ferre dolentius vmquam
Posse putet, quàm quòd dominis seruire profanis
Illam vrbem videat, cuius nulla orbita, nulla
Sint loca, quę CHRISTVS *pedibus nō presserit, & quæ*
Non habeant nostræ vestigia fixa salutis.
Hęc Boemundus, & hęc Syrijs qui nuper ab oris
Nuntiat adueniens grauia, & miseranda relatu
Cuncta quidem, sed longè ipso teterrima visu;
Ac se pręsentem præsens vnum omnia sępe

Perpessum,

Perpessum, & flagris cęsum seruilibus artus
Testatur, dum sancta pius loca visit, & arę
Adsistens humilis diuinum numen adorat,
Hic vester, vestra in patria iam natus, & altus,
Ciuis, & à puero sanctę vetus incola eremi.
Hęc postquam fari desit grandęuus Alethes,
Cunctorum assensus procerum, vulgique secutum est
Murmur, vt Alpinis cum flabra increscere syluis
Incipiunt, pulsúmque aura nemus omne remugit.
Vtque etiam Zephyrus tumidum cum verberat ęquor,
Exagitátque ruens fluctus stridentibus alis,
Scinduntur spumę, & scopuli sparguntur acuti.
Atque aliquis prope se stantes affatus amicos:
O vtinam vera vt nobis oracula fudit
Iste senex, ita Pontifici videantur, & omnis
Protinus Abdaridas Europa armetur in hostes.
Hæc ille. ast alter: Subeat modò pectora talis
Cura patrum, me me in partem misisse pericli,
Communique operam iuuet impendisse labori.
Sustulit inde oculos summus pater, atque verenda
Maiestate manus agere alta silentia iussit:
Oráque prolixa penitus canentia barba,
Et multis longæ rugis inarata senectæ
Vertit ad affusam vulgi, procerúmque coronam;
Atque hæc sedata mœstus sic voce locutus:
Non his, ò procerum lectissima pectora, quæ nunc
Audistis, resonant primis conquestibus aures
Nunc primùm: fletus quoniam, lachrymásque dederunt

Sæpe

Sæpe aliàs oculi, & luctu mens victa resedit
Ipsa suo, dum mœsta nihil superesse videret,
Auxilium vnde aliquod miseris afferret, opémque:
Tanta olim populos discordia, tantus vbique
Seditionis amor reges in bella vocarat;
Quorum armis, quorum in primis virtute decebat
Defendi imperij fines: procul vndique pelli
Abdaridas; Solymæ ius libertatis ademptum
Restitui; soluique metu surgentis ab ortu
Scilicet, inque caput nostrum sine more ruentis
Turbinis, horrifica postquam cecidere ruina
Omnia, quæ medij disterminat vnda profundi,
Oppida, & Europa longè discludit ab alta.
Sic tibi, summe Deus, scelerum certissime vindex,
Cunctorúmque operum iudex æquissime, visum.
Nunc autem quoniam, quod nec conatibus vnquam,
Nec votis cessit nostris, quod oportuit, vllis,
Vnanimes vincit felix concordia fratres,
Ausonijs quorum latè dominatus in oris,
Gratia magna tibi regum Deus armipotentum,
Mentibus infundis cæcis qui lumen, agísque,
Et cohibes, quandoque libet, populósque, ducésque.
Magna quidem sese rerum, atque inopina facultas
Offert, ò dubij fidissima robora belli,
O gens armorum studijs exercita Galli;
Qua cupidè arrepta, quis non intelligit vnis
Cessurum tanti decus indelebile facti:
Cum præsens Gallos, cum sera fatebitur ætas

Eiecisse

Eiecisse Asia è media, corda impia, Turcas:
Cúmque vrbs sancta Dei Solyme, cum diues Idume
Iuris facta sui dicet, se fortibus ausis
Deberi vestris vestra virtute redemptam?
Gallorum proaui dextris victricibus vsi,
Atque animis nullum docti præstantibus vsquam
Posse iter occludi, quamquam insuperabile, quamquam
Rupibus obseptum vastis, atque vndique tutum
Defensore suo; tamen hi magnámque, bonámque
Italiæ partem quondam tenuere, colonis
Eiectis, qui tunc illic habuere; marísque
Ionij superum permensi classibus æquor,
Substructam Delphis mendacis Apollinis ædem,
Ædem auro, & gemmis nitidam, sectóque elephanto
Conspicuam, & positis opulenta sacraria donis,
Vertère in prædam: & populos vno agmine adorti
In media potuere Asia componere sedes,
Induréque æternum victis de nomine nomen.
Et quota Gallorum pars tum fuit illa iuuentus?
Nec numero certè vobiscum æquanda, nec armis:
Nec pariter belli dubijs exercita rebus,
Sed vaga, & imperijs ductorum incommoda pubes.
Adde quòd auspicijs falsorum impulsa Deorum,
Finibus egressa è patrijs aliena subegit
Regna tamen, domuitque viros feritate tremendos.
Vos, quibus ante alias summa est præstantia gentes,
Siue animos, siue egregias spectabimus artes
Militiæ, & firmas robusto in corpore virès;

Vos,

Vos, victor quibus ipse Deus, Deus ipse præibit
CHRISTVS ouans, circúmque atra formidine cinctus
Fulguráque, & rapidas demittet ab æthere flammas
Hostilem in turmam, inque acies, inimicáque castra;
Vos cultu gens vna pio gratissima cælo,
Natam in seruitium gentem, atque infensa Tonanti
Mancipia, è Scythicis nuper digressa cauernis,
Non modò regna metu vestra vt soluatis ab atro
Omnibus instantis tam dira à gente pericli;
Vestra sed vt virtus miseranda ergastula frangat
Christicolis Asiæ, Libyæque patentis alumnis,
Inuasisse pio dubitabitis impia bello?
At non ille tuus semper memorabilis heros,
Ille tuus quondam, fortissima Gallia, ductor,
Martellus, numero quamuis, & viribus impar,
Abdemarum Libyæ victorem in regna ruentem
Vestra, & Aquitani latè fœcunda tenentem
Arua soli, & circùm magnis legionibus auctum,
Occurrens medijs dubitauit sistere campis,
Celtaurúmque oris populos prohibere rebelles.
Ille igitur multo tepefecit sanguine campos,
Atque cadaueribus Ligerim compleuit inultis:
Et terram innumeris cæsorum intexit aceruis,
Nullus vt ad diros remearit nuntius Afros
Excidio ex tanto; sola res dedita fama
Abdaridùm, qui longè aberant, tum perculit aures.
Nec nos decipiat, nostris quòd longius absunt
Finibus, & cædes alio miscentur in orbe:

Præstò

Præstò aderunt, ferróque omnes, atque ære corusci,
Vlturi strages, quas accepere suorum.
Omnis enim iratis facilis via. quicquid & illic
Nunc perit, Europæ toti perit. impia si non
Gens extincta cadat, pia gens cadat omnis oportet.
Namque vt nulla lupis pax est, & mitibus agnis:
Sic & amicitiæ ratio, sic iúsque, fidésque
Nulla potest inter natos Cælique Erebíque,
Esse vmquam: vigeant atris infecta necesse est
Corda odijs. quamquam interdum concordia discors
Distinet assultus illorum, & comprimit iras,
Donec ad insidias rursus, cædémque refecti
Fallaces animos, periuráque fœdera vertant.
Ergo agite, ò iuuenes, tantorum sanguis auorum,
(Certa ducum soboles, rerum spes vna labantum,
Hoc vos tam iustum vobis deposcite bellum.
Ite, aperite viam ferro: vos fortia fortes
Facta decent; ignaua alijs sint otia cordi,
Quorum præclaræ tangit præcordia laudis
Nullus amor, nullo ad magnas spes suscitat æstu
Gloria, nulla domi maiorum inflammat imago.
Ipse sua vos voce vocat Deus; ipse parauit
Iamdudum vobis Asiam victoribus omnem,
Quam mox imperio deuinctam, & lege regatis.
Quamquam aliter si tota cadat res (omen abesto
Triste procul, potiúsque Arabas se vertat in hostes)
Expectare tamen cælestia præmia vestri
Conatus, vestrum cui non optabile? cui non

Et turpe,

Et turpe, & miserum rediturę parcere vitę?
Nec spatium angustum breuis, & mutabilis horę,
Æternę, ac certę præponere velle iuuentę,
Et circumscripto nullis à finibus æuo?
Vix ea fatus erat, procerum cum cœtus ouantem
Sustulit exultans clamorem ad sidera, qualem
Nubibus abruptis dare sæpe tonitrua suerunt,
Poscentes bellum, séque in longinqua vetantes
Tempora perplexis differri ambagibus, ídque
Vnum omnes ore exclamant, vnum ore frequentant:
Vult Deus hoc fieri bellum, iubet arma moueri
Hæc Deus; & specubus resonans respondet ab imis
Vox eadem: quin ipsæ etiam cecidere volantes
Tecta domósque super sublimi ex aere lapsæ.
Non secus ac Boreæ cum iam frigentibus auris
Impulit autumnus steriles à vertice syluas;
Arentes labuntur humi, ramósque relinquunt
Aerios, paßimque fluunt ex arbore frondes:
Aut cum maturas decussit ab ilice glandes
Horridus, ac suibus dat pabula læta subulcus.
Intremuere Alpes, fluuiúsque exterritus vnda
Substitit: atque amnem Ligeris, cursúmque repreßit
Ilicet, & Rhodanum Volcæ stupuere morantem,
Et sese extremo reuocantem ab littore Rhenum.
Iámque adeò clamor cùm consedisset, & omnis
Conuentus procerum, vulgúsque, & turba sileret,
Percussus subito sanctus Pater omine mentem:
Extudit hanc vocem vestro Deus (inquit) ab ore,

Extudit

Extudit ò proceres, crebróque iterauit eamdem
Ille Deus, qui se vobis, comitémque, ducémque
Exhibet, atque animos stimulis accendit acutis.
Subijcit ille faces, quibus inflammatus ad arma
Tam pia sollicita pertentet pectora cura
Quisque sua, reddátque parem se fortibus ausis.
Vos igitur posthac, quoties in bella, necésque
Ventum erit, afflati quam nunc quasi numine vocem
Pectore fudistis, memores, repetatis, & vna
Illa eat incœpto ceu cognita tessera bello.
At tu, clare senex, cuius gratissima nostris
Mandata inuicti regis vox auribus affert,
In patriam cum te referes, refer ordine quicquid
Egimus, atque illi grates age nomine nostro
Ingentes: hortare tenax persistat, idémque
Vrgeat incœptum cunctis memorabile seclis;
Séque suę egregios causa pietatis honores
Speret adepturum capta admirabilis vrbe.
Nunc autem tanto tantorum ex agmine patrum
Ecquis erit, nostro qui nomine primus amicas
Consectari acies poscat sibi? & addere sese
Audeat, his animo nusquam, nec viribus impar?
Vix hæc fatus erat, gemini cum sede relicta
Surrexere viri, latum quos tonsus in orbem
Sacrati capitis vertex, quos linea vestis
Circumiens humeros operit candore niuali:
Hi sibi commissos fidei, curaque perenni
Insigni populos animi probitate regebant,

Rite ministerio sacrorum, & munere functi
Pontificis, cunctos ceu pignora cara fouebant,
Addemarus Biturix, & Narbonensis Hilelmus:
Ambo ætate pares, pariterque ad iussa parati,
Cœptaque ad optatum cupidi perducere finem;
Ambo alacres vitam, præsens si postulet vsus,
Fundere, & à claris ambo maioribus orti:
Sed qui diuitias, & nobilitatis honores
Promeritis hominum longè postponere suessent:
Vna vtrisque eadem virtus, pietásque ferebat
Ingentes animos, famámque, & amabile nomen:
Illi inter Celtas, & proxima rura Cadurcis;
Huic inter populos, Isaræ qui fluminis vndam
Suscepturam aliud celebri mox nomen ab amne,
Quique tuos sparsis incerta Druentia ripis,
Dum Rhodanũ ingrederis, tumidúmq; excurris in æquor,
Epotant latices, atque arua feracia versant.
Surrexere igitur quamprimùm è sedibus ambo,
Atque humiles adiere Patrem: tum poplite flexo
Ad terram, pedibus dederunt sancta oscula sanctis:
Post autem Addemarus supplex sic voce profatus:
Haud equidem, tanto quòd nos dignemur honore
Sancte pater, virésve pares satis esse putemus
Tanto oneri; & tantæ nostros supponere moli
Insuetos humeros, vltro nos, nostráque primi
Christicolùm audemus communi offerre saluti.
Sed quoniam iniussi mandatum linquere munus
Esse nefas scimus, ne cum custodia longè

Acris

Acris abest, pleno lupus insidietur ouili,
Atque animas ouium raptarum in tartara secum
Ducat ouans, ideo nosmet modò sistimus ipsi
Sanctos ante pedes, soluique à lege rogamus.
Ibimus vnanimes quò tu, Sanctissime, cumque
Iusseris, & populos ritu lustrabimus illo,
Quem semper coluit pietas sincera, colitque.
Ibimus, atque armis, opibúsque, & sanguine nostro
Priuati socios, & tanta iuuabimus orsa.
Nec nos militiæ nobis deposcimus vllum
Munus, & in nostros ius exercere tribules.
Vnum illud concede Pater, capiamus vt arma,
Inque hostem aduersum seruata lege ruamus.
Hoc sat erit. præeant alij, nos castra sequemur;
Et primi ante acies, pugnam cum miles inibit,
Corpora, quæcumque hæc fuerint, sistemus vterque;
Morte obita vt nostris animos addamus, humúmque
Sanguine perfusam CHRISTO *sacrasse feramur.*
Hæc pius Addemarus: nec multùm deinde moratus
Pauca quidem, sed plena Deo, subiecit Hilelmus.
Quidquid erit, seu vita mihi comitabitur vsque,
Siue illam in medijs continget ponere campis,
Cuncta animo stat ferre alacri. tu pectoris huius,
Sancte Pater, maculas, quoniam potes, elue cunctas.
Dixerat. Ille autem lachrymantia lumina cælo
Sustulit, & duplices palmas cum voce tetendit.
CHRISTE *Deus, qui corda hominũ succendis, & vris*
Igne nouo, miróque nouæ pietatis amore,

 Ardorem

Ardorem hunc animis reliquorum immitte, tuósque
Da, Pater omnipotens, lætos ex hoste triumphos
Ducere, & in patriam victricia signa referre:
Vos autem illustres animæ, vos ite, vicémque
Vos explete meam: dictis & pondus inesto,
Seu bona, siue etiam dira, atque infanda precentur
In meritos, iubeántque aris procul esse profanos
Christicolûm, & sontes communi absistere cœtu:
Ius tamen Addemarus legati, & nomen hebeto,
In partémque oneris tanti succedat Hilelmus,
Tempus vbi, & rerum præsens sic exigat vsus.
Hæc Pater. ast illi suscepto munere læti
Discessere ambo, solitáque in sede quierunt.
His actis animum diuina impulsus ab aura
Ante alios, florénsque annis iuuenilibus Hugon,
Hugon syluarum latebras consuetus iniquas
Quærere, & informes vrsos prosternere, aprósque:
Regia progenies; sed qui, nec bella, nec hostes
Nosset adhuc, laudisque auidus tamen vnius esset,
Et nota virtute duces complexus amaret:
Eximit è numero sese tum primus, & vltro
Pontificis presto parentem hortatibus offert.
Ad quem tum senior Pater est his vocibus vsus:
Macte noua virtute, nouum sic fortibus ausis
Ad superos aperitur iter. te nobile quondam,
Æternúmque decus memori clarabit in æuo;
Gratáque te solum reliquis tribuentibus omni
Heroum è numero, qui factum illustre sequentur,

Posteritas

Posteritas vero Magnum cognomine dicet:
Sic volumus, sic nostra libens Deus omina firmet.
Tum verò proceres delecti accedere, & vnà
Militiæ certatim omnes dare nomina sacræ.
Quorum se longè princeps Goffredus agebat
Tullingus, cunctos humeris, & vertice toto
Exuperans, forma insignis, mediæque iuuentæ
Ora intonsa ferens, & maiestate verenda,
Iucundus populis, nec formidabilis vlli,
Militiam castè veterum de more colebat:
Quin & flagitijs dignas imponere pœnas
Suetus, inoffensas seruabat pectoris iras.
Illum olim Eustachio peperit formosa marito
Ida ducum, regúmque parens: genitoribus Ida
Clara suis, ritúsque pij sanctissima cultrix,
Præscia venturi vates. Ast acer in armis
Eustachius, Morinos fuerat qui maximus inter,
Et Gessoriaci rerum flectebat habenas,
Iucundo spolians ipsum se nomine patris,
Misit in imperium, Leucis quo libera solus
Iura daret, pacisque vnus, bellique gerendi
Arbiter, vt primùm liquisset auunculus auras
Ætherias. Ergo is regni moderator adepti,
Artibus & clarus pacis, sed clarior armis,
Et ducibus circùm, & præstanti milite septus,
Pontificis placida sic voce est fatus ad aures:
Summe Pater cuius nutus, & verba iubentis
Qui vultu, qui secum animo contempserit audax,

Ille hominum dignus qui cœtu exclusus ad hostes,
Vrbe, domo, patrióque solo vagus, exul, inópsque,
Atque exors erret vitæ communis, & expes.
Sed si militiæ quis detrectare laborem
Huius amet, preßásque iugo crudeliter vrbes,
Seu Libyæ, seu sint Asiæ, sanctúmque Sepulchrum,
Noster vbi plagis iacuit confossus iniquis
Seruator Deus, æternæ via sola salutis,
Eripere è manibus Turcarum negligat; ille
Ille, Pater, manes diris defixus ad imos,
Atque ad nigrantum sedes, loca senta, meretur
Sentiat vt trudi vel se viuénsque, vidénsque.
Nemo igitur, nisi fallor, erit tam turpiter ortus,
Nemo animo tam demisso contemptus, inérsque,
Támque sui socors (vtero modò terra cadentem
Gallia materno cupidis exceperit vlnis)
Abneget vt tantis se nunc accingere cœptis,
Ipse equidem, de me quicquid promittere possum,
Præstò adsum, vitæ, quæcumque est, prodigus huius;
Atque hoc in bellum regna effusurus, opésque.
Hæc vbi dicta dedit Leucorum maximus heros,
Pauca refert Pater Vrbanus: Quas dicere grates,
Quas ve referre parem tibi, dux fortissime? quando
Nil reperire queam, quod non præstantibus impar
Sit meritis, quæ te illustrem super æthera tollunt.
Ipse Deus, Deus ipse dabit, mihi crede, laborum
Præmia magna tibi, Solymæ cum ceperis arces,
Signáque submittens sancto victricia templo,

Feceris

Feceris in media nudis veſtigia plantis
Vrbe, & adorandam ſupplex extruxeris aram.
Interea capiti tegmen, cui fauſta precati
Rite ſumus verbis ſolemni more peractis,
Impoſitum ſubeat meriti diadematis inſtar:
Et lateri hic noſter læuo tibi pendeat enſis,
Qui fuget hoſtiles ſubito terrore phalanges.
Hæc memorans, lætæ lætus dedit oſcula fronti,
Et ſtimulis auctum magni dimiſit amoris.
Huic ſe, Tectoſagas inter qui maximus ibat
Imperio, adiunxit comitem; cui viuida bello
Dextera, conſiliiſque habitus fidiſſimus auctor:
Omnia maturè properabat, & omnia certum
Ad finem voti compos perducere ſuerat,
Quæ peragenda forent: quando nec doctior alter,
Seu librare metum, ſtimulos ſiue acribus acres
Addere, & armatas acies, atque agmina certis
Inſtruere ordinibus, nec quiſquam impellere turmas
Promptior in cædes, inimicáque caſtra, manúſque
Conſerere, & pugnæ loca commoda noſſe futuræ:
Seu valles, colléſve humiles, campíve iacentes
Inſtent, ſeu ſaltus ſurgentis in ardua montis.
Illi Atacem quicumque amnem, quicumque rapaces
Illiberimque, Obrimque bibunt, quicumque paluſtres
Agrorum tractus habitant, vbi ſæpe latentes
Fuſcina, dum limo innocui veſcuntur, & vnda,
Perfoſſa defigit humo (mirabile) piſces.
Illi etiam munitæ arces, quas Cemmenus alto

Vertice habet, bellis penitus gens dedita parent;
Parent & celebris cultissima rura Tolosæ,
Quam gelidus pulchro præterfluit amne Garumna.
Huic galeam cono insignem, cristisque comantem
Dat Pater, & pectus thorace inducit aheno;
Verbáque pauca viro non rerum improuidus addit:
I, bone quò virtus tua te vocat, i, pede fausto,
Vtque soles, patriam factis decorare memento.
Inde animis, opibúsque ingens, & prouidus astu
Ingenij, manibus promptus, facundus & ore
Insequitur Stephanus nulli virtute secundus;
Si sit opus tacitas hosti componere fraudes,
Occultósve dolos celeri præuertere cursu,
Instantémque fuga socijs auertere cladem.
Carnutum pubes, Senonúmque effrena iuuentus,
Læta virum mediæ versantem in limine vitæ
Insequitur, quando consueta facessere tanti
Iussa ducis, permulta manu certamina belli
Contulit; atque omnis prorsus discriminis expers
Sæpe domum vacuo redijt tutissima campo.
Illum igitur Pater Vrbanus donauit euntem
Insigni clypeo, duplex cui circuit oras
Vndique, & in sese rediens subit æreus orbis,
Quáque superficies latè patet, euomit vmbo
Inducto ex adamante ignes, monstrátque natantem
Delphinum, medio qui captet in æquore prædas,
Retibus inclusas prædas, inclusus & ipse;
E quibus vt primum libuit se carcere rupto

Liberet,

Liberet, & tutas referat se tutus in vndas;
Atque his ornatum verbis discedere iussit:
Quas artes olim belloque, & pace decoras,
Dux animo pariter, dextraque inuicte potenti,
Exercere soles, tecum sint vsque; nec vlla
Immemorem capiant sociorum obliuia, sed te
Excitet, & virtus dubijs in rebus, & acre
Consilium, quæ iuncta vna tuta omnia reddant.
Post autem venere duces, duo fulmina belli
Roberti; non illi, ijsdem qui patribus orti,
Sed qui diuersa maiorum a stirpe profecti,
Non secus ac gemini fratres sese inter amarent;
Inque hostem pariter ruerent, greßumque referrent.
Idem vtrique animus, cædisque insana cupido.
Alter ab Iceno natus patre; regia cuius
Sponte sua extremi faciebant iußa Britanni,
Et Tule, & rigido glacialis Hybernia cœlo,
Oceano disiuncta procul: tamen ipse Caletum
Littora seruabat custos, populosque regebat
Assuetos gladio pugnam committere, & arcu:
Alter Rholonis proles fortissima Cimbri,
Imperio qui Lexouios frenaret, & armis,
Aulercosque, & Nannetes: cui protinus vni
Pareret gens, Oceanum quæ spectat, & Arcton;
Gens assueta leues in gyrum flectere habenas
Assultantis equi, & celerem conuertere cursum,
Inque hunc, inque illum tela intorquere, facesque.
Latum illi pectus, impexaque barba, genæque

Horrentes,

Horrentes, rigidis adopertáque brachia setis:
Cædem oculis, cædem vultu, cædem ore minatur.
Rebus in aduersis ad agendum pronus, & audax,
Verborum longè parcissimus: vnus auorum
Qui facta egregijs æquare ingentia factis
Vellet, & in longum virtute extendere famam
Ipse suam, seros olim quæ clara nepotes,
Ex se quod prodit, verum decus esse moneret.
Quin etiam, si quando hostes dare terga fugaces
Cogeret, atque acri premeret vestigia planta,
Æquabat celeri Borealia flamina cursu,
Vsque adeò pedibus velox, & corpore pernix.
Ergo vtrique suam nodis, atque ære rigentem
Donat habere viris clauam, gemináque bipennes
Vrbanus; placidóque hæc insuper addidit ore:
His olim Carolus Libycos est vsus in hostes;
Illius his etiam in pugnam comes irruit Eudon;
Quos animi virtus ingens, quos dextra, fidésque
Spectata egregij vinclo sociarat amoris:
Accipite ergo hilares, & spes hinc discite vestras.
At postquam cessere retro, vacuique patebant
Vnicuique aditus, dubius similisque timenti
Aduenit ora ferens casto suffusa rubore
Arpinus Biturix, quo non formosior alter,
Nec iuuenum quisquam robustior; ille palæstram
Exercere agilem, longéque ad sidera discum
Mittere, & aerias vectem intorquere per auras;
Quin etiam armatus sublimem ascendere saltu

Suerat equum, versóque super dare corpore gyros
Aerios, séque ipsum alta componere sella:
Rursus & in terram tergo reuolutus ab alto
Defluere, atque leui vestigia figere planta:
Has ergo effudit generoso è pectore voces:
Non me quòd ducibus credam, Sanctissime, tantis
Æquandum, & primi dignum cui dentur honores;
His ego nec fastis, nec par ætate, nec vsu
Rerum vllo æquandus, magnis heroibus addam:
Verùm vt militiæ duros perferre labores
Incipiam, atque artes bellorum his nosse magistris,
Quicquid ero, tibi semper ero belliquæ domique.
Nam me nullus amor patriæ, me nulla parentum,
Quos ego composui dudum tellure sub ima,
Cura subit, dubium cœptis quæ auertat ab altis.
Prædia nec mea me mutare, vrbémque pigebit,
Quam mihi decedens pater ipse reliquerat, auro;
Tu modò virtuti, si qua hoc in pectore virtus
Esse potest, lætus linguáque, animóque faueto.
Dixerat, at contra senior sic ore locutus:
O præstans animo iuuenis, præstantior actis
Euasure tuis, non te virtutis egentem,
Seu sit Arabs, seu Persa fugax, seu Turca, videbit.
Interea, nobis quem mater Iberia misit
Sithonia conceptum aura, Zephyróque tepenti,
Portet equus, pugna qui multum exercitus acri
Irruit in medias acies, equitúmque cateruas
Aggrediens, rediit spoliis ornatus opimis.

Hæc Pater: & stabulis promissum munus ab altis
Imperat educi. circùm ille hinnitibus auras
Personat, & crebris cauat ictibus vngula terram,
Et frenos mandens spumas agit ore niuales.
Nunc parere manu doctus decurrit in orbes
Multiplices, seu dextra vocet, seu læua ruentem:
Nunc etiam stabili firmans vestigia gressu,
Non secus ac scopulus, media consistit in acta,
Interdúmque, vagæ quoties laxantur habenæ
In spatium, rapidus rapidos præteruolat Euros.
Mox ingens, abiegna, grauis superadditur hasta,
Quam gelidæ summis in verticibus Pyrenes
Expositam Boreæ millesima viderat ætas.
Hæc, inquit, Capeti numquam frustrata vocatus,
Cum res Gallorum primus sibi vindicat armis,
Et Senonas, Rhemósque iugo subiungit eodem:
Vade age, & æternum factis fer ad ætera nomen.
Sustulit inde sacra decus inuiolabile dextra,
Inque crucis speciem circumtulit. ilicet omnes,
Deletis animo maculis iuuenésque, senésque
Discessere illinc, séque ad sua tecta tulerunt;
Inque vicem crebris acuunt hortatibus iras:
Totáque concepta flagrant præcordia flamma.
Omnibus idem animus crudelem excindere gentem,
Vlcisci scelera, & Solymos exoluere duro
Seruitio, populisque pijs afferre salutem.
Gallorum extemplo cunctas it fama per vrbes,
Decretum in Turcas bellum: passim arma parari:

Certos esse duces, quorum inuictissima virtus
Excierit forteis tanta ad certamina Gallos.
Nec minus Italiæ postquam peruasit ad oras
Nuntius, atque auidas lætis rumoribus aures
Compleuit populis, quos fida Britannia, quósque
Diues opum, & præstans animis Germania nutrit,
Certatim expediunt, & se bellóque, viæque
Iniussi accingunt. hic neruum explorat, & arcum,
Hic ocreas multo circùm squallore, sitúque
Perpolit obductas, galeámque ex ære nitentem
Induit, atque humeris loricam obtendit; aduncæque
In gladios abeunt falces, abit omnis in enses
Vomis, & alterni reuomunt sua flamina folles,
Dum passim innumeræ positis incudibus vrbes
Tela nouant, sæuásque acuunt mucrone sagittas,
Atque hastis, iaculisque addunt inamabile ferrum.
Et spes quisque suas accendere promptus, & acer
Castigare moras, socios hortatur, & vrget.
Quæ nos desidies, quæ mollis inertia lentos
Detinet, atque Asia iamdudum auertit opima?
Sunt vestes, sunt arma illic, sunt plurima equorum
Armenta, & nusquam argenti vis maior, & auri.
Hæc illi, quos Belga pater collegit in vnum,
Belga Deo gratus, sed longè audacior æquo,
Quémque animi, non certa ducis præstantia raptim
Duceret, inque acres cupientem impelleret hostes.
Ille igitur festinus iter dum præcipit, & se
Primus agit, vulgo accurrunt, exercitus ingens

Augetur

Augetur magis, atque magis; quaſcumque per oras
Fert greſſum, innumeris viduat cultoribus agros;
Inclyta quos eadem raptabat in arma voluntas.
Parte alia miſti populis comitantibus ibant
Heroes, ſupráque omnes capita alta ferebant
Illuſtres, veluti ſparſa inter nubila quondam
Cæleſtes ſplendent radijs fulgentibus ignes;
Maiores ignes, primáque in nocte micantes.
Quos aliquis fortè aſpiciens: Quas, inquit, in oras
Hos iuuenum flores, hodie, mea Gallia, mittis?
Et Ver ipſa tuum primùm nunc demis ab anno,
Heroum dum te tantorum robore nudas?
Quo ſine quis fines noſtros tueatur, opéſque?
Contra alius: Neſcis quàm ſit fæcunda virorum
Gallia, vel ſumptis quantæ virtutis in armis.
Vanáque formido te decipit; & tamen iſtum
Terrorem Deus infidos auertat in Afros:
Gallorúmque decus lætis ſucceſſibus auctet.
Quod fore non dubijs ſperat mens prouida ſignis.
Nam quis nunc tantis obſiſtere viribus auſit?
Ipſi Aſiam infidi properent niſi dedere Turcæ,
Vndabunt ſubito madefacti ſanguine campi,
Omniáque iniectis flagrabunt oppida flammis.
Sed tamen immenſum miſeris terráque, maríque
Inſtat iter: tranandi amnes: ſuperandus Amanus:
Expugnandæ arces: bellum cum gente gerendum
Infeſta, & numquam quæ feſſa laboribus vllis,
Abſtulit, inuicti quæcumque habuere Quirites.

Hæc

Hæc ille; atque alij pagos, & compita circùm
Dum iactant eadem secum repetúntque vicissim,
Ipsæ etiam inter se nuptæ, innuptæque puellæ,
Et fractæ longa iamdudum ætate parentes
Templa adeunt, reditúmque suis, & læta precantur
Euenta, ac multis onerant altaria donis.
Post autem coràm aggressæ natósque, virósque,
Quæque suum, tristi discedere voce queruntur:
Nate meæ quondam spes magna, & sola senectæ,
Ecquis præterea miseram solabitur? ecquis
Ipse suis manibus morienti lumina claudet?
Tu tamen incolumis (precibus Deus annuat æquis)
Cum Solymam ingressus positas venerаberis aras,
Atque animo supplex sancto aduoluere Sepulchro,
Nate, patris (si iusta peto) matrisque memento.
Hæc illa. at coniux iuuenem complexa maritum
Si qua tenet, medijs interserit oscula verbis,
Inque sinum lachrymas fundens affatur euntem.
Nam cur me miseram, desolatámque relinquis?
Cur cupidam tecum non aduehis? ipsa laborem
Ferre viæ, sæuósque æstus, & frigora possum.
Nil graue, quod tecum patiar, mihi cesserit vnquam;
Sim modo iuncta comes lateri; sim debita lecti
Pars, & cura tui: te sarcina fida leuabo:
Te sequar, & pro te sæuis mea pectora telis
Opponam, quoties inimica in castra fereris.
At proceres, iamdudum armis, rebúsque paratis
Quisque suis, postquam sacris de more litarunt,

Vnanimes

Vnanimes mouere loco fulgentia signis
Agmina, & instructas ad sancta inçœpta cohortes.

PETRI ANGELII BARGAEI

SYRIADOS LIBER III.

FAMA per Hesperias cum primùm diditur vrbes,
Finibus è patrijs facto simul agmine Gallos
Exire vnanimes, dulcésque relinquere sedes:
Ausoniæ passim populi, gentésque Sicanæ
Coniurant: stimulisque acuunt haud mollibus iras:

Nec iam ferre queunt Italos tam fortibus ausis
Dissimiles pigro nimium torpere veterno;
Nec celeri ad laudem cursu præuertere quemquam,
Oblitos decoris patrij, & virtutis auitæ.
Conuenere igitur, quibus haud auersa voluntas
Bellandi, atque alio vitam sub Sole trahendi.
Protinus innumero completur milite tellus
Appula. non illos piscosi compita Bari,
Non pagi ingentes capiunt, non oppida quondam
Nominibus celebrata suis, notissima fama:
Netion. & Latij bustum lachrymabile Cannæ.
Non Cilicis fœcunda croci, fœcunda ferarum
Venatrix Celia, & Canusi spatiosa vetusti
Mœnia, quæ rapida præterfluit Aufidus vnda:
Non, quæ ductorem Libycum florentis amore
Virginis vrbs potuit victum mollire, sed omnes
Impediuntur agri: præsens vt cuique facultas
Te dabat hospitijs, & vbique incondita pubes
Pernoctat, pedibúsque terit conferta viarum
Strata, nec hyberni terretur frigore cœli.
Quam iussi monitu postquam præconis in vnum
Conuenisse locum vidit rex Daunius, & se
Altius extructa sublimem in sede locauit,
Alloquitur mittens generoso è pectore vocem.
Non equidem, ò Italùm flos, ò delecta iuuentus
Ausoniæ, veterum sanguis rediuiue parentum,
Quorum olim virtus gentes inuicta subegit
Quascumque Oceanus refluentibus alluit vndis,

Et

Et Sol è medio circumspicit aureus orbe,
Vt vos ad tanti præsens decus horter honoris,
Grandiáque ingentis succendam ad præmia cœpti,
Nunc primùm affari institui; sed vt omnibus vnà
Letitijs aucti Diuúmque, hominúmque parenti
Suppliciter grates (nam res ita poscit) agamus:
Sublatis quòd regum odijs radicitus omnis
Europa in nostri coniuret nominis hostes.
Ipsáque, quæ quondam miserè conuerterat in se,
Abdaridis tandem decreuerit arma tyrannis
Inferre, & Solymæ sacrata ad mœnia tutum
Reddere iter, collóque piæ iuga demere gentis,
Serua Palæstini quæ nunc Iordanis ad vndam
Flens sedet, atque aditu longè prohibetur ad ædem
Seruantem sancti monimentum insigne Sepulchri:
Hic vbi Rex terræ, cœlique æterna potestas,
Postquam illum gens dira trabi suffixit acernæ,
Occidit extinctus, rediitque ad lumina vitæ,
Morte triumphata (CHRISTVS Deus. Atq; vbi grates
Egerimus, factúmque satis cœlestibus aris
Iam fuerit, tum carpere iter, conscendere naues,
Æquoráque Ionij transmittere cærula ponti
Cura sit, & nostros illuc contendere cursus,
Quò commota suis iamdudum à sedibus omnis
Gallorum pubes, vnáque Britannia florens
Innumeris equitum turmis, peditúmque maniplis
Pergit, & emensa est properans Rhenúmq; Mosámque,
Euersura Arabes Solymorum à sede tyrannos

Scilicet, aut vitam tantis positura sub ausis.
Quod decus, ò socij, quis iam non credat emendum
Vel vita, quæcumque sibi peragenda supersit?
Ipse ego, cui tantum paret terráque, marisque,
Cui non argenti, non auri copia desit,
Quique adeò, si totam optem traducere vitam
Delicias inter cunctas, atque otia, possim
Secura cum pace frui, tolerare labores,
Et varios belli casus, cupióque, volóque
Ire viam primus, patriósque relinquere fines:
Atque omnes mecum, genitor quascumque reliquit,
Vestráve iam peperit virtus mihi, ferre per vndas
Ionias, mediósque hostes, quas partiar in vos
Largus opes, superétque nihil, quod commodus vltro,
Quo res cumque cadent, vnum & commune mihique,
Et vobis haud esse velim. Non nunc ego primùm
O socij, vos in belli discrimina duco,
Externásque oras, inimicáque castra volentes.
Vos patris auspicijs mersistis in æquore classes
Euganeas, Graiósque acie fudistis adorti.
Tempore quo vestras, vestra est ea gloria, Thraces,
Altáque Byzanti trepido concússa tumultu
Mœnia terribiles iras timuere, manúsque.
Vos ijdem me sæpe aliàs comitémque, ducémque
In pugnas, acrésque hostes, flammásque secuti,
Prostrauistis humi turres, cæpistis, & arces,
Ducentes victo claros ex hoste triumphos.
Nec prædæ quisquam immunis discessit, & expers,

Me

Me præter: quem nemo vmquam tamen abneget vllas
Sustinuisse vices, duró sve obijsse labores,
Vobiscúmque sitim pariter tolerasse, famémque,
Horrida sub dio perpessum frigora, & æstus:
Quamquam regna manent illic opulenta, nec vsquam
Et vis maior opum, & multarum copia rerum
Argenti cumulos plures promittit, & auri:
Quærere quos nobis solita virtute queamus.
Atque hæc ipsa à me minimè memorata putetis,
Quòd dubitem vestros ne animos inflammet ad arma
Gloria bellandi magis, an vesanus habendi
Cogat amor; neque enim Ausoniam fas credere pubem
Et decus, & laudem diti postponere prædæ.
Non ita nos proaui quondam docuere, patrésque
Assueti duro longinqua lacessere bello
Imperia, & certas victis imponere leges;
Vt famam, noménque sibi immortale pararent.
Quod vos facturos si quis tamen abneget, idem
Abneget Ausonijs vos esse è patribus ortos:
Et me Gallorum prognatum à sanguine regum,
Quos pietas insignis, & admiranda coegit
Gloria militiæ semper comes, omnia vitæ
Commoda iucundæ penitus contemnere, & vnam
Se spectare animis, & nobile sumere bellum:
Quo neque nos maius, neque post vlla audiet ætas.
Talibus orantem dictis nihil addere miles
Passus ad hæc. Vni tibi, Rex inuicte, videndum,
Quid statuas: nobis certum est parere iubenti.

Nam neque tam longè tellus disiungitur vlla
Finibus à nostris, neque gens tam barbara mores
Exuit humanos, quò te fortissime ductor
Pæniteat, pigeátve sequi. sic annuat ausis
Ille tuis, qui stelliferum fabricauit Olympum,
Et cæptum fortunet iter. nos agmine certo
Venimus instructi, rebúsque ad cuncta paratis,
Militiæ iam nunc nomen cuicumque daturi,
Et vitam in cunctos alacres exponere casus,
Ac nullas vitare vices. Sic deinde locutus
Et verbis ijsdem, atque assensu exercitus vno,
Conticuit, subitóque ingens per cuncta cucurrit
Ora fremor: ceu cum pluuijs furialibus aucti
Inter saxa ruunt amnes, & in arua feruntur
Præcipites, placido sueti sua lambere fluxu
Septa prius, tenuique vado discludere ripas.
At Robertiades dictis lætatus amicis
Subijcit: O, decora Italiæ, fortissima nostræ
Pectora militiæ, non his sine numine Diuùm
Addixisse animum cæptis reor. omnia quamquam
Ante alacri semper studio, quæ iussimus, ipsi
Præstare in primis, confectáque reddere suestis.
Quando igitur vestro hæc animo sententia sedit;
Et mecum Adriaci iuuat ire per æquoris vndas,
Finibus inque Asiæ bello noua quærere regna,
Seruitio Syriam longo, Solymámque leuantes,
Quod superest, curate aliquo ne crimine mentes
Infectos videat Vesper vos crastinus, & iam

Quisque

Quisque sacerdoti supplex aperire paret se.
Vt maculas, animo si quæ insedere latentes,
Eluat, inque hostes Arabas pius induat arma:
Et pius, vt primùm puppi vocalis ab alta
Ære cauo signum dederit tuba, protinus actam
Velisque, & remis properet conscendere classem,
Cessuram è portu mediæ post tempora noctis,
A terra exoriens ventus cum pellere fluctus
Incipit, & puppes vrget leuis aura Fauoni.
Ite, bonos curate animos, humilique precati
Voce Deum, quales cupere, & sperare futuros
Nos decet, euentus tantis exposcite cœptis.
Dixerat: atque illi foribus per templa reclusis
Affusi passim proprias, facta impia, noxas
Auribus exponunt castis, & ad illa paratis
Officia, & veniam culparum ex more petitam
Nacti omnes, primam cùm primùm postera lucem
Extulit, & terris Aurora affulsit apertis,
Cælestem sumpsere dapem: gratique, pijque
Inter se amplexus dulces, & amica dederunt
Oscula; postremò transacti expleta diei
Perpetuis passim mensis ieiuna cupido est.
At cum pulsa fames, largéque epulata iuuentus,
Sublatæque dapes; hi iam sermone quietos,
Oblectare animos: illi contendere cursu;
Ast alij dura membra exercere palæstra:
Flectere equos: vibrare hastas: manibúsque minaces
Explorare arcus: iaculisque attingere signum,

Certatimque grauis librare per aera vectis
Pondera: & ingentes saltu transmittere fossas.
Vrius interea, quo non præstantior alter
Præsagire auras, qua cæli è parte ferantur;
Quæ mare sollicitent, quibus & commota quiescant
Æquora: quæque dies portendant certa serenos
Sidera, seu pluuias terris, imbrésque minentur:
Vrius Æolij soboles generosa Pelori,
Puppe gubernator residens ita fatur ab alta:
Quem votis optare licet, rex optime, ventus
En vocat Ionias classem festinus in vndas.
Surge, age, tolle moras, naues exercitus intret
Omnis, vt hinc celerem quàm primùm ad saxa vadosa
Illyriæ tendat cursum, subeátque sonantis
Ostia Drilonis, procuruáque littora Lissi:
Portus vbi, & tutæ miles se credat harenæ.
Hæc ille. & regis iussu caua buccina Dauni
Imperat ad littus properare, & scandere naues,
Et laxos implere foros. tum protinus omnes
Ad sua signa ruunt, & scalas agmine complent.
Ceu cùm longinqua terrarum à parte volantes
Aduenere greges auium, densáque cateruâ
Ingentes campos subter telluris innumbrant.
Mox medio è pastu quercúsque, ornósque propinqua
Certatim obsidunt syluæ: varijsque teguntur
Arboribus; pressi curuantur pondere rami:
Et nemus ingenti circumsonat omne tumultu,
Compositæ donec somno suadente quierunt.

Et iam nox medium cursu superauerat orbem,
Frigentésque imis flabant è vallibus auræ:
Vrius in summa residens cùm puppe magister
Dat signum, soluique iubet retinacula classi.
Ilicet vnà omnes portu cessere relicto.
Quaque adeò sublatam altè fert regia flammam
Puppis, & Ionium rostro secat vncta profundum,
Remigijs actæ tendunt: mox carbasus auras
Excipit, ac Zephyris implentur vela secundis,
Spumeáque inflexas circumstrepit vnda carinas.
Et iam purpureo crines infecta colore
Aurora exoriens noctis restinxerat ignes.
Cum procul aerios montes Epirus, & arduas
Ostendit Macedum positas in collibus arces.
Illæ iter inceptum paragunt, vrbémque salutant
Dyrrhachium, & litus sublatæ ad sidera voces
Dum feriunt, vastæ responsant vndique rupes.
Nulla tamen contra solito de more dabantur
Letitiæ signa vnanimis, quia Daunius heros
Miratur, causásque suo cum corde volutat:
Atque animum dubius nunc huc, nunc diuidit illuc
Quid faciat? recto ne petat Taulantia cursu
Littora? an in dextras proram detorqueat vndas?
Hæc alternanti celeri præmissa phaselo
Nuntia fama refert: obsessum iter omne, nec vllum
Fraude carere locum: coniectum in vincula magnum
Vgontem, & longè Byzanti ad mœnia ductum.
Qui modò Brundusij multis comitantibus vrbem

Liquerat, & fidis nauem commiserat Euris,
Primus vt Emathiam, Thracénque emensus adiret
Bosphoron Euxini fauces, & ad ostia Ponti:
Ipse suis opibus præsens muniret euntes
In bellum, & Solymæ pro libertate pacisci
Audentes letum, tranquilláque commoda vitæ.
Nuntius hæc. sed enim cursum remorata triremis
Constitit: & reliquas ad se vocat Appulus heros,
Atque ait. Haud equidem, ò socij, cum tanta viderem
Agmina conuenisse virùm, quos vna coegit
Relligio, & pietatis amor, fore rebar, vt essent
Vitandæ insidiæ Graiorum, artésque cauendæ,
Nimirum seruare fidem mens improba nescit.
Ergo vrbem hanc infandam imo stat vertere fundo,
Atque omnem ferro, flammisque excindere gentem
In nostros tantum sceleris tam turpiter ausam.
Hæc dicens, vultu conceptas detegit iras:
Atque huc, atque illuc ardentia lumina voluit:
Et puppi tacitus tandem consedit in alta.
Tum Mentor, quem certa fides, expertáque bello
Dextera, & innumeris annis non victa senectus
Ante omnes gratum Regi iam fecerat vnum:
Digna quidem sceleris facies, quam vindice ferro
Vlciscamur, ait; nec, si tibi protinus vrbem
Aut capere, aut cinctam longa obsidione liceret
Vrgere, & bello ingenti vastare, faméque,
Conatus, dux magne, tuos, queis scilicet vsus
Abrumpas vincla, & captum tuearis amicum,

Damnarim.

Damnarim. sed enim tempus nunc instat eundi,
Quò nos Pontifici nuper data dextra, fidésque
Voce vocat: quóque expectant multo ante profecti
Germani, Gallique, & fortia corda Britanni.
Vt minor hoc vno nobis stet gloria. quando
Et decus, & laudem quæuis mora turpis auenti
Quærere, & insigni frontem vincire corona,
Adde quòd Euxinum spatio propiore tenentes
Exercere iras facilè, & terrere tyrannum
Fas erit Odrysium, per vimque reposcere captos.
Nec tamen interea frater certissimus vltor
Non aderit, multo repetat qui sanguine pœnas,
Seruitióque premat populos. Hæc ille locutus
Conticuit; tristisq; animos, iramq; repreßit
Daunius. Et longè scelerato à littore classis
Omnis eat iam nostra, inquit. primúsque triremem
Remigio impulsam medios conuertit in Austros,
Et properans Zephyris obiectam Aulona relinquit
A læua, & gelidi transit celer ora Celydni,
Chaoniámque omnem: mox execratus acerbam
Cassiopem, celsas Phæacum in collibus arces
Circuit, & bimarem cursu defertur ad Isthmum.
Hic tanti excitus fama, & molimine belli,
Obuius occurrit Medix. Ille vnus Athenis
Cecropidùm populo legésque, & iura ferebat,
Aut bello foret, aut tranquilla in pace regendus.
Et, quamquam Graijs longè regnaret in oris
Liber, auos, atauósque tamen generosius abusque

Tusco-

Tuſcorum antiqua numerabat origine regum.
Qui quondam ex Oſco ducentes nomine nomen
Magnanimæ fecere ſuæ cognomina genti.
Vnde etiam ſeri virtutem hauſiſſe nepotes,
Et patriam dicti iuuiſſe ingentibus auſis.
Barbarus at poſtquam Scythicis in finibus ortus
Italia in media regnorum eſt ſceptra potitus,
Et ſimul infracta eſt Tyrrhena potentia, partim
Diſceſſere ſuis paulatim ex vrbibus acti,
Aeriáſque altis poſuere in collibus arces:
Partim etiam varios caſus, & bella ſecutis
Ad regnum patefecit iter duriſſima virtus;
Et pedibus Graios, pedibus ſubiecit Athenas.
Hic igitur Medix Tyrrheno a ſanguine cretus
Lætus adit Regem: qui primam egreſſus in actam
Fortè recenſebat numerum: vultúſque ſuorum,
Et quæ cuique foret facies, vel forma, vel ætas,
Diſcebat: memoriq́ue animo mandata notabat
Nomináque, & patrias. ſenior quem talia agentem
Alloquitur Medix. Ego me, fortiſſime ductor,
Inuiſam rebar Superis traducere vitam:
Qui te militiæ rediuiuum exemplar auitæ
Affari, & coràm dextræ coniungere dextram
Non poſſem Italiæ longè diſcluſus ab ora.
Quando etiam mentem iuuenili accenſus amore,
Et magni admirans ingentia facta parentis
Ipſe tui, patriæ fines, campóſque reliqui,
Deſpicit ex alto quos vndiq́ue Fæſula colle;

Vulturniq́ue

Vulturnique volens accessi ad fluminis vndam.
Innumeras tum dirus Arabs vastauerat oras
Ausoniæ, & Capuam longa obsidione premebat.
Ac, nisi opem afferret genitor tuus, ilicet vrbis
Illius extaret nunc tantùm informe sepulchrum.
Ipse illam solus longa obsidione leuauit:
Atque acie victos à mœnibus expulit Afros.
Non ita sublimi defertur ab æthere præceps
Fulmen agens nimbum, scopulósque, & septa domorum
Eruit, & subita miscet collapsa ruina.
Vidi ego in aduersos armato milite septum
Irruere, & densas ferro perstringere turmas:
Pœnorúmque ducem medium differre securi
Dogrissam, triplici pectus cui texerat ære,
Et fronti galeam aptarat Maurusia nutrix
Carminibus sacram magicis, & sidere certo
Confectam, vt ferri cunctos contemneret ictus.
Sed neque verborum murmur, neque profuit astri
Obseruata dies, caput illi vtrinque pependit
In geminas scissum scissa cum casside partes.
Vidi equites, peditésque vnà cùm mitteret Orco,
Cogeret & nostris Arabum dare terga phalanges.
Quàm facile aut Boreæ flatus, si vertice ab alto
Incubuit segeti, fragiles infregit aristas,
Arentésve sua decussit ab arbore frondes
Auster, & impulsas ad littora pertulit vndas.
Ille etiam postquam cæsorum vidit aceruos
Spectator cuiusque operum, testísque laborum,

Et

Et serus rediјit spolijs indutus opimis,
Ornauit coràm virtutem, atque acta suorum
Laudibus, & merito cunctos dignatus honore est.
Et mihi, qui densos vrgentem in bella maniplos,
Cogentémque fugæ versas dare terga cohortes
Comminus aggressus immani corpore Maurum
Ense trucidaram, ferratæ pondera clauæ
Detulit ipse suæ, belliqúe insigne decorum
Ferre dedit clypeo, Mauri caput ora nigrantis,
Candida circumdat summam cui tænia frontem.
Ille Diochryso, cui mollis inertia Thracum
Imperium abstulerat, reditúmque, atque arma paranti
Adiunxit comitem: mox rerum euenta secutum,
(Namque Arabes crebris Graias incursibus oras
Vastabant) omnis præfecit Achaiæ bello;
Armorúmque vnum iussit, pacisque potentem
Esse, & opes, patriósque manu defendere fines.
Et nunc, ni grauior tardaret membra senectus:
Si foret illud idem defesso in corpore robur;
Quod fuerat, cùm acres animos, virésque iuuenta
Prima dabat, ceu fixa eadem stat corde voluntas,
Ipse ego te Graiæ lecto cum robore pubis
Primus ad ingentem Syriæ comitarer Orontem:
Et tibi præcipuum factis testarer amorem:
Quod quoniam fieri prohibet iam serior ætas,
Hic tecum florens annis iuuenilibus ibit;
Quò te cumque feres, gnatus meus; vna parentis
Spes, & cura sui, patrio cognomine Medix:

Ibit,

Ibit, vt admirans vnum te maxime ductor,
Militiam, & claros magnæ virtutis honores,
Præmia suscepti lætus putet esse laboris,
Sæua manu confecta tua cum bella videbit.
Dixerat: & regi centum candore niuali
Donat equos, numero ex omni quos legerat, & quos
Hinc, atque hinc phaleræ, & demissa monilia collo
Ornabant, strato intectos pugnantis ad vsum;
Ferrea cui spondam lorica vtramque tegebat
Surgentem, primámque aluum, lumbósque tuentem
Sessoris firmum in pugna tutamen equestri.
Munera mox socios largè partitur in omnes:
Vina cadis onerata suis, quæ plurima Naxo
Iusserat afferri iampridem: eá deinde sequuntur
Depulsæ dudum in montes à matribus agnæ,
Indigenæque boues, & prima ætate iuuenci.
At Robertiades tanti hospitis interuentu
Lætatus, pauca hæc placido sic pectore fatur.
Ipse meum memini, dux ò fortissime gentis
Tyrrhenæ, inuictam virtutem, & facta parentem
Narrare, & veras ad cælum tollere laudes
Medicis Hetrusci (namque hoc mihi sæpe per aures
Nomen iit, magníque animo defixa remansit
Fama viri, cui nulla vmquam se viderit ætas
Ferre parem, aut bello claros æquare labores)
Medicis, absentem tacita quem mente colebam
Absens, & magno mecum venerabar amore,
Quod solùm licuit: neque enim fuit hoc mihi tempus

Sperandum,

Sperandum, quo te veterem complexus amicum
Hospitij possem iura instaurare paterni.
Nunc autem quando votis prosperrima nostris
Fors inopina fauet, Cęlique occulta voluntas,
Accipio, agnoscóque libens, certúmque vetustæ
Pignus amicitiæ nostro comes vsque futurus
Hærebit lateri natus tuus. illius ingens
Cura animum semper Dauni ductoris habebit.
Hæc vbi dicta, epulis vnà accubuere paratis:
Atque inter sese longo sermone requirunt,
Quæ via Threiciam breuior contendat ad vrbem:
Si qua loca infestis; si quas deuinxerit arces
Præsidijs: si quos aditus Byzantius armis
Insideat; Ponti prohibens à limite Gallos.
Quæ postquam ducibus satis explorata, supérque
Ostendere palàm compendia tuta viarum;
Iámque exempta fames, & amor compressus edendi est,
Ære dari signum iubet ipse, & castra moueri.
Incedunt armatæ acies, nec ab ordine quisquam
Liber abit; sociósque suos, & signa relinquit:
Pars equitum anteeunt agmen: pars terga tuentur,
Iniusto sub fasce viam dum carpere miles
Festinat, gressúmque vnà maturat eundo.
Primùm illi Bœotum agros, vallésque, lacúsque
Prætereunt Oncheste tuos, longéque relinqui
Parnassi iuga summa vident; mox Othrin, & Oetam,
Sperchiúmque amnem, magni cunabula Achillis,
Frondosúmque caput celsi mirantur Olympi.

Tum

Tum vada Penei, celerésque Haliacmonis vndas,
Emathiæque Italo fœcundos sanguine campos:
Et quos Mygdonius spatioso flumine colles
Ambit, & affusa lætissimus irrigat vnda
Axius, Ægæum dum se deuoluit in æquor.
Tum demum Ausonius suspecta per oppida Thracum,
Pérque agros facturus iter, exercitus omnis
Constitit obliquæ decliui in margine ripæ.
Hic certatim omnes ducto circumdata vallo
Castra locant, somnósque petunt, & corpora curant.
At parte ex alia Gallorum interrita pubes
Prætergressa iugum, quo cœlo æquatus Adula
Contegitur glacie, niuibúsque perennibus horret,
Transierat: nec Vindelici, quos dextra securi
Armat Amazonia, nec proni ad furta Genauni,
Nec rapto celeres assueti viuere Brenni,
Per saltus, vallésque imas potuere morari
Incedentem aciem, dum tela opponere quærunt,
Vlteriorem Oeni iuncto ne flumine ripam
Ascendat victrix, & Norica regna peragret.
Illa igitur Cetij superans altißima montis
Culmina labentum diuortia liquit aquarum:
Et gressum in Chalybum rutilis tulit inde metallis
Insignes agros, Istri quos fluminis alueum
Augentes Saus hinc, vnda Draus alluit illinc.
Atque vbi Pannoniæ fines, & limina primùm
Ingreßi tetigere duces, castrísque locatis
Corpora præterito requierunt feßa labore:

Ecce vident ad se properantem, & membra trementem,
Fundentémque imo trepidas è pectore voces,
Velitis os, habitúmque, & velitis arma gerentem.
Isque, vbi confertas acies ante ora ducúmque
Constitit, atque armis septum se vidit amicis,
Talia deposita tandem formidine fatur.
Si patrios postquam fines liquistis, & agros
Vlla vnquam vestræ tetigit vos cura salutis,
Vertite iter retro, sedésque reuisite auitas,
O, miseri, & terris procul his, procul ite relictis,
Dum licet, atque fugam raptim celerare potestis
Incolumes. vel si dictis parere negatis,
Et pudet emensos Alpes, atque inuia terræ,
Insolito trepidare metu, statuatis oportet
Omnibus esse vnam per cladem, & vulnera mortem
Sperandam, & passim confusa strage cadendum.
His dictis perculsi animi, tacitúmque per agmen
Murmur iit, cupidique inter se quærere pergunt
Quid ferat, & tantum quid fama aduersa reportet.
Tum verò iuuenem fidenti interritus ore
Voce vocat dux Leucorum cinctúmque corona
Primorum, & cunctis patulas præbentibus aures,
Alloquitur. Tu ne hos animos, hæc robora sacra
Militiæ solus tantis auertere cœptis
Tendis? & instanti pressus formidine Gallos
Exterrere audes? Non hæc sunt pectora turpi,
Non hæc corda fuga sibi quærere sueta salutem:
Ast aperire viam ferro, mediósque per hostes

Aut

Aut vitam retinere, aut pulchræ occumbere morti.
Sed tu quis tandem? quibus aut festinus ab oris
Venisti? & quæ nos vitare pericula suades?
Fare, age, & audacter, quæ sint ea cumque, volentes
Cuncta doce. neque enim quisquam te vera locutum
Non amet: & merito gratus non munere donet.
Ille autem. O, vtinam fictæ tibi nuntius essem,
Et nondum celebris famæ vanissimus auctor.
Sed quid ego hæc? si mox tantos ex ordine casus
Narrabunt alij, qui fœdam euadere cladem
Incolumes potuere: licet vix vnus, & alter
Pæonis insidias regis vitarit, & arma.
At tibi, quicquid id est, breuiter, dux maxime, pandam:
Nec te vllæ ambages, nec longa exorsa tenebunt.
Concilio in medio postquam regúmque, ducúmque
Omnis in Abdaridas decreuit Gallia bellum
Exemptura iugum Solymis, quod pertulit annos
Iamdudum innumeros Syriæ sanctissima tellus:
Continuò nostras fama est vulgata per vrbes:
Extemplóque accensi animi, concursus & ingens
Vndique, & inter se commota per oppida vulgo
Dant dextras. sua quisque domi, quæ repperit arma,
Et scabra exesos rubigine corripit enses,
Deforméque situ clypeos. sibi regna, suísque
Argenti, atque auri magnos promittere montes.
Proinde auidi coeunt non vna è gente, nec vno
E populo: sed tota simul sine more, sine vlla
Lege ruens raptis properat Germania signis.

Poſtquam autem turmæque equitum, peditúmq; cateruæ
Conuenere ſimul, nec qui moderetur euntes
Eſſe vident quemquam, nec qui tot millia certa
Lege regat, pœnáſque nocentibus irroget æquas:
Cunctantum dubias Amycus temerarius annis,
Et pietate ingens Odechalchius occupat aures.
Ille genus ducens altorum à ſanguine regum,
Cui Nemetum fines, rapido cui flumine Mænus,
Cúmque Mocontiaco parebat Bonna, vetúſque
Næomagum, & primos vltro tribuebat honores.
Alter, thuricremas Diuûm qui caſtus ad aras
Sacra miniſtrabat populo, verbíſque regebat
Suauidicis animos, plebémque in templa vocabat,
Ortus & ipſe patrum præclara à ſtirpe ſuorum.
Isque vbi diſtractos reperit, ceu cuique cupido
Imperat effrenis: Quò nunc Germana iuuentus
Inconſulta ruis? quò te tam turbidus, inquit,
Ardor agit? certíque parens audacia leti?
Nam nec bella manu ſolùm peraguntur, & armis,
Nec ſolùm vires victoria quærit; at acre
Conſilium, certóſque duces, qui ponere capto
Caſtra loco, qui firmam aciem, cum poſtulat vſus,
Inſtruere, & tuti vitare pericula norint.
Seu differre diem pugnæ, ſeu fortè neceſſe eſt
Præcipitare moras omnes: qui præmia forti
Digna ferat: qui communes tolerare labores
Primus amet, prædæque vnus qui immunis abactæ
Ipſe ſuos largè ſocios & ditet, & ornet.

Talia

Talia desierat fari; cum turba repente
Scinditur in varias diuerso examine partes.
Inde alias alij conferta per agmina voces
Iactare, & iussis partim parere recusant,
Atque iter effrenes longè præuertere tendunt:
Et quæcumque libet prædari, ac viuere rapto.
Partim se ducibus credunt, & signa sequuntur
Quisque sua, & certos pergunt sociare maniplos.
Non secus, atque arbor nunc his, nunc flatibus illis
Eurique, Zepyríque caput depressa recumbit
Aduersam in partem, nec robore fulta fatiscit
Ipsa suo: sed vtrinque labans, sed vtrinque cadenti
Assimilis, tamen vna olim peritura ruina
Cogitur hinc, atque hinc parere procacibus Austris;
Amittitque omnes diuulso corpore ramos.
Sic illi, quorum multi tua castra secuti
Belga pater, cultos, quos irrigat Hippius, agros,
Nec numero tenuere pares, nec viribus æquis.
Multi etiam Egerio, quem bello viuida virtus
Clarat, & illustrem nomen testatur auitum,
Hæsere, & Dacos inter cecidere, Getásque.
At reliqui explentes numero centena virorum
Millia, coniunctis inter se fœdere dextris
Addixere Amyco vires, atque arma, fidémque.
Isque, vbi præfectum tanto se vidit honori,
Et iussis parere suis tot viuida pubis
Pectora Germanæ, non iam, ceu postulat vsus
Militiæ (quid enim frustra retinere seueris

Legibus effusos in cuncta opprobria tentet?)
Palantes reuocat legionum ad signa maniplos,
Aut iniussa loco prohibet sua castra moueri.
Sed passim ingrediens pacata per arua feraces
Depopulatur agros, & cædibus oppida complet.
Præcipuè Abramidùm, quorum pars maxima pagos
Pannonios habet, & vitam sustentat inermem
Exul, inops, expes, cunctarúmque indiga rerum.
Non nos aut sexu miserorum, aut vllius vlli
Parcimus ætati: sed ceu foret hostia quisque
Grata Deo in primis, nullo discrimine habetur,
Et iuuenes, ægrósque senes dimittimus Orco.
Quin etiam turbam ingentem pedítúmque, equitúmque,
Danubium fortè vt medium tranauerat amnem
Defensura suos infesto à milite fines,
Fundimus, & vita pulsos spoliamus, & armis.
Mox etiam summis munitam mœnibus vrbem,
Et circumfusas spectantem è colle paludes
Aggredimur, factáque simul testudine muros
Nudatos omni iam defensore subimus,
Æquamúsque solo, atque aditus intramus apertos.
Ast olli in summam trepidi se protinus arcem
Conijciunt, notásque vias, & tecta relinquunt.
Nos vero (nec ficta loqui me credite monstra,
Sed vera, & casu nimium testata recenti)
Dum ruimus, nemóque obstat, quin vrbe potiti
Vastemúsque ædes vacuas, capiamus & arcem
Obsessam, quasi tela illinc inimica, facésque

Ingruerent,

Ingruerent, contráque acies inopina coiret,
Diffugimus suadente metu: nec vertere quemquam
Terga pudet: nec cœnosæ mandare paludi
Corpus, vt incolumis fallacibus enatet vndis:
Usque adeò subitus cunctorum inuadere mentes
Perculsas potuit cæca formidine terror,
Siue illum incussit nobis Deus æthere ab alto,
Tantorum vt scelerum culpæ meruere nefandæ:
Seu terror sibi quisque fuit, dum fortè latentes
Desertæ insidias vrbis, faciémque timeret.
Ut videre autem cedentem è mœnibus hostem
Pæones, infensi summa effunduntur ab arce:
Et ferro accincti nostrorum in terga feruntur,
Vulneráque infigunt: partimque in stagna, lacúsque
Proturbant: partim exanimant angusta viarum.
Dúmque alios alij, ceu si fuga sola salutis
Spem daret, & sumptis nemo sat fideret armis,
Urgentes turpi properant præuertere cursu,
Ecce superueniunt fulgentes ære cateruæ,
Et permistus eques, quem Curta emisit ab vrbe
Pannonius fallax: vt, si se forsitan vlla
Offerret pugnæ non insperata facultas,
Siue acie instructa, confertóque agmine nostros,
Seu præda, spoliisque graues, somnóve sepultos
Cæderet, & victos ferro deleret ad vnum:
Ergo illi vt primùm versas videre cohortes
Et fugere, & veniam proiectis turpiter armis
Quærere: nec quemquam memorem virtutis in hostem

Irruere, & clypeis armatum obuertere pectus,
A fronte inuadunt, oriturque miserrima cædes.
Corporibus sternuntur agri. fossæque redundant
Sanguine: purpureæ labuntur in amnibus vndæ.
Ipse tamen delapsus equo, dum pugnat, & vinit
Demetit affusos Amycus, prosternitur ictu
Ingentis saxi: quo cassis ahenea circum
Spargitur effracto non vna è parte cerebro.
Ipse etiam medios inter iugulatus inermes
Concidit: atq; animam in tenues Odechalchius auras
Fudit, communi soluens pro crimine pœnas.
Accepta dum fortè fide periuria gentis
Nil timet, & fidos demens sibi credit amicos,
Quos insperantes toties data dextera læsit.
Ergo illum non canities, non infula texit
Labentem atque imo fundentem hæc pectore verba.
At vos pro scelere hoc tanto, pro tristibus ausis
Euertat miseros Deus vltor: & impia mittat
Sub iuga, qui nostro fœdastis sanguine terram,
Inque fidem acceptos leto multastis iniquo.
Hæc memorans vnà lumen cum voce reliquit.
Nec sum animi dubius, quin iam syluisque, iugisq;
Insideant, tutique parent, quacumque putarint
Ingressuram aciem, Gallorum inuadere castra.
Hæc sunt, quæ mea vox potuit tibi maxime ductor
Narrare, & breuibus properans exponere verbis.
His dictis: corde insuetum cœpere dolorem
Heroes, primique duces; tam multa virorum

Agmina,

Agmina, támque acres iuuenum periisse phalanges:
Quorum animis, armisque olim comitantibus vsi
Deiicerent sæuos Solymorum è sede tyrannos.
Continuò furere vnanimes: exposcere pœnas
Commissi sceleris, ferróque, igníque iuuentus
Vastandos agros, viduandas ciuibus vrbes,
Clamat, & hostili cædem iam cæde piandam:
Acceptúmque vno sanandum vulnere vulnus.
Ast alij, quorum menti sententia sedit
Tutior; vltrices iras non temporis huius,
Non fidei, votique ferunt, quo Gallia summo
Pontifici voluit certas astringere dextras.
Posse iter incœptum Calapique, Saóque relictis,
Illiriæ ad fines, & saxa Liburnica flecti:
Pérque agros Macedùm dextro Byzantia cursu
Arua peti; posse Ausoniis in Doride castris
Coniungi, & vires Gallorum viribus addi;
Gallorum, quos Adriaci maris æquor, & vndas
Ionias tranasse ferunt, montésque per altos
Epiri incolumes Hebrum contendere ad amnem.
Hic quamuis mentem casu concussus acerbo est
Goffredus, letúque datos miseratus amicos,
Spem simulat vultu tamen, atque interritus audit
Consilia antiquæ veterum certantia laudi,
Lætatúrque omnes animis ardere paratis
Vlcisci socios, periuram excindere gentem
Funditus, & campos cæsorum insternere aceruis.
Sustulit ergo oculos, imóque à pectore dulces

Expro-

Expromens voces, placido est sic ore locutus.
O socij, quos vna omnes, eadémque voluntas
Impulit vnanimes patria discedere terra,
Uxorésque domi, dulcésque relinquere natos,
Aut secum auectos per mille pericula rerum
Asportare grauis solatia blanda laboris,
Vt Solymam, Syriámque iugo eripiamus iniquo,
Acceptúmque Deo statuamus in orbe trophæum,
Quo neque nos maius, neque postera viderit ætas.
Vos mecum emensi Rhenúmque, Albímque per vrbes
Innocui fecistis iter. pérque arua: nec vsquam
Ullus adhuc prædam à vobis conquestus abactam est,
Aut actum secum quicquam vi vidit ab vllo.
Quin potius, quas vestra sibi clementia gratas
Iure suo sperare vices, & poscere visa est,
Repperit; & blandis, vosmet meminisse potestis,
Hospitijs, opibúsque suis iuuisse vocantes,
Præbentésque vltro plenis conuiuia mensis.
Et iam Pannonijs tuti consedimus aruis,
Peruenturi vlla sine cæde, & sanguine, quò nos
Vota vocant soluenda Deo, quæ fecimus ipsi.
Quòd si fortè viam quisquam dare nolit amicis,
Pérque suos fines opponat euntibus arma,
Tum Gallorum animos, & iustas sentiat iras.
Interea qui morte graues persoluere pœnas
Flagitijs meruere suis, hominésque, Deúmque
Læserunt grauiter non vno crimine sontes,
Scilicet vt meritò cæsos linquamus inultos;

Cúmque

Cúmque illis etiam reliquos, qui talia posthac
Committent, scelerum nihil impia facta verentes.
Sed quoniam damnari aliquem, qui dicere causam
Ante suam nequeat, turpe est, mittamus, oportet
Ad regem certos, qui factam exquirere cædem
Possint, & iustum populis indicere bellum;
Aut certæ inter nos componere fœdera pacis.
Virtutem sic nostram vmquam nulla arguet ætas.
Iustitiæ Deus, atque hominum mens æqua fauebit.
Dixerat, & Stephanum, cuius facundus ab ore
Verborum sonus Hyblæo vel melle fluebat
Dulcior, heroum ex numero selegit, & ipsum
Addidit Aulercæ pubis regémque, ducémque:
Qui sua Pannonio referant mandata tyranno,
Et causam factæ cogant euoluere cædis.
Dicite, ait, Regi Gallos in vtrumque paratos,
Vel scelus vlcisci ferro, vel fœdere dextras
Iungere, si populos iustas dolor egit in iras.
Nos verò interea positis considere castris;
Et spectare procul quò se sententia flectat
Illius; & pacem à nobis sibi malit, an arma.
Nec tamen, ò socij reticenda iniuria, & ollis
Fidendum semel infestis. ea certa salutis
Sit via, quam sumptis positam speremus in armis.
Ite igitur, vigilésque aditus seruate patentes
Vndique: & excubias castrorum indicite portis:
Vt nos siue palàm inuadant, siue abdita belli
Furta parent, tuti fossa, & munimine valli,

Aut

Aut etiam instructo, si res sinat, agmine fraudes,
Incursúsque omnes, & vim infregisse queamus.
His illi auditis, antiquæ ad regia Curtæ
Tecta iter arripiunt celeres: cursúque perenni
Transmittunt campos, spumosáque flumina tranant.

PETRI ANGELII BARGAEI

SYRIADOS LIBER IV.

DVMQVE ea conſeſſu in medio fortiſſimus heros
Commemorat, fidus cæleſti ex ordine cuſtos
Vnus, qui nutu Patris omnipotentis Olympi
Additus, imperium Turcarum, atque arma tuetur,
Intendens oculos cælo proſpexit ab alto

Europæ

Europæ ferro instructos è sedibus omnes
Iam populos exisse suis, iámque arua teneri
Pannoniæ, & Scythicos compleri milite campos
Externo, & totum proscindi classibus æquor:
Atque Asiæ regnis immanem insurgere molem
Bellorum: fortésque peti tanto agmine Turcas.
Hæc igitur secum dubio dum pectore versat,
Et metuit, ne qua sublati clade repente
Aligerùm cuncti nigrantum ad regna ferantur:
Mœstus adit Patrem; cuius firmissima solum
Fundamenta manus iaciens agit; atque potentis
Imperij sedem, si qua est, euertit ab imo:
Et procul assistens placido sic pectore fatur.
O, cui siderei seruit plaga lucida cœli,
Æternæque vni mentes paremus ouantes:
Scit curæ mandasse meæ tua summa voluntas
Turcarum inuictos populos, gentésque rebelles
Arabiæ, atque alios, quos in sua verba coegit
Iurare Abdarides, & sub sua Tartara misit,
Seductos veræ cultû pietatis; vt aras
Infandas, facilésque ad turpia crimina ritus
Excolerent, natique tui præcepta perosi
Effugerent lucem, & venturæ gaudia vitæ,
Ni cæcæ obstaret fraudi, tantóque periclo
Instanti tuus altus amor se opponeret vnum.
Hos igitur, quos ipse olim tibi fortè reseruas
Incolumes cœli nobiscum in parte locandos,
Si tueor, causam tueor nostrámque, tuámque.

Nam

Nam si Christicolas alijs, quibus ipse ferendum
Hoc onus, hoc proprium voluisti imponere munus,
Militiæ æternæ Aligeris defendere fas est,
Cur mihi pro Turcis communem orare parentem
Non liceat? precibúsque Arabum fulcire salutem?
Nec quemquam tamen ipse veto vigilare fauentem,
Cui debet: fouet ille suos, foueátque clientes.
Quos ego seruari pariter cupióque, volóque,
Atque inter Turcas, tanquam certissima cultus
Adiumenta tui, vitæque exempla beatæ,
Versari incolumes, atrum vt post funus honores
Cælestum accipiant, ac præmia digna reportent:
Illi autem Abdaridúm leges, ritúsque nefandos
Abijciant, arásque tuas, & templa frequentent,
Edocti nullum esse alium, cui fidere possint,
Quémque mala sine fraude colant: cui vota, precésque
Concipiant, statuántque pijs altaria templis:
Quémque salutiferum confessi numen adorent:
Atque humiles vnum castas venerentur ad aras
Rite, tuum præter natum, graue pignus amoris
Erga hominum mortale genus: quibus annuis olim
Sidereas arces, vacuique sedilia cæli.
Ille igitur populum, qui nunc exire fidelem
Gaudet in Arabios, dextrásque armare minaces,
Mecum vnà lætus finem si spectat eumdem,
Nec portu longè diuersi erramus ab vno,
Vt quos ipse cupit seruari, ego perdere tendam,
Quid prohibet belli tantam restinguere flammam

Summo

Summe Pater? cur tam certo tot fortia leto
Pectora non arces? cur, qui nunc instat vtrinque
Interitus, cæcisque dies mutanda tenebris,
Non potius dulcem constanti fœdere pacem
Subducturam etiam multos heroas ab Orco;
In ferrum, inque aciem iam descendentibus affert?
Nam, Turcas si fortè manu deleueris omnes
Ipse tua, & nullus tandem superauerit atro
Excidio, quis iam potis exercere, suóque
Coget in officio gentes perstare sequentes
Iamdudum partæ tutissima commoda pacis?
Quin illæ potius (dicto procul exitus absit)
Otia, desidiámque animo (ni fallor) in omnem
Amoto procul hoste ruent: scelera inde profanis
Inter sese odijs suscepta admittere pergent,
Et cultu, & veræ spreto pietatis honore.
Hæc vigil Abdaridùm custos sic ore locutus
Conticuit: solitáque abiens in sede quieuit.
Ast alius, qui militia selectus eadem
Et Syriam, & palmis viridem curabat Idumem,
Astitit ad solium Patris, atque ita farier infit.
O Pater, æterno qui mentem impulsus amore
Legisti nostro vigiles ex ordine certos,
Quos populis, quos cuiq; homini, quos vrbibus, & quos
Præficeres regnis certa sub lege ministros,
Quandoquidem tu me voluisti è fratribus vnum,
Esset cui sanctæ custodia credita gentis,
Seligere, & comitem miseris hærere, ducémque:

Qui nunc ſeruitio Turcarum, Arabúmque ſuperbo
Oppreſſi longè à templis arcentur, & aris:
Accipe iam voces, populus quibus æthera complet
Ille tuus, placidúſque audi queſtúſque, precéſque,
Quas ad te ſtatui perferre, & quærere ſupplex
Tantorum requiem nobis, finémque malorum.
E quibus haud equidem inficior te ſueſſe frequenter
Innumeros, qui noſtra iuuent, producere fructus.
His namque exercere bonos, punire nocentes,
Atque augere ſoles præmi ſpes inde futuri.
Sed miſerum tamen huc illuc ferríque, rapíque
Inſontes, duráque premi ſub compede vinctos,
Et cogi ſimul infandos ediſcere ritus,
Et dirum diræ colere impietatis alumnum
Abdaridem: aut acres vltro dare corpore pœnas:
Incluſóſque tuæ vexari mœnibus vrbis:
Ceu pecus, & molles medijs in ouilibus agnos
Ore trahunt, mandúntque lupi, quos longa coegit
E ſyluis exire fames, dum rure profectus
Paſtor abeſt longè, vel ſomno indulget inerti,
Nec nocturna canum ſeruat cuſtodia caulas.
Quamquam longa ſatis monet experientia, nullum
Sperandum eſſe hominem, cui, ſi ſemel vlla licenter
Degendæ fuerit vitæ permiſſa poteſtas,
Mens eadem perſtet pietatem amplexa, nec vſquam
Rectum animi inflectat. nam qui per lubrica pergit,
Haud ſemel in peius labi conſueuit, humíque
Oblitus iacet vſque ſui. ceu fortè reuulſus

Aerio ſcopulus decurrit vertice montis,
In præcépſque ruit: nec partem auerſus in vllam
Flectit iter, donec fundo conſedit in imo.
Vnde potis vis nulla vſquam remouere iacentem,
Non Boreæ, non torrentis decurſus aquai:
Vſque adeò ſedet immotus. Scio acerba meorum
Excidia, & quanto coner noctéſque, diéſque
Inde alium, atque alium præſens inhibere labore;
Ne quando allecti rerum dulcedine, & vnà
Turcarum longa iam conſuetudine victi,
In ſcelera, & mores abeant, ritúſque profanos.
Nec ſum etiam, veri ſi quid mens augurat, ipſe
Inſcius inferna miſſurum à ſede miniſtros
Luciferum, quo ſe rebus tibi in omnibus æquet,
Artibus, atque dolis operam quamcumque daturos,
Seruitio ne fortè tuus, quo preſſius anhelat,
Exeat, & dominos populus fuget vrbe ſuperbos.
Atque hæc ſi mecum, qui nunc tibi regna rebellis
Barbara commendat gentis, quòd amica tuorum
Interdum celebrantem aliquem commercia diro
Seruet ab interitu, quòd tanta exempla ſecuti
Fortè olim Turcæque omnes, Arabéſque receptent,
Agnoſcántque tuum concordi pectore cultum;
Hæc ſi mecum vnà verè conſideret, idem
Commoda ſectari parua, atque incerta videbit.
Namque, vt multa tuæ ſpargant pia ſemina legis
Chriſticolæ Turcas inter, tamen impius ille
Abdarides magis, atque magis firmatur in horas,

Inque

Inque dies crescit, cultúmque nefarius auget
Ipse suum; magnámque trahens in Tartara secum
Partem orbis, medio fidens exultat Auerno.
Nec tamen exosus Persásque, Arabásque feroces,
Euerti vnà omnes ruptis radicibus optem,
Exitióque dari. Vincant, quos vincere fas est:
Et victi imperio discant parere bonorum:
Iustitiámque colant docti meliora, tuóque
Colla iugo faciles submittere mollia pergant.
At tu, mundi opifex, & rerum æterna potestas
Summe pater; Solymæ populo si libera vtrique
Afferet ad certæ certa adiumenta salutis,
Affer opem magnis (tua laus erit vnius) ausis,
Et procerum pia cœpta iuua: quos vndique ab oris
Conuenisse vides patrijs; & tecta, domósque
Deseruisse suas, Solymorum vt mœnia tantis
Eripiantque malis: desertáque templa frequentent,
Et substructa nouis cumulent altaria donis.
Hæc Ille. At pater omnipotens sic deinde profatur:
Iamdudum, ô vigiles mandata ad nostra ministri,
Quod libuit, placuitque semel, decreuimus ipsi,
Nec frustra decreta cadent. Vos munus obite,
Quisque suum. bello Syriæ miscebitur orbis,
Purpureúsque fluet multorum sanguine Orontes:
Et nunc magnanimis cedet victoria Gallis:
Nunc eadem ad Turcas vultu lætissima verget:
Ingratásque vices voluet. ne quærite causas.
Ipse adero, cum tempus erit. Nec plura locutus

Annuit, & totum nutu tremefecit Olympum.
Mox medio è cœtu, quorum chorus excubat omnis
Vestibulum ante ipsum, primóque in limine portæ,
Aduocat Aligerum, fidámque affatur ad aurem.
O nostræ pars militiæ dilecte minister,
Quem primos inter prima hac in sede locatum
Ad nutus praestò esse meos vis cogit amoris
Immensi, & noctes suadet vigilare, diésque;
Vade age, Pannonias velox delabere in oras:
Maximus Ister vbi fines contingit Amantum:
Atque amnem aduersos totum deflexus in Euros
Mœnia sublimis præterfluit ardua Curtæ.
Impius hic Colomanus habet: cui frater auitas
Halmus opes, regnúmque dedit malè cautus habendum,
Ausus legitimæ studium, & suffragia plebis,
Testatámque diu patrum contemnere mentem.
Ille tamen posthac commissi criminis acre
Supplicium soluet nocti damnatus inerti.
Huc tu quàmprimùm demissus ab æthere summo
Fac populi, quos in nostros metus armat euntes
In Syriam, iam iámque Saum trauare parantes,
Mitescant, positáque omni feritate benignos
Exhibeant sese, nec cœptum obsepiat vsquam
Vllus iter, certámque viam vetet ire: sed vltro
Venturis, quacumque potest, ope sedulus adsit.
Dixerat. Ille autem ceu fulgur ab æthere præceps
Labitur: & dicto citius peruenit ad Istrum:
Quà medius totum cursu se vertit in Euros,

Lambit

Lambit & antiquæ sublimia mœnia Curtæ.
Hic regem somni expertem, curisque grauatum
Repperit, & dubios voluentem pectore casus
Bellorum, trepidúmque metu: ne fortè ducésque,
Et proceres, quorum latis exercitus aruis
Insidet, & populis bellum, excidiúmque minatur,
Ni sibi ad Euxini fauces via libera detur;
Protinus infensi pœnas cum sanguine poscant.
Ille igitur formam senis assimulatus Aquinci:
Cui templi, & rerum princeps data cura sacrarum,
Atque fides habita in dubijs certissima rebus,
Siue instent belli, placidæ seu tempora pacis,
Attoniti stetit ante oculos, atque ora tyranni
Pæonis, inde imo rumpens è pectore voces:
Non nunc tempus (ait) dubio cum pectore curas
Versare, & rerum ancipites expendere casus:
Hostis adest, non qui vacuos effusus in agros
Erret, & è patria depellat sede colonos,
Ac prædas incautus agat: paßimque vagetur
Longius à castris: sed qui sua signa secutus
Pareat imperio meliorum, & iussa facessat.
Certa ducum virtus: iuuenum spectata voluntas,
Et patiens pariter corpúsque, animúsque laborum.
Hanc tu, si sapias gentem, qua nullius vsquam
Gloria se tollit maior vel pace, vel armis,
Præcipuè deflens commissa piacula cædis,
Omnibus officijs sensim lenire memento,
Muneribúsque tuis. nam sic (mihi crede) quietas

 Inceden-

Incedentum acies Gallorum, & castra videbis
Ire viam, & dapibus nusquam se pascere inemptis.
Hæc memorans, vulgi strepitum, vocésque ruentis
Audijt ad portas vrbis: quo præuia Gallos
Fama volat missos castris, qui mœnia Curtæ,
Pæonij sedem regis, & limen adirent,
Bellique, & pacis secum mandata ferentes.
Ergo introgreßos iubet ipse in tecta vocari,
Seque locat solio residens Colomannus in alto.
Illi adsunt, regémque prius de more salutant.
Mox Senonum ductor Stephanus sic ore profatur.
Quod nos relligio Diuûm, quod certa voluntas
Effundendæ animæ pro libertate piorum,
Ac promissa fides, quod nos data dextera cogit,
Concordes bellum Turcis inferre tyrannis
Venimus, & sæuos Europæ à finibus hostes
Arcere in montes Persarum, Arabúmque cauernas.
Nec certè, cum communem pater vrbis, & orbis
Cogere Gallorum vires decreuit in hostem,
Pannonios, vellent qui tantum infringere fœdus,
Impiáque Abdaridæ stabilirent regna rebellis,
Insignes pietate viros, fore credidit vmquam:
Sed potius, quod fas fuerat, quod fama ferebat,
Nostrorum aucturos numerum, viréisque putauit:
Et bellum auspicio regis, ductúque potentis
Gesturos: cuius pietas gratissima cœlo
Esset, & in dubijs virtus exercita rebus.
Quem nunc præpropere cœlestum in templa relatum

Et colimus, flemúsque simul. si vixet, aperto
Exciperétque sinu Gallos, opibúsque iuuaret:
Sterneret ipse viam: quæ quaque in parte sequenda,
Aut vitanda forent, vltro nos ipse doceret.
Nunc tibi visum aliter: quando tot millia leto
Nostrorum, qui se dextræ Colomanne, tuæque
Crediderant fidei, tua missa ex vrbe repente
Agmina, contempta Diuùm pietate, dederunt.
Atque hæc ipsa quidem scitatum venimus, an sint
Consilio confecta tuo. discrimen vtrisque
Hoc solum ostendet, stabilis pax instet, an arma.
His dictis animo cunctantem, atque ore tacentem
Aggressus regem: Non hoc sibi poscit, Aquincus,
Tempus, ait. nunc certa tibi est oblata facultas
Præteritæ cædis nullorum cæde piandæ.
Fare, age; quid dubitas hæc tanti incendia belli,
Dum licet, externas longè depellere in oras?
Iungeréque inuictas constanti fœdere dextras?
Talia finierat: cum Rex, cui nuntius ales
Iamdudum in Gallos animum, mentémque benignam
Addiderat, curásque è corde reuellerat acres;
Attollens oculos, ore est sic fatus amico.
Si vestrum imperium, Galli, si vestra secutæ
Iussa forent acies, quas huc Germania fudit
Innumeras, nostra arua suis viduata colonis,
Quæ modo vidistis passim squalentia ad Istrum,
Dum cœptum properatis iter, bene culta niterent:
Nec misto amborum maduisset sanguine tellus,

Funera tot miserans populorum vtrinque cadentum:
Sed potius lætos læta excepisset amicos:
Et, quibus ipsa opibus poterat, iuuisset euntes,
Non adeò longè nostris disiungitur oris
Humanæ iucunda comes clementia vitæ,
Nec tam relligio longè supera alta tenentum
Exulat hinc, vobis vt quicquam obstare velimus
Concordi in Turcas animo sumentibus arma.
Immo ego, ni regni nouitas reuocaret, & anceps
Vulgi animus, procerúmque odia, & male grata voluntas
(Credite) non essem tanti pars vltima cœpti;
Et data seruarem patrui promissa, fidémque.
Postulat hoc à me causæ commune periclum,
Et communis amor famæ immortalis, & ingens
Gentis honos: cuius præclaro à sanguine priscos
Pæonij repetunt proauósque, atauósque suorum:
Inter qui Noarum quondam, Bargúmque feraces,
Post acri direpta manu donaria Delphis,
Insedere agros Brenno duce, & auspice Brenno.
Mox patriæ sueti latè producere fines,
Pannoniæ populos omni ditione subactos
Pressere, & victis leges, ac iura dederunt.
Hac ortos patruus nos clara à stirpe volebat,
Et patriæ à tanta numerabat origine factos;
Tauristásque, & Scordiscos, Boiósque feroces,
Quæ tum nomina erant, Gallos genere esse docebat.
Quare agite, ò, vno nobiscum sanguine iuncti
Inuicti heroes, dextris coniungite dextras,

Atque animos animis. &, quæ contraria votis
Acciderunt nostris, hilares iam mittite, & ipsos
Per patriæ fines vobis iter omne futurum
Credite, quæ tantis peperit vos inclyta factis.
Non deerunt, quacumque viam tendetis, amica
Hospitia: & dapibus mensæ sine fraude paratis:
Pérque agros, mediásque vrbes, pérque oppida tuti
Ingressus, & nusquam ingens non copia rerum.
Hæc ait: & geminas signis, ostróque superbas
Efferri è thalamo vestes, & cingula bullis,
E solido bullis longè fulgentibus auro,
Apta iubet: nec non pretioso vellere martes:
Quas gens perpetuis Scythiæ damnata tenebris,
Suetáque Riphæas pedibus calcare pruinas,
Mittit Hyperboreis terrarum à finibus vsque,
Ingentis pretij martes. his insuper addit
Aurea, & Eois insignia pocula gemmis.
Tum verò, quando ille aliud nil maius habebat,
Goffredo iubet inclusum, fuluóque decorum
Ære dari sceptrum. cuius pars ima frementem
Desuper vrget equum, Nili genitoris alumnum.
Parte autem in summa róstróque, atq; vnguibus hydrum,
Quem pia defecto iandudum ætate parenti
Afferat, ales habet diris inuisa colubris:
Atque hæc (inquit) erunt nostri rata pignora amoris,
Ignarámque doli Gallis testantia mentem.
Sic fatus, properè vicina per oppida certos
Dimittit, quorum monitu secura parentur

Hospitia:

Hoſpitia: atque viæ loca proxima rebus abundent
Omnibus humanæ ad vitæ ſpectantibus vſum.
Aurigæ interea ex altis Elaſippus, & Æthon
Veloces ſtabulis ſimul eduxere quadrigas:
Quæ rapidis rapidas anteirent curſibus auras:
Et tutæ accliuis ſuperarent deuia montis.
Aurea materies illis curuatur in arcus,
Et iuga chryſolithis paſſim variata niteſcunt.
Vlmeus eſt temo. duro circumdata ferro
Curuatura rotæ, radióſque volubilis ambit,
Non vllis ſalebris, non vlla ætate domandos.
At procul expellunt pluuiámque, imbrémque cadentem
Arte laboratæ villoſo è Caſtore pelles;
Quæ currum inductæ circúmque, ſupráque tuentur.
His adduntur equi generoſa à ſtirpe parentum;
Quales Cappadocis prope flumina Thermodontis,
Dum populos armis, dum curſu prouocat Euros,
Antiopen agitaſſe ferunt, atque Orithyiam,
Inter Amazonias acies, turbámque ſororum,
Effera quæ Martem mentiri eſt auſa parentem.
Talibus auditis Galli, doniſque receptis
Læti abeunt Curta: pacémque in caſtra reportant.
Atque aliquis vulgo è medio, cum fortè videret
Intextáſque auro veſtes, radiatáque gemmis
Pocula, cornipedáſque feros, pulchráſque quadrigas,
Et ſceptrum, & captas Vrſæ ſub ſidere martes:
O, quàm magna (inquit) virtus; quámque inclyta fama
Gloria, quàm tantis dignatur honoribus hoſtis

Barbarus,

Barbarus, ac prece ſubmiſſa veneratus adorat.
Et poterit tanti quiſquam diffidere ductu
Herois? poterit Turcarum horreſcere vultus
Præterea? & rerum non expectare ſecundos
Euentus? huiúſque ingentia præmia belli?
Hæc ille. Et defixa ſolo tentoria lætæ
Collegere acies: auulsáque ſigna ſecutæ,
Quæque ſua, incœptum peragunt iter: æráque longe
Sole ſub ardenti radijs percuſſa renident,
Præſtringúntque oculos ſpectantum: Eurique procaces
Cardine ab aduerſo cœli petulantibus auris
Certatim verſant, altúmque per aera plangunt
Signa ſuis noſcenda notis: quæ ſcilicet vna
Omnia ſanguineo dirimit Crux ſutilis oſtro.
Ecce autem diris Erebi de ſedibus ales,
Cornua cui ſurgunt ſumma infeſtiſſima fronte:
Triſte rubent oculi: ſpirant incendia nares:
Et caput intorti lambunt pro crinibus angues:
Curuati in falcem dentes: informis hiatus
Oris: adunci vngues manuum: quarum vna flagello
Inſonat horrendùm: piceam fert altera tedam.
His ſimul ac ſontes animas in Tartara trudit
Impius, atque Erebo totum ſe condit aperto,
Contrahit in gyros, & crebra volumina caudam
Obſcœnam, & terras tetris obnubilat alis.
Quáque iter intendit, nimbíque, imbréſque ſequuntur,
Urentéſque æſtus, intempeſtæque pruinæ,
Abruptæque micant tenebroſa è nube procellæ:

Verbe-

Verberat & grando sata læta, boúmque labores:
Ac mortale genus vexant morbíque, faméſque.
Ille autem veteres populorum exaſperat iras,
Accenditque odia, & reges impellit ad arma
Præcipites, ſecum portans letúmque, metúmque,
Inſerit & paci, ſi qua eſt, noua ſemina belli.
Ergo huc Ammerice tum ſe referebat ab alta,
Ammerice, cuius noſtro dirimuntur ab orbe,
Et nobis aduerſa premunt veſtigia gentes:
Templa vbi, & innumeras poſitis altaribus aras
Ture adolent: Stygiæque vmbras, & numina noctis
Cædibus, ac fuſo miſerorum ſanguine placant
Regnatæ paſſim Aligeris nigrantibus vrbes,
Iſque, vbi diuerſis Europæ à partibus omnes
Arma manu populos ſumpſiſſe vltricia vidit,
Quò regno ſpolient Arabas, iámque arua feracis
Pannoniæ, & Graiùm fines, Thracúmque tenere
Victores, neque adhuc ollis ſe opponere quemquam,
Aſtitit indignans, vna quòd tanta coiſſent
Agmina: & vnanimes in ſe, excidiúmque ſuorum
Coniuraſſe omnes iam cerneret Europæos.
Sic igitur ſecum. Quæ nam ſocordia, quæ nam
Tartareos inuaſit iners ignauia fratres?
Sublatæ ne omnes cauſæ, quibus Itala tellus
Fœta odijs in ſe conuerterat impia dextras?
Ciuilis ne adeò ſunt obruta ſemina belli,
Et tam certa tenet pax, & concordia Gallos?
Támque hilarem ducit pacata per otia vitam

Imperij

Imperij quondam aſſertrix Germania, liuor
Fortibus alterius cœptis non vllus vt obſtet?
Sic ex regum animis penitus diſcordia ceſſit,
Ut vacet externas armis inuadere gentes,
Abdaridáſque meos patrijs depellere regnis
Audeat? & poſitas Solymis euertere ſedes,
Lucifero poſitas ſedes, ritúſque ſacrorum?
At gens imbellis, credo, & nil tale timendum.
Non ne eadem Siculis nos hæc iam depulit oris,
Exactóſque procul remeare in regna coegit
Afrorum? non victrici tot millia dextra
Hæc eadem Abdaridûm Ligeris prope fluminis vndam
Fudit? & innumeros cædis cumulauit aceruos?
Nimirum bello vinci nequit: illa labores
Auſa ſubit duros: inuictáque numen adorat
Illa ſuum, cultúmque ſuum tutatur, & auget
Quotidie magis, atque magis. non ire periclis
Obuia, non æſtus renuit perferre, famémque:
Ingrata nec victa ſiti, nec frigore cedit.
Abſumptæ ne igitur vires? fraudéſque, doliq́ue,
Inſidiæq́ue omnes, & noxia crimina deſunt?
Non dabitur Turcis (eſto) concurrere noſtris,
Et Gallis virtute pari, non robore eodem
Pectoris, & belli ſummam gerere artibus ijſdem.
At dabitur populos odijs verſare, doliſque:
Ancipitéſque metus pauidis inferre tyrannis:
Infirmare fidem: dubijs confundere pactis
Fœdera, & hinc atque hinc raptare in Tartara prædas.

Seu

Seu ſit Arabs, ſeu Thrax: numerúmq; augere nocentum:
Atque iter innumeris ſedes præcidere ad altas:
Deiecti vnde ſumus (miſerùm) per vímque, nefáſque
Tartarei fratres, ſummis inuiſa poteſtas
Cœlicolis, iuſsíque imas Phlegethontis ad vndas
Exercere iram, & tenebris dominarier atris.
His vbi ſeſe acuit dictis inamabile monſtrum,
Ardua deſeruit cæli conuexa, ſuáſque
Demiſit Stygias penitus ſe pronus ad vndas.
Atque illic iratus adit mæſtúſque, treménſque
Regnatorem Erebi. Laxa ſedet ille catena
Vinctus, & infeſto ſummum petit aera cornu
Nequicquam; & rabie conſumitur vſque furenti:
Quòd neq; clauſtra datur, neque vincla exire poteſtas,
Chriſticolúmque animis varias intexere fraudes,
Et ſuperùm regnis ſperatum indicere bellum.
It circum Aligerùm pubes denſata nigrantum:
Et voces, nutúſque ſilens obſeruat, & audit
Illius: ac nuſquam niſi iuſſa abſcedit ab aula.
Tectum ingens, deforme ſolum, circumdata ferreis
Regia parietibus: quam ſeptem ambire feruntur
Cocyti ſtagna alta vadis imperuia cæcis,
Et pice torrentes, atráque voragine ripæ.
In foribus diræ effigies. Contemptus: edáxque
Liuor: & iniuſtæ Veneris damnata Cupido:
Atque moræ Furor impatiens: auríque micantis
Sacra Fames; Luxúſque vorax: & deſidis otij
Importuna Quies: expéſque Acceſſus ad vmbras
Tartareas,

Tartareas, triſtisque ſedens in limine cuſtos
Impellit flagris alios, alióſque coercet:
Et ſemel ingreſſos prohibet remeare ſub auras
Æthereas, placitæque iterum ſe dedere vitæ.
Ergo illi cœno informes voluuntur: & illos
Sulphureis demergit aquis niger Ales: & vnco
Corripit impacto: atque ardenti verſat in igne.
Supplicij nullum deſit genus: & ſua quemque
Pœna manet, luitúrque ſuo ſub vindice ſemper
Quicquid apud ſuperos ſceleris committitur vſquam.
Huc ſeſe Ammericæ veniens demiſit ab oris
Aliger, & properè portas ingreſſus apertas
Conſtitit ad ſolium, ſæuique inamœna tyranni
Limina: & has imo voces è pectore fudit.
En adſum, ò princeps tenebrarum, ò maxime noctis
Arbiter, externis occulti à finibus orbis,
Quem neque adhuc veterum ſolers induſtria patrum,
Nec fors, nec caſus, nec vis humana retexit.
Oceano diſiuncta latet pars illa patenti,
Et procul auerſis penitus depreſſa ſub Auſtris,
Nauigijſque hominum, volucrúmque imperuia pennis.
Hic ſolido ex auro plenæ tibi turis acerræ,
Sanguinéque humano perfuſa altaria fumant,
Hic tibi virgineum florem delibat, & aufert
Impius, innumeráſque preces, & vota ſacerdos
Concipit: hic vni magni tribuuntur honores,
Et tibi cunctarum defertur gloria rerum.
Hoſtis abeſt: non fama illas perlatus ad oras,

Non dictis, factisve usquam, non nomine notus.
Ipse illic solus regnas: cultúque frequenti
Solus adoraris: solum te templa fatentur
Et maris, & terræ, tempestatúmque potentem.
Quòd nisi quis fidens animo, atque interritus ausis,
Herculeas manibus post secula prisca columnas
Vellat, & Oceanum temerarius ire per altum
Audeat instabili dirimens vada feruida cymba,
Atque intentato positas petat æquore terras,
Nec scopulos veritus, nec cæco in vortice cautes
Nauifragas, fluctúsque perenni æstate calentes:
Illa tibi (si credis) opis non indiga nostræ
Seruiet æternùm, & supplex procumbet humi gens.
Omnibus hic lecti seclis immota futuris
Sacra canent pueri passim, innuptæque puellæ:
Vt se Tartareos vltro patiantur ad ignes
Mactari, & sontes addici immanibus aris.
Verùm illic dum regna tibi stabilimus, opésque,
Maxime rex, cunctósque Indos in iura, fidémque
Cogimus esse tuam: peditúmque, equitúmqe cateruas
Gallorum vnanimes, totámque sub arma coactam
Vidimus Europam cunctas effundere vires
In Turcas, Arabásque tuos. iámque agmina mille
Conuentura simul properant ad littora Thracum:
Vnde Asiæ limes breuibus disiungitur vndis.
Hanc tu, si sapias, totam tueare necesse est
Imperij sedem, & cultus cunabula nostri:
Perdendúmve vlro statuas, tibi quicquid in isto

Paret

Paret adhuc terrarum orbi: quósque vnus Auernis
Abdarides deuouit aquis, ad sidera ituros
Doctrinæ, vitæque piæ præcepta secutos.
Hæc ille. & vastas terræ impleuere cauernas
Tartareæ pestes diris vlulatibus: vt cùm
Turba canum queritur stabulis inclusa Molossûm;
Quam sibi diues opum iuuenis venator alendam
Curat, apros, sæuósque lupos, vrsósque daturam
Exitio, vt primùm stellis languescere lumen
Cœperit, & tenebras veniens Aurora fugarit.
Ergo illa interea noctémque exosa, morásque
Ingratas, varijs resonat latratibus ædes:
Dissonáque in longum ducens lamenta, salubres
Abrumpit somnos miseris custodibus. At rex
Nigrantum Aligerûm rabie fera colla tumescens
Horrendum intonuit murmur: quo protinus omnis
Intremuit tellus exterrita: nec minus altam
Substitit in montis faciem maris æquor, & vndas
Vorticibus rapidis trepidos effudit in agros:
Ipsáque perpetuos mutarunt flumina cursus,
Et fontes petiere suos. immugijt ingens
Caucasus: & celsi vertex subsedit Amani.
Postquam autem summis cœli gens exul ab astris
Inuidiæ stimulis questus impulsa profudit,
Et Phlegethonteis indicta silentia monstris,
Lucifer irarum voluens sub pectore fluctus
Constitit, & solio ex alto sic turbidus infit.
Non equidem, ò magni proles ignaua tyranni,

Cum mecum eiecti cælo cecidistis in ima
Tartara, vos inter veritus sum defore; qui cum
Hostibus assiduum belli certamen obiret
Æterni memor exilij: quo cedere victi
Cogimur æthereas sedes mortalibus ægris:
Quas illi cantus inter, celebrésque choreas
Militiæ cælestis, & inter gaudia numquam
Interitura tenent, segnis rata præmia vitæ:
Cùm tenebris nos interea voluamur in imis,
Immeritámque hosti pœnam pendamus atroci.
Non equidem timui, quin tanti iniuria facti
Fixa animo, vltrices cunctorum accenderet iras.
Quæ numquam genus humanum requiescere, numquam
Pace frui sineret. verùm noctésque, diésque
Fraude lacessitum pugna exerceret iniqua:
Dum nos parta manu summo victoria cælo
Æquaret: nocti nostros addiceret hostes
Nobiscum, & pœna victos cruciaret acerba.
Nunc autem video, quæ vestra ignauia, vestra est
Culpa ingens: solitas desisse intexere fraudes:
Desisse vnanimes hortari in prælia gentes:
Et versas turbare odijs vrbésque, domósque.
Non pudet? ò labes, ò, & turpissima nostri
Dedecora imperij, non vos pudet, ire quietos
Hesperiæ populos in me, excidiúmque meorum?
Ite procul viles vmbræ: quid statis inertes?
Quis vos insolita tardat formidine torpor?
Flagitia, & seræ derisa piacula mortis.

Fœdera si percussa, illo si nomine pacem
Compositam, cuius vim Tartara nostra tremiscunt,
Disijcere, atque animos tantis auertere cœptis
Non sinet ille vnus summi regnator Olympi:
Quis vetat inuidiæ flagris accendere Graios?
Ac tentare metu Thracis præcordia regis?
Inceptum qui solus iter remoratus euntum
Consilia, & causas cessandi innectat opertas.
Dixerat. ast olli vario simul ore fremebant.
Incusare alios alij: reprehendere fratres
Aerios, quorum talis data cura labori est.
Dúmque adeò ingenti iactant ea verba tumultu,
Exilit insultans Genijs è tristibus vnus,
Infestus scelerum vindex, & nomine Alastor:
Monstrum horrendum, ingens, quo non præstantius vllum
Irritare animos, & crimina fingere belli:
Exilit: & ventis, & fulminis ocyor alis
Se tulit ad superos Stygijs digressus ab oris:
Præcipitíque petit Byzantia tecta volatu:
Et tacitum Odrysij limen, soliúmque tyranni
Obsidet: atq; animum postquam persensit in omnes
Gallorum super aduentu diducere curas,
Adstitit: atque locum nactus, tempúsque nocendi,
Thatinno faciem similis furialia membra
Exuit: in vultus & se transformat amicos;
Thatinno, faciem obscœnam cui fœda cicatrix
Turparat: truncæque inhonesto vulnere nares.
Artificis mira sedenim mox arte refectas

Discolor obductæ certo discrimine limes
Iuncturæ sceleris pœnam ostendebat aperti.
Olli oculi in longum porrecti ad tempora: & olli
Turbinis in morem caput exurgebat acutum:
Et mentum vmbrarat rigidis rarissima setis
Barba: supercilij species depressa iacentis;
In pectúsque humeri contracti vtrinque redibant:
Obtutu immotus, collo breuis, & pede claudus:
Sed qui consilijs vnus belliqúe, domiqúe
Auctor haberetur non futilis: esset vbi hosti,
Aut ciui, aut fido fraus innectenda clienti.
Quæ gratum in primis artes potuere tyranno
Reddere Threicio, cunctísque imponere rebus
Imperij, populo pariter, patribúsque tremendum.
Cuius vt adueniens Erebo furialis Alastor
Induit os, humerósque sibi, faciémque manúsque,
Nec non & vocem, greßumque effinxit euntis,
His regem aggreditur dictis, & suscitat iras.
Dum tua sollicitis exercet pectora curis
Et metus, & patriæ vehemens amor: & noua semper
In consulta animum nunc huc, nunc diuidis illuc,
Europæ extremis exercitus aduena ab oris
Imperij fines nostri populatur inultos.
Ille quidem ficto prætexens nomine fraudem,
Dum sese, vt Solymis seruilia vincula rumpat,
Aggressurum Asiam simulat: Persisque fugatis
Euersurum Arabum ferróque, igniqúe penates:
Nimirum illud agit tantis conatibus vnum,

Vt Graios, quorum nutu nunc omnia parent,
Quæcumque Ionium complectitur æquor, & ingens
Amne Saus gelidum refugit quà deuius Istrum,
Imperio, atque omni spoliet ditione: tuisque
Excutiat sceptrum manibus, iúsque omne Quiritum
Occupet inuadens armis. Ea sola cupido
Finibus è patrijs Gallos exire coegit,
Non pietatis honos: ritus non cura tuendi
Vlla sui. sedes, alienáque regna lacessunt,
Terrarum vt soli vacuo dominentur in orbe.
Sic olim Thracum fines aggressus, & vrbem,
Cum Brenno extincto Gallis dux additus iret,
(Nam memini sæpe hæc priscos narrare Triballos)
Arua Comontorius Byzantia cæpit, & auri
Vim magnam miseros iussit sibi pendere ciues,
Defensa pœnam pro libertate, quotannis.
Verùm hæc temporibus iamdudum oblita vetustis
Fortè fidem, nulli facient exempla. sed illud
Scilicet indicio est, quali sit prædita mente
Gallia, vel quanta flagrare cupidine fuerit
Regnandi, terrásque omni ditione tenendi,
Quòd gens ista suis accommoda tempora rebus
Nacta olim imperij titulúmque, & nomen ademit
Per fraudem, & patrio Graios spoliauit honore.
Et nunc seruitio tendit premere ausa superbo
Thracibus hic quæcumque tuis regnanda supersunt.
Sed quid ego hæc tibi nunc annalibus eruta priscis
Enumerans verbis onero nimis anxius aures?

Quando eadem Italia nuper nos depulit, & nos
Illyriæ, & Macedûm cunctis decedere terris,
Proh scelus, & fines nostros sibi linquere adegit.
Ac nisi tum virtus tua sese opponeret vltrix
Threicij regni, regno premeremur iniquo
Gallorum, & patriam nobis fleremus ademptam.
Cur igitur nunc non obstas conatibus istis,
Nec molire moram? si non virtute, manúque,
Artibus at saltem fallacibus. indue vultus,
Atque animos, quibus imperio Nicephorus olim
Detrusus, summo sedem tibi liquit habendam.
Ne dubita. locus insidijs non defuit vnquam.
Perge modò: &, quà se pandit via praua fraudi,
I celer, atque dolis populos euerte superbos.
Sperne fidem, prouolue Deos: mendacia vincant.
Ipse adero: & nusquam vestigia pressa relinquam.
Vertam omnes me me in facies: nil prorsus inausum,
Aut intentatum patiar mihi, donec ad vnum
Cædibus absumptos videam, morbóque, faméque.
Hæc ille. & iam iam certa spe plenus Alexis,
Immo (ait) ò rerum columen Thatinne mearum,
Iampridem ad nostras certos dimisimus vrbes,
Oppidáque, & pagos, qui, si se forte facultas
Offerat audendi, pacémque, & fœdera rumpant.
Atque ex insidijs, vbi res ferat, agmen adorti,
Quà licet, hinc atque hinc inimicum excindere tendant.
Sin minus; officijs studeant vincire benignis:
Et non inuiti poscentibus omnia præstent.

Nam

Nam si obstare palàm mea sola potentia tantis
Non poterit cœptis, Arabas tamen vsque iuuabit
Consilijs, opibúsque suis, bellúmque morando.
Hæc vbi dicta dedit Graiorum ductor Alexis
Conticuit: flammisque nouis præcordia sensit
Accendi: atque animum stimulis vecordibus vri.
Interea, quà parte Saus se fundit in Istrum,
Transierat lætus Gallorum exercitus omnis:
Aruáque Tauruni, lucósque emensus opacos
Mysorum, sublime iugum superauerat Æmi.
Vnde hinc Adriacas, illinc Mæotidis oras,
Et Pontum spectare licet: breuibúsque diremptas
Cycladas inter se spatijs: Asiámque patentem,
Cui latè affusum magnis anfractibus æquor
Fluctifragum glaucis aspergit littus ab vndis.
Hinc aliquis tractus, latéque patentia regna
Turcarum longè aspiciens: Proh dedecus (inquit)
Occupat Abdarides tantum terræque, marisque?
Nec nos Christicolûm, quos iam parere coegit
Ille sibi, nec nos memores virtutis auitæ,
Nec patriæ, cultúsque pij miserétque, pudétque?
Scilicet id melius. bella intestina, necésque
Moliri inter nos, virésque absumere nostras
Nequicquam, & sæuum Turcarum increscere regnum
Inque dies magis, atque magis radicibus actis
Altius, ad cœlum tolli, pars cætera donec
Terrarum discerpta odijs, & viribus impar,
Ingratis frenum accipiat: cogatur & vnà

Flagitijs seruire nouis, ritúsque profanos
Discere, & in leges gentis iurare rebellis.
Talibus accensi dictis funduntur in agros
Odrysios, placido quos flumine lenior Hebrus
Lambit, & aurifera diues fœcundat arena.
Mox autem irriguam gelidis non vnius vndis
Amnis, & auctoris dictam de nomine Orestam
Prætereunt læti: positísque ad mœnia castris
Byzanti, grates Superúmque, hominúmque parenti
Supplicibus referunt verbis: rebúsque precantur
Optatum, qualem sperant ante omnia, finem.
Dúmque sacris intenti omnes operantur, & aras
Ante pias astant humiles: animóque labores
Exhaustos repetunt, & secum iter omne reuoluunt,
Aduentare acies Italûm conferta sequentes
Signa vident, tectósque equites fulgentibus armis,
Non procul inde ad se celerem contendere greßum.
Ergo incredibilis, cunctorúmque aucta tumultu
Lætitia exoritur subito: seséque vicißim.
Hinc, atque hinc acies animis, & voce salutant.
Et tandem venisse locum gratantur in vnum
Incolumes. ingens ferit aurea sidera clamor:
Quo septem Byzanti arces, quo ducta coronæ
Triplicis in morem sublimia mœnia ab imo
Contremuere solo: fluctúsque repreßit euntes
Bosphorus: atque iterum, post secula mille reuulsæ,
Inter se frontem Symplegades infregerunt.
At primi heroum proceres, delectáque pubes

Nobilium propere castris egressa reclusis
Sublimes in equis Italûm ductoribus vltro
Occurrunt, dextrásque iuuat coniungere dextris.
In primis regem Ausonium Goffredus amicis
Excipit adueniens complexibus: atque ita fatur.
Maxime dux, nostrarum in quo pars maxima rerum,
Curáque suscepti belli, spésque vna recumbit,
En tandem ad fines peruenimus Hellesponti:
Metimúrque oculis angusti littoris oras,
Per quas Argiuûm iuuenes transisse feruntur
Aurea de trucibus rapturi vellera Colchis:
Littoréque in medio pugna strauisse tyrannum
Bebrycium, qui se obtulerat venientibus hostem.
Quòd si summa Dei vis, atque immota voluntas,
Has voluit primùm virtuti opponere fauces,
Omen, & indicium belli, quodcumque futurum est,
Nos quoque Threicij regis videamus oportet,
Num fraudem, num vim iniustam superare queamus:
Et, quos insidijs (longa est iniuria) captos
Detinet, & vinclis iamdudum, & carcere clausos
Heroas, prima incœpti fundamina nostri,
Quòd minime putat ille, manu repetamus, & armis.
Ne tamen immeritos Thracas credamur adorti,
Misimus Odrysio qui bellum indicat Alexi:
Et cras, ni nostris properet parere petitis,
Vastaturum agros nos passim, vrbémque minetur,
Hæc Tullingus. & hæc contra sic Daunius heros.
Illum ego tot scelerum pœnam debere suorum

Et reor, & si quid recti mens concipit, opto:
Tu modò fac tecum statuas tibi quicquid agendum
Esse putes. ego iussa sequar. tamen vsque cauendas
(Si qua fides) populi fraudes, & verba Pelasgi
Expertus moneo. laudis gens inuida nostræ,
Inuida virtutis ferro modò victa quiescet.
Atque hæc dum secum vario sermone volutant,
Considunt acies campo, séque aggere cingunt.
Sole autem Hesperias mox decedente sub vndas
Ter sonitum tuba rauca dedit: quo scilicet omnes
Admoniti genibus flexis, & ad ardua palmis
Sidera sublatis Dominam terræque, polique,
Et matrem illius, nostros qui solus ab Orco
Vindicat, atque oris animos cœlestibus infert,
Voce salutarunt humili: precibúsque peractis,
Depellunt dapibúsque famem, mensísque reponunt
Vina: quibus læti sedant curásque, sitimque.
Interea portas alij, vallúmque, viásque
Obsidunt vigiles: alij defessa labore
Membra locant stratis: gelidæque horrentia Lunæ
Frigora, & hybernos vitant sub pellibus imbres:
Optatósque petunt somnos, animósque relaxant.

PETRI

PETRI ANGELII BARGAEI

SYRIADOS LIBER V.

NEC minus Odryſiam cingi cuſtodibus vrbem,
Altáque peruigili ſeruari mœnia cura,
Cùm primùm medijs Gallorum exercitus agris
Conſedit, denſis Italûm legionibus auctus,
Iuſſerat Imperij Thracum moderator Alexis:

Et ſeſe

Et sese cunctorum oculis subduxerat vltro,
Abdiderátque domi, stratis defessa daturus
Membra, maris magni dum Sol delapsus in vndas
Solatur dulci mortalia corda quiete;
Et cœlum reserat stellis ardentibus aptum.
Ipse tamen pectus curis exercitus atris
Peruigilat, placidóque nequit vincire sopore
Lumina: at in varias animum diducere partes
Cogitur, & rerum dubios expendere casus.
Non secus atque olim diuerso ex orbe ruentes
Marmoreum impellunt æquor Boreásque, Notúsque
Alternántque vices inter se, & mutua regnant;
Tolluntur fluctus ad sidera: feruet arenis
Æstus, & eiecta littus conspergitur alga.
Iámque adeò mediæ spatium voluentia noctis
Sidera contigerant, vacuúmque Aurora cubile
Oceani linquens nondum fulgere parabat;
Pulcher odoratos Ganges vbi diuidit Indos:
Cum post insomnes horas, & tædia, molli
Infractos lecto tandem mæstissimus artus
Composuit, vigilésque oculos languore remisit.
Sedibus interea ex imis egressus Auerni,
Ne quid inexpertum, ne quid pateretur Alastor
Intentatum à se, quò tanta incœpta morari
Possit, & Abdaridis illatum auertere bellum,
Quærit in aeria fratres regione vagantes:
Depulsos cœlo fratres, qui iussa secuti
Impia Luciferi summo detrudere regno

Aeternum

Aeternum voluere hominum, Superumque parentem,
Cunctarum vt rerum domini, cœlique potentes
Ipsi essent, primique alta in statione sederent.
At genitor, cuius nutum, dextramque tremiscunt
Sidera, & æternæ mentes reuerentur, ab astris
Deiectos, partim tenebris addixit Auerni.
Partim autem immensum ferri per inane volantes
Iussit, & impuræ versari in partibus æthræ,
Supplicia, & pœnas tanto pro crimine dantes.
Quàm multæ Libyco turbantur littore arenæ,
Eurus vbi, Zephyrúsque mari incubuere profundo:
Aut etiam Arabia in media cum pulueris atri
Insurgunt campis nubes, & lucis egentem
Aera condensæ picea caligine condunt.
Sic cœli obscuras implent immensa cauernas
Agmina, & assiduè flagris immanibus vrunt
Pectora: quorum acres ni vis diuina refringat
Conatus, vnà cunctos in Tartara secum
Ima ferant: tantas properant innectere fraudes,
Et tantum miseros gaudent auertere luce
Siderea, & noctis tenebris damnare perennis.
Huc ergo celerem cursum contendit Alastor:
Et sedes petit infaustas: vbi fœda nigrantum
Turba habet Alituum, quæ per sua somnia miris
Ludit imaginibus mentes, & pectora regum.
Est locus, in terras ruit vnde nigerrimus imber,
Et teneras grando miserè contundit aristas,
Præcipitant nimbi, voluunt maria alta procellæ,

Humanúmque

Humanúmque genus tonitrus, & fulgura terrent.
Illic extorres Genij torquentur, & illic
Concilia, & cœtus agitant, variásque per artes
Circumfusi animis certant illudere nostris.
Quos pestes & facies, & monstra immania rerum,
Scyllæque, Sphingésque, & turpia Centaurorum
Corpora, nec tacitæ cædis non conscius horror:
Ac scelerum suadela, noui spes improba regni,
Quæque adeo pauidas impellit ad impia mentes
Vana superstitio: sæuisque adamata tyrannis,
Et recti, & praui certa sine lege potestas.
Quò simul adueniens trepidus successit Alastor,
Accurrere omnes, summáque in sede receptum
Luciferi inferna furiarum ab sede ministrum,
Quid mandet, fierique velit toto agmine poscunt.
Ille autem: O nostro gens acceptissima regi,
Spes Erebi, Stygijque cohors teterrima fratris,
Immensi quibus ad pœnam plaga turbida cœli
Est data, mortali victi cum cessimus hosti
Ætherias sedes, &, pro cœlestibus oris,
Aeris obscuros tractus, terræque cauernas
Cogimur horrentes habitare, & frigora, & æstus
Perferre, & soli sæuos tolerare labores.
Vsque adeò nihil esse putat Rex ætheris alti,
Assiduúsque, atróxque vltor memorabilis ausi,
Nos cœtu è Superum, cœlique ex arcibus actos
Præcipites, spectare homines ea regna colentes,
(Proh scelus) in primis generi quæ debita nostro.

Cernitis

Cernitis Europæ populos, sedisque rebelles
Tartareæ, nuper percusso fœdere bellum
Decreuisse Syris inferre, & tollere ritus
Consuetos, aliúmque animis inducere cultum.
Vt, qui falsa diu fuerint præcepta secuti
Abdaridæ, incolumes, perspecta fraude priorum,
Seruentur, rectáque omnes ad sidera tendant.
Nos autem in duras nobiscum impellere pœnas
Possimus nullos, penitus quos odimus, & quos
Post obitum Stygio sontes addiximus Orco,
Ditantes præda semper Phlegethonta recenti.
Erigite ergo animos, & , quam pote quisque per artem,
Afferat auxilium, præstóque ruentibus adsit
Rebus, & Imperij fines, spatiúmque propaget:
Communésque altis regionibus arceat hostes,
Hoc iubet; hoc vobis mandat rex magnus Auerni.
Irritate animos; iráque accendite Graios
In populos, quorum, ceu dira piacula, ritus
Depellunt ipsi templorum à limine, & aris
Exosi patrum decreta æterna piorum.
Ite igitur, mentésque simul, sensúsque profanos
Iamdudum cœlo auersos spe pascite iniqua;
Insidias vt cum Gallis, Italisque pararint,
Ignorent sese pietatis imagine falli:
His dictis accensa cohors furit vndique, & iras
Euomit, ac cœlum tenebris obscurat obortis:
Inde autem in populos Graium mille agmina, mille
Descendunt acies sublimi ex aere missæ:

Et corda exacuunt, rabiémque furentibus addunt,
Inque Italos raptim, Gallósque erumpere cogunt,
Dum nox atra oculis nebulas offundit opacas,
Et Lunam occultant densa caligine nubes.
At Morpheus inter Genios notissimus vnus
Aerios, cui summa olim permissa potestas
Omnia vertendi sese in miracula rerum,
Ignémque, pluuiúmque imbrem, glaciémque, niuémque,
Effigiésque hominum, sæuarúmque ora ferarum,
Iussus abit: aulámque intrat, thalamúmque tyranni
Odrysij: & pressis lecto superastitit alis;
Eustratio vocem similis, faciémque, colorémque,
Et crinem intonsum, rugisque inarata senectæ
Ora, manúsque ambas, malásque ætate fluentes.
Eustratio, qui tum custos populique, patrúmque,
Sacrorúmque adeò princeps peruersa doceri,
Quæ miseri colerent ciues, præcepta iubebat.
Ergo illum vultu referens, procuruus eburno
Incubuit baculo, talésque è pectore voces
Edidit. O quondam cui res est credita tanti
Imperij, Graiúmque vigil tutela sacrorum,
Quæ ritu ceu vera pij statuere parentes,
Pérque manus eadem seri excepere nepotes,
Surge, age. sub tanto iam te requiescere casu
Non licet, & totam somno traducere noctem,
Consilio populi moderantem frena, manúque.
Hæc ille effatus tenebris se immiscuit atris.
At rex Threicius toto de corpore somnum

Excutit:

Excutit: atque artus ſtratis è mollibus excit:
Induitúrque humeros ſaturatam murice lænam:
Et lateri inſignem gemmis accommodat enſem.
Tum verò ancipiti verſans ſub pectore cura
Conſilia, & rerum caſus, ſtuctúſque ſeueros
Permetuens, ad ſe fidos accerſit amicos:
Thatinnum ante omnes. quos tecta in regia poſtquam
Conueniſſe videt, poſitos ex ordine, primùm
Talibus alloquitur ſolio ſublimis ab aureo.
Delecti ò proceres, regni firmiſſima noſtri
Robora, conſilio qui nos fulcire fideli
Conſueſtis, quoties dubijs de rebus ad aures
Rettulimus veſtras: & quæ mens eſſet, apertè
Teſtati, mecum ciues ſeruaſtis, & vrbem.
Scitis vt inſidijs exceptum in tecta, domóſque
Adduci, & vigili cinctum cuſtode teneri
Vgontem magnis curarim à regibus ortum,
Ductoréſque alios, ſumptis quos fortis in armis
Gallia miſit auis ad nos, atauiſque potentes,
Latronum capita: occiduis qui nuper ab oris
Adueniunt, vrbémque armato milite noſtram
Oppugnant, poſitis ipſa hæc ad mœnia caſtris:
Quódque magis doleam, ferróque, igniq́ue minantur
Deſolaturos agrum, ſtragémque daturos
Vndique, ni iuuenem actutum reddamus, & vnà
Delatis illuc rebus, quarum indiget vſus,
Omnibus, & Gallos quamprimùm, Italóſque iuuemus.
Ac iam tempus adeſt, orta cum luce vocari

Oratorem opus eſt regum mandata ferentem:
Reddamus quò noſtra illis reſponſa viciſſim:
Oblatam ne vltro pacem iungamus, an armis
Imperij ſedem noſtri tueamur: & illi
Experti diſcant Thracum quid fortia poſſint
Pectora, & vnanimes Graiorum in prælia vires.
Rex hæc Threicius: Sed enim muſſante Senatu
Thatinnus, cuius ſemper ſententia quò ſe
Flecteret, ac rebus laxas daret vnus habenas,
Spectabant intenti omnes, ſic ore locutus.
Si quiſquam eſt, rex magne, tuam qui neſciat omni
Perſpectam virtutem orbi, qua clarus ab Indis
Sol oriens medias percurrit lampade terras,
Et caput Heſperias condit decliuis in vndas,
Forte putet certi tantis in rebus egentem
Conſilij, certas aliorum exquirere voces.
Nunc autem, quoniam melius quid tempora poſcant
Ipſe vnus, tanquam ſpecula ſublimis ab alta
Proſpicis, ò, bone Rex quàm quos Byzantia patres
Curia dinumerat, cum conuenere frequentes;
Quis dubitet, quin infeſtos delere latrones,
Non virtute palàm præſtet, ſed fraude petitos?
Nam neque nunc demum quærenda eſt gloria bello
Vlla tibi, quippe illam olim peperere labores
Multiplicem, & ducti ſuperato ex hoſte triumphi.
Sit viciſſe ſatis quauis ratione ſuperbos
Prædones, quos vna ſuis è ſedibus actos
Impulit externos rabies inuadere fines

Ciuilis, patriáque ingens exegit egestas.
Hos autem si fraude queas euertere, nulli
Obijciens Graiósque tuos, Thracésque periclo,
Tum te insignis honos, tum fama æterna sequatur
Victorem, laudésque tuas cum laudibus æquet,
Tota quibus priscum commendat Græcia seclum.
Cum post innumeros anni, Solisque recessus
Vnum te ventura ducem mirabitur ætas
Deleuisse vagam nostro sine sanguine gentem.
Dimittendi igitur donis ingentibus aucti,
Quos tua nunc, Rex magne, tenet custodia vinctos,
Cum primum terras radijs aperire patentes
Cœperit exoriens Aurora, intráque vocandi
Mœnia ductores, simulato & fœdere dextræ
Iungendæ, quò nostra hostem pellamus ab vrbe
Pacatum, post autem Asiæ castella, sitásque
Montibus in summis, cinctásve palustribus vndis
Oppugnantem vrbes frustra ferróque faméque
Absumamus, opem Turcis. Arabisque ferentes.
Talia censebat fraudum certissimus auctor
Thatinnus, nutúque omnes consulta probabant
Impia, cum subitò falsis rumoribus aures
Velitis in faciem versus compleuit Alastor.
Scilicet excubias omni statione relicta
Discessisse procul; nec quemquam castra tueri;
Desertúmque suis custodibus vndique vallum:
Nec non & reliquos somno, vinóque sepultos
Ostentare viam, si quis præstantibus ausis

Illustris, Graiúmque inter, Thracúmque maniplos,
Audeat implicitam tenebris inuadere turbam;
Insuetam tenebris turbam committere pugnam,
Et conferre manus, ignaram hominúmque, locorúmque.
Hic improuisa mentem commotus Alexis
Tantarum rerum fama, capere ocyus omnes
Arma iubet, totáque effundi ex vrbe maniplos.
Interea sese, facti quasi totius expers
Deuinctus somno cubet, in penetralibus aureis
Expectaturum, quem tanta audacia finem
Consilijs, rebúsque suis imponat: & vtram
In partem sua cœpta ruant: tum protinus illuc
Venturum, quò se casus, tempúsque vocarit,
Aut bellum gerere, aut concepto fœdere pacem
Exercere velint, dextrísque adiungere dextras,
Legibus inter se, & pactis noua pacta ligantes,
Immò, ait Eurytion (famæ námque illius auctor
Venerat Eurytion, vni cui credita seræ
Noctis, &, obsessi præsens custodia muri)
Iamdudum sumptis populus tuus assidet armis
Pugnæ auidus, nimiúmque moras incusat inertes,
Dum proceres, summíque duces recludere nolunt
Obicibus ruptis portam, cui Thracia nomen:
Iniußúque tuo prohibent erumpere, & ipsam
Linquere nocturnis vacuam custodibus vrbem.
At bonus Eumedes, cuius præcordia nullis
Attigerant stimulis diræ, obscœnæque volucres;
Sed pietas, cultúsque Dei sincerus, & vnà

Intemerata fides, cunctósque illæsa per annos
Virtutis miro mentem inflammarat amore,
Sustinuit paulum sese: mox pronus vtrisque
Submissis genibus canos nudauit, & ipsum
In morem venerans adstantem ante ora tyrannum
Incipit; atque illum verbis affatur amicis.
Maxime Rex, equidem pro te quicumque periclis
Obijciet caput ipse suum, natósque, domúmque
Impiger in dubij mittet discrimina martis,
Dum præsens tempus, dum res ita postulat, illum
Consulere in medium, & rectè sentire fatebor.
Nil quoniam metuisse, tamen cauisse decebit
Omnia, consilijs patriæ qui iura tuetur,
Atque vnam spectat populi, regísque salutem,
Quis dubitet, quin castra duces, quo densior vmbra
Incubuit terris, & nox accommoda furtis,
Munierint, dubiósque aditus, & strata viarum
Excubijs passim vigilantibus? Haud mihi quisquam
Suaserit, & rigidas glacies superasse, niuésque,
Perpeßósque hyemes, ventósque, imbrésque furentes
Incolumes, populósque manu fudiße superbos,
Atque viam medios tuto strauisse per hostes,
Oblitos nunc esse sui: lætósque laborum
Ignorare quibus terrarum in finibus errent:
Aut somno, & placida oppressos recubare quiete.
Haud ita Goffredus primis aßuetus ab annis
Degere sub dio vitam, tolerare labores
Militiæ, noctu numquam se dedere somno

Instituit, Syriæ secum quos ducere in oras
Decreuerat, bello natos, & fortibus ausis.
Nec nostris nimium notus Boemundus, & acer
Virtutis magnum specimen Tancredus auitæ,
Artibus instructi patrijs, non viuida bello,
Ausoniæ decora alta suæ, legisse feruntur.
Pectora, Dalmaticis olim durata pruinis,
Doctáque sub forti Martem exercere magistro.
Scilicet hic demum nocturna ob frigora miles
Iniussus solito vallum custode relinquat:
Exutum, noctémque ratus, tenebrásque profundas
Fraude vacaturas, cælo se subtrahet. Esto
Non satius pacem inter nos, & fœdera iungi?
Communémque hostem communi arcere periclo?
Qui nunc Graiorum miseris ceruicibus instat
Asper, acerba minans: vix illum Thracius arcet
Bosphorus: atque (vtinam vates sim falsus) apertis
Mœnibus his tandem, portisque à cardine vulsis
Immittet sese. sequitur victoria numquam,
Quos bellum premit assiduum, & discordia vexat.
In manibus pax est, Rex ô clarissime, nostris
Cum populis, quorum inuictas ad prælia vires
Armauit pietatis amor, iustúmque coëgit
Bellum inferre Asiæ pro libertate piorum.
Tu modo, quod nobis sese nunc obtulit vltro,
Consilij si quicquam in me est, citus arripe; & istam,
Quæ tibi suspectos Gallos facit, exue mentem.
Hi tecum iungentur enim certare parati

Officijs,

Officijs, hostésque vnà depellere Turcas,
Et proferre tui longè confinia regni.
Hæc bonus Eumedes: nusquam tamen impia flexa est,
Aut commota loco Thracis sententia regis.
Stat casus tentare omnes, quacumque paratam
Ostentat fors ipsa viam, spémque addit auenti.
Namque illum tantis auersum à rebus agebat
Inuidiæ dolor vsque comes, generosáque pubes
Hesperiæ antiquæ, regnum paritura, decúsque
Ablatum Graijs Arabum virtute tyrannis,
Terrebat suspensum animum, imperióque timentem.
Atque ita, consilijs postquam peioribus vti
Ipse volens statuit, melioráque reppulit, vltro
Eurytiona vocat, tacitúmque educere porta
Imperat instructos pedites, quos candida circùm
Vestis eat, retegens humeros candore niuali.
Dissimulet tamen interea se talia iussu
Moliri alterius, cæptisque insistere tantis.
Paruit Eurytion dictis: populúmque sequentem
Sponte sua, Dirisque actum furialibus vrget
Ad cædem, atque animos cunctorum hortatibus implet.
Ite viri: vobis oblatum optabile tempus
Fortiter audendi est: nox intempesta tenebris
Vsque suis, cælo incumbens vos ad sua belli
Furta vocat: iacet hostis humi madidúsque, treménsque:
Nec capere arma queat, quamuis velit, horrida passus
Frigora, & insomnis partem vigilare coactus
Noctis ad extremam: nunc somno mergitur alto:

Infractósque artus strauit sub pellibus. ite:
Este viri, patriæ memores: victoria nostris
In manibus: sibi quisque animos, virésque ministret.
Dixerat: atque illi, rapidi ceu flaminis auræ,
Quà data porta ruunt: & spe sibi destinat vnum
Quisque ducem, aut cæsi exuuias iam præripit hostis:
Séque cupit, sperátque, suam qui primus in vrbem
Victor ouans referat quæsitum ex hoste triumphum.
Vt, cùm præcipites summo de vertice montis
Ima petunt aucti pluuijs hyemalibus amnes,
Quos circumiectæ moles, & saxa retardant,
Tristè fremunt, cautésque albent aspergine, & ingens
Voluitur hinc, atque hinc tumefacto gurgite vortex,
Impetus vndantum donec præruptus aquarum
Arctis incubuit claustris; & vi via latè
Pérque humiles vicos, obstantésque acta per agros.
Haud secus Odrysia prorupit ab vrbe iuuentus:
Impatiénsque moræ rapidos contendere gressus
Speratam ad cædem demens pergebat: & alter
Alterius celerabat iter. iámque ardua longè
Mœnia Byzanti festina reliquerat alti,
Cum Fabaris, Clytiúsque, ducum quibus vltima iussu
Credita contigerat seræ custodia noctis,
Senserunt tacitæ per amica silentia Lunæ
Accedentem hostem, propiúsque in castra ruentem.
Atque ambo: arma, arma fremũt: concurrite ad arma,
O socij ferte arma manu: date tela, propinquat
Ferro accincta acies: &, quæ recludere vallum

Audeat,

Audeat, audenti ni tela opposta resistant.
Hæ simul exceptæ voces, simul excita pubes
Gallorúmque, Italúmque omnis concurrit ad arma:
Ac de more cauis castrorum in turribus hostem
Expectant stantes alto super aggere, quo tum
Quisque loco veniens primùm, quáque arce resedit,
Pontibus insidunt iunctis, densique tuentur
Loricam valli lento de vimine textam.
Ast Itali, Gallique duces Goffredus, & acer
Appulus, atque animo præstans Tancredus in vnum
Conuenere locum; queis se duo fulmina belli
Addiderunt omnis expertia corda timoris
Roberti; Stephanúsque armis superare, manúque
Doctus, & hostiles euertere fraude phalanges;
Nec non Tectosagùm ductor Ramundus auita
Laude ferox, vi sæpe tamen qui fretus aperta
Contulerátque manus, victósque fugauerat hostes.
Affuit & Medix, claræ cui gloria vitæ
Dulcis erat tantum, ceu dedecus instar acerbæ
Mortis. adhuc quamuis iuuenile inglorius æuum
Egerat assuetus cursu præuertere Cauros,
Æqualésque inter duram exercere palæstram,
Tum primùm flaua spargens lanugine malas:
Formosæ sed enim decus immortale iuuentæ
Absciderat crinem, solidóque obtexerat ære.
Séque illi veterum generosa à stirpe Quiritum,
Queis post euersas sedes, & mœnia Romæ
Umbrorum populi se commisere regendos,

Progenitus,

Progenitus, comitem venienti Vrsanius vltro
Addiderat forma, & iuuenili ætate superbus:
Quique adeò magno magnis heroibus iret
Par animo, & mirò laudis flagraret amore.
Quare auidus factis illustrem extendere famam.
Vt primùm tanti rumor percrebuit ingens
Incœpti, paßimque Italis vulgatus in oris,
Contulit extemplo Dauni se in castra, volentem
Scilicet ex tanto pacis, bellique magistro
Discere virtutem iam tum, verúmque laborem,
Præcessurus auos longè præstantibus ausis.
Hic igitur Medici paribus se passibus æquans
Contiguum læuo lateri coniunxerat, vt cum
Sustulit Oceani lætum iubar æquore vultum,
Aeráque illustrans radios effudit Olympo,
Si fortè ætherius sese comes addidit ignis,
Ætherius Iouis ignis, & ore affulsit honesto,
Incedunt rutili, tenebrásque, & nubila vincunt.
Quos circumfusos acuens hortatibus heros
Goffredus breuiter sic est affatus: Auerem
Ipse equidem, ò socij, fratrum generosa meorum
Pectora, in Arabias gentes firmißima cœpti
Fundamenta pij, solos inuadere Turcas,
Pelleréque obsessa Solymorum ex arce: nec enses
Interea Graio fœdari sanguine nostros:
Sed quoniam Euxini fauces transmittere Ponti
Non licet illorum multa sine cæde; sequamur
Quò Deus, & rerum series vocat vna, ciétque.

Haud etenim vis vlla potest non iusta videri,
Cuius ope infensos tuti propellimus hostes.
Quare agite. ò proceres, postquam Commenius vltro
Nos petit: & vino credit, somnóque sepultos,
Quàmprimùm votis aliquem decernite vestris,
Qui properet celerem castris educere turmam,
Circumiens medios longis anfractibus agros,
Sentiat exclusos dùm longè à mœnibus hostes,
Ne faciles cuiquam pateant, tutique receptus.
Dixit. & vnà omnes tanti sibi munus honoris
Deferri petiere animis, & vocibus ijsdem;
Graiorum, Thracúmqe dolos, & verba perosi.
Goffredus sedenim splendenti in casside sortes
Misceri, ducique iubet; Dux Appulus vrnà
Exijt. isque Italos auersæ à limine portæ
Castrorum egressos latis agit auius agris.
Atque vbi iam Septem non longè à Turribus ire
Se videt, Ausonium deflectere protinus agmen
Imperat, & versos à tergo inuadere Thraces.
Illi autem interea densa testudine Gallos
Agressi iaculis primùm, leuibúsque sagittis
Pugnam ineunt: alij scalis ascendere vallum
Obnixi, & curuis diuellere falcibus audent.
Hic Lycabas patre Argolico genetrice creatus
Ismaria, suetus qui fas miscere, nefásque,
Ausus erat Phylyres thalamum incestare nouercæ,
Ac tum Threicio Regi gratissimus vnus:
Primus in excelsam coniecit lampada turrim,

Quæ

Quæ lateri aſtabat portæ. vagus ignis adhæſit
Parietibus ſummis: mox ad faſtigia tecti
Aſcendens, pérque ipſa ſimul dilatus ab Euris
(Nam flabant tum fortè Euri vehementius auræ)
Caſtra furit, nilque illæſum, intactúmque relinquit.
Tunc ille: O ciues, Deus, en Deus ipſe ſecundat
Noſtra incœpta, inquit, quos non potuere pruinæ
Illyricæ, denſæque niues abſumere, & imbres:
Scilicet efficiunt obiecta incendia, ne ſe
Expediant, nève arma armis opponere poſſint.
Ite viri mecum, mediáque irrumpite porta.
Hæc mea nunc primùm valuis impacta ſecuris
Recludétque aditus, & caſtra inimica, dabitque
Corpora multa neci. Iactanti talia guttur
Aggere de ſummo iaculum tranſuerberat ingens,
Atque ictu coſtas veniens perrumpit eodem
Phradmonis Arcadij: Lycabam qui fortè ſecutus,
Exul ob infuſum fratri, natisque venenum
Venerat in Thracis regnúmque, vrbémque tyranni,
Hærebátque illi pediti pedes. egit vtrumque
Ad mortem vulnúſque vnum, nox vna, manúſque
Vna eadémque Orco ſontes demiſit, & vmbris.
Non ſecus ac gemini rigidis ceruicibus angues,
Vere nouo cum fortè latent in graminis herba
Impliciti varijs circum ſqualentia nodis
Pectora, ſi propius meſſor ſe contulit, ambo
Ilicet exoluunt ſeſe, paritérque feruntur
Horrida porrectis edentes ſibila collis:

Ille

Ille autem prato falcem ſupponere doctus
Vno vtrumque caput venientibus amputat ictu.
Vulnere ſic Lycabas, ſic Phradmon ſtratus eodem
Abiecere animos, & verba minacia, primi,
Qui patrios fuſo fœdarint ſanguine campos.
Ni prior Eurytion pugnæ ſtimulator iniquæ,
Et fraudum tantarum auctor, dum feruidus inſtat
Molibus, éque alto raptas trahit aggere crates,
Percuſſus dura cecidiſſet tempora glande,
Effractóque ſinum ſparſiſſet, & arma cerebro.
At reliqui, quorum infelix ſpe pectora inani
Luſerat Eurytion, ſimul ac videre peremptum,
Conceſſere retro. námque illos grandinis inſtar
Saxa ſuper, vaſtǽque trabes, & tela ruebant:
Ac dextra, læuáque procul ſine more furentes
Liuentis plumbi glandes, celeréſque ſagittæ
Emiſſæ arcebant caſtris, longéque fugarant
Iamdudum exanimes atra formidine Graios:
Præter eos, qui turbam inter, gemitúſque, fugámque
Ad terram dederant perfoſſum vulnere corpus
Nec tamen hæc nulla ſine cæde incœpta ſuorum
Euenere pijs. Nam dum ſuper aggere turres
Caſtrorum hinc, atq; hinc properant abſumere flammæ
Iniectæ, & longè dant clara incendia lucem,
Eminus immiſſis vnà periere ſagittis,
Quarum acies fuerat letali infecta veneno,
Iccius, Agrauius, Contus, Celtillus, & Ægeus,
Cúmque Accone Clephis, proléſque Indonis Alauda:

Indonis,

Indonis, qui quondam inter regnauit Iberos
Prædiues, sed enim rebus mox exul iniquis
Fugit inops procul ad fines, & tecta Vocatum,
Tarbellósque Auscósque, Bigerronésque, coactus
Externo patrium Sicorim mutare Garumna:
Neruius hos, Atrebásque ferox, Morinúsq; sequuntur.
Traiectus frontem Morinus; læuámque papillam
Neruius; ast Atrebas intortæ verbere fundæ
Aggere semianimis fossam reuolutus in imam.
Ipse tamen Charilas, Gyndésque, & fortis Hiempsal,
Conferti ordinibus, pontes vt fortè tenebant,
Sese oculis Graiùm certatim exponere pergunt,
Inuitántque hostes vltro conscendere vallum,
Et conferre manum, & letum pro laude pascisci.
Eia agite, ò densis solùm confisa tenebris
Agmina, quid statis? Vos huc, vos orta repente
Lux vocat: en omnes imbríque, gelúque iacemus
Torpentes passim, correptáque corpora flamma,
Atque oculos cæci fumo comburimur atro,
Et nusquam stabiles vestigia pressa tuemur.
Hæc Auscus, bellis Auscus bonus. hæc quoque gentes
Inter Aquitanas nota virtute Garumnus,
Tonsillúsque ferox, nocturnáque prælia doctus
Orgetorix miscere manu, & discedere victor.
Et simul ingestis multos in tartara trudunt
Aclidibus, sudibúsque etiam, gæsísque, sparisque,
Inque agmen suetis inferri hostile verutis.
Dumque hæc non vna castrorum in parte geruntur,

Daunius

Daunius à tergo veniens inuadit Achiuos
Auersos, Thracésque sibi nil tale timentes:
Atque odijs animum patrijs accensus, & ira,
En qui nos (inquit) cæca per tempora noctis
Appetiere dolis? sunt, en sunt scilicet ijdem,
Qui vestrum aspectum ferre, & consistere contra
Epiro in media numquam potuere, sed armis
Deuicti vestris campo fugere relicto,
Relliquiæ infames pugnásque exosa iuuentus,
Somnique, atque epulis, & lustris dedita pubes,
Ceu persæpe feræ deprensæ in sedibus hærent.
Dixit, & extemplo vagina interritus ensem
Diripit. illum omnes manibúsque, animisque paratis
Præcipites primam in pugnam, cædémque sequuntur,
Inque auersa ruunt Graiorum terga: rapaces
Non secus atque lupi, quos alta excedere sylua
Dira fames, lucisque vagæ mora tarda coegit,
Si quando longo pascentes agmine ceruos
Ire vident, primùm taciti vestigia ponunt,
Mox propius saltu simul exiluere, feruntur
Vnà omnes: adiens hic illum euiscerat atris
Dentibus: ille alium traiectum vulnere fauces
Occupat, & rabido discerpit viscera morsu.
Sic Daunus, sic Ausoniæ delecta iuuentus,
Inuasere aciem Graiorum in terga ruentes.
Atque hic ante alios ferro Boemundus acuto
Aggressus Sagarim (Syrij vetus incola Orontis
Ille erat, & Turcis Daphnem patefecerat vrbem)

Sternit

Sternit humi, gladiúmque adigit per colla volenti
Dicere, ni vocem pressisset vulnus euntem.
Huic etiam adiungit Cotylan, Phæstúmque, Lycúmque:
Quos Chromio Thraci Bœota eduxerat Arne:
Fortunata parens Arne, nisi Daunius ensis
Tergeminos vitæ spoliasset lumine natos.
Iámque adeò extremum perruperat agmen; & alta
Cæde madebat humus, cum versæ in castra cohortes
Se sensere premi, frustra sua cœpta, dolósque
Conatæ ad finem perducere: nec sibi Thracis
Limen ad Odrysium portæ superesse receptum:
Quare auidus turbarum auctor, rerúmque nouarum,
Quo prodente olim regnandum accepit Alexis
Imperium, & patria exegit Nicephoron vrbe:
Non armis opus est, non viribus, inquit Achillas,
O ciues: quod quisque sibi, spésque vna salutis
Suadet iter, celer arripiat, seque ipse periclo
Subtrahat incolumem; nec vocem, aut vlla moretur
Iussa ducum: cladem ingentem namque Italus illinc,
Hinc Gallus fronti incumbens, tergóque minatur.
Talia dicentem, Graiósque in tuta vocantem
Opprimit acer eques portis emissus apertis.
Atque illum agnoscens procèrum corpore, & armis
Indutum varijs, & clara voce canorum,
Accurrens Calabri generosa à stirpe Bryenni
Ægilus, impacto medium discriminat ense.
Ille cadit, multóque humectat sanguine terram.
I, nunc, & dominos, scelus exitiale, potentes

Venali iam prode fide. data præda iacebis
Alitibúsque feris, canibúsque voracibus, inquit.
Mox hominem exosus penitus crudelibus explet
Supplicijs animum merito pro crimine sumptis.
Inde abiens subit Alcathoum, iuxtáque Menætem,
Et Chromin, & Peucum, & proiectis Dorylon armis.
At alia de parte Italûm dux Appulus ense
Latum limitem agit, totóque ex agmine lecti
Corporibus passim cæsis, agrósque, viásque
Consternunt iuuenes, nec quisquam ex hostibus ausus
Præterea Ausonijs inimicum obuertere pectus
Substitit, aut memor ipse sui, sociûmve suorum.
Ergo illi veluti pecora inter inertia tigres
Quà se cumque ferunt, certo dant agmina leto.
Vt, cum prima æstas agros flauescere cogit,
Viuidus & nusquam graciles alit humor auenas,
Nec pluuia nocturna sitim iam pabula sedant,
Omnia sed raucis resonant arbusta cicadis
Sole sub ardenti, postquam explicuere maniplos
Agricolæ, frumenta metunt: iacet ilicet omnis
Fusa seges: campus sectis operitur aristis.
At pueri, Medix, Vmbérque Vrsanius albo
Vectus equo, galeáque caput contectus vtérque,
Ambo annis, animísque pares, quos Daunius heros
Accierat secum nocturna ad prælia ductos,
In confertam aciem gladios strinxere micantes.
Hippophilum Medix, & Halorum Vrsanius, vltro
Dum verbis Graios, Thracésque hortantur, & vrgent

In pugnam, certóque loco consistere cogunt,
Interimit Medix demisso in pectora ferro,
At caput auulsum ceruice Vrsarius aufert.
His alios, aliósque addunt, & corpora gaudent
Fundere humi, gladiósque vnà maculare, manúsque.
Vt primùm gemini florenti ætate leones,
Postquam visceribus cæsarum à matre ferarum,
Sanguinéque expleri ventrem assueuere recenti,
Syluarum egressi latebris, patrémque secuti,
Inuasere pecus, læti committere cædem,
Dant stragem, atq; auidi dentésque, vnguésq; cruentant.
Iámque Oriens totum radijs patefecerat orbem;
Cùm tuba Goffredi iussu desistere cœpto
Clara iubet, prohibétque vltra procedere pugnam.
Non huc, vt Graios patrijs pellamus ab oris,
Atque animum effuso saturemus sanguine Thracum
Venimus, ò proceres. nobis satis inde, supérque
Pœnarum exhaustum; reliquis ad patria tutus
Mœnia sit reditus. Dixit Goffredus: & vnà
Assensere omnes. sedenim densata iuuentus
Gallorum Ausonijs acies sociarat amicas;
Inque vrbem inuitis ductoribus acta ruebat.
Nuntius interea Regis perfertur ad aures
Odrysij, & trepidis implet rumoribus vrbem:
Scilicet innumeros ciues cecidisse, ducésque;
Et nunc Ausonios, cunctósque vno agmine Gallos,
Omnia quamprimùm ferrôque, igniq́ue daturos
Aduentare animis immani ardentibus ira.

Ergo

Ergo alij ad portum celeres, nauésque paratas
Tendere, & ignotis sese committere Ponti
Cautibus, ac syluis: alij tellure sepultas
Abdere opes, fidisque aurum mandare latebris,
Pocula, christallum, vestes, gemmásque nitentes.
Multi etiam sacris natos, sua pignora, templis
Credentes, miseris rumpebant questibus auras.
Nulla domus, via nulla nouo non mista tumultu:
Hostiles quasi iam ruerent in tecta cohortes;
Atque antiqua Lygos flammis absumpta iaceret,
Et flueret sanguis manantibus vndique riuis.
Audijt exanimis, tristique exterrita fama
Irene, veterum claro sata sanguine regum.
Quæ quamuis Thraci coniux optata tyranno
Contigerat, thalamúmque volens, lectúmque iugalem
Innumeros concordi animo sociarat in annos;
Graiorum ritus tamen vsque exosa rebelles
Protinus à prima pietatem ætate colebat,
Quam prisci docuere patres; docet ipse per omnes
Terrarum tractus constanti mente colendam
Christicolûm custos, immensique arbiter orbis
Romanus genitor rerum cui summa potestas.
Illa igitur postquam tantum impendere periclum
Graiorum, Thracúmque vrbi mæstissima vidit,
Extemplo ad Superos palmas vtrasque tetendit,
Et genibus flexis, sparsóque in terga capillo,
Ante pias, quas rite domo interiore locatas
Virginis intactæ partu sacrauerat aras,

Procumbens imo voces è pectore fudit.
Diua parens, cui se totus patefecit Olympus,
Aligerúmque chori sublimi ex æthere missi
Nocturnum insueto complerunt aera cantu,
Cum primùm in teneras veniens se protulit auras
Filius æterni patris: quem Nuntius ales
Militia ex alta lectus prædixerat olim
Intactam completurum tibi protinus aluum:
Si te vmquam mouere preces castæque, piæque
Vllius, auxiliúmque vltro miserata tulisti,
Affer opem lapsis, Virgo sanctissima, rebus
Et procul ò, tantam nobis auerte procellam,
Coniungens belli percusso fœdere in vnum
Graiósque, Ausoniósque duces, Gallósque feroces,
Quò tota immanes Asia depellere Turcas
Possint, & certam Solymis afferre salutem.
Audijt, & tanti partem succedere voti
Virgo dedit: partem effundi permisit in auras.
Threicia vt Gallos, Italósque auerteret vrbe
Annuit. at Graios furiata fœdera mente
Iungere non vetuit, fraudésque ex more parare.
Namq; vt erat pedibus nudis, lachrymisque decoras
Intersusa genas, thalamum mæstissima coniux
Coniugis intrauit, solásque ita fatur ad aures.
Non ego consilium, Dux inuictissime Graiùm,
Afferre in medium veni: nec, si quà Senatus
Instituit concors, ausim impugnare: maneto
Immotum quicquid tua mens, & certa voluntas

Immotum esse iubet. (quamquam ò) sed cæca sequantur
Maiores consulta patres. res poscere præsens
Præsentem me cogit opem: iam mœnibus instat
Effusus castris Gallorum exercitus omnis:
Et, nisi supplicijs, precibúsque represseris hostes,
Direptásque domos, spoliatáque templa videbis,
Inq; tuos adigi natos, mea viscera, ferrum.
Dixerat. & lachrymis manantibus ora rigabat.
Atque illam verbis sic est affatus Alexis,
Arcanum occultans imo sub pectore sensum.
Iamdudum, ò nostri pars iucundissima lecti
Irene coniux, cui summam credere regni
Et rebus spectata fides, atque anxius in nos
Cogit amor, necnon ingens prudentia, certos
Misimus, hostiles precibus qui mitibus iras
Extinguant, pacèmque petant, & nomine nostro
Excusent tanto maculatam crimine noctem.
Quóque magis, quæ nos volumus, confecta reportent,
Ductores vnà Gallorum adiunximus omnes,
Quos olim imperij fines hostilibus armis
Protinus ingressos acres cepere Liburni,
Et vinctos misere nouam Byzantis ad vrbem.
Vnde hodie primùm recluso carcere læti
Discessere omnes, ostrúmque, aurúmque ferentes,
Munera principibus, farrisque albentis aceruos,
Dona laboratæ Cereris: queis addere visum est
De Methymnæis liquentia vina racemis:
Nec non & domita nondum ceruice iuuencos,

Tergáque cæsa suum, vestésque in vulgus inemptas:
Multáque prætérea, quæ postulat vsus, & vnà
Ire sacerdotes omnes longo agmine iussi,
Supplicis in morem populi, manibúsque gerentes
Sublimem præferre crucem: cui fixus inhæret
Réxque, patérq; hominum Christus Deus: éque repostis
Templorum eductas adytis, arísque verendis
Effigies Diuùm, vitæ simulacra beatæ;
Ossáque relliquias Procerum, cineréśque piorum,
Pro clypeis, densisque hastis obtendere sacros:
Et precibus certam, lachrymisque exposcere pacem
Nec tamen interea multo non milite circùm
Seruari obsessæ muros mandauimus vrbis:
Debeat vt iam vis non vlla externa timeri.
Aude ergo, ò coniux rebus confidere nostris:
Nec tantos tibi finge metus: mihi multa supersunt
Millia, quæ campis ineant certamen apertis,
Si sit opus, patriásque domos tueantur, & aras.
His dictis, Irene animum lætata recessit,
Quò se mane pius consueta ad sacra sacerdos
Indutum lino, tunicáque albente pararat.
Interea castris Gallorum egressa iuuentus
Venerat Odrysiæ vicina ad limina portæ:
Et fors ingenti prostratis ariete muris
Ilicet irrumpens tremefactam incenderet vrbem,
Obuia ni patrum series, & turba piorum
Nuda pedes, suppléxque oculis lachrymantibus iras
Diminuant, positáque animos feritate retundant.

Nam

Nam quos nec procerum voces potuere, nec vlla
Iussa ducum subita reuocare à cæde furentes,
Excidióque vrbis, ditisque cupidine prædæ,
Cum primum videre Crucis venerabile signum,
Ardentes cecidere animi, compressus & omnis
Impetus, & cuncti genua inflexere manipli
Abiectis ad terram armis (mirabile visu.)
Hic verò lætis exceptus vocibus Vgon,
Et plausu, fremitúque virum; sic lætus ab alto
Fatur equo: Non ista Dei sine numine certo
Eueniunt; qui nunc iras crudescere vestras
Non sinit: & sæuos quamprimum inuadere Turcas
Nos monet: atque acres stimulos sub pectore vertens
Votorum immemores, animique incusat inertis,
Otia qui passim ducendo ingrata, moremur
Soluere Pontifici, quod iam promisimus, & quod
Vnum se debere Deo mens conscia cuique est.
O socij, en vobis, quos dudum Argiuus Alexis
Carcere conclusos summa retinebat in arce,
Adsumus incolumes cuncti, ferimúsque vicissim,
Quæ tantis addant immensum rebus honorem,
Atque incœpta iuuent fidei concredita nostræ.
Namque offert rex ipse suas in prælia vires,
Et facto vnanimes sociari fœdere dextras
Ipse petit, pársque esse cupit non parua laborum
Tantorum, nobis quos impendere videmus,
Cum primum Syriæ fines exercitus intret.
His dictis acies confestim iter omne relegit,

Ductores comitata suos: illisque diebus
Threicias arces nullis, & castra negatum est
Visere, & Odrysios impune errare per agros.
Ipsi etiam in speciem contracta fœdere pacis
Ad cænam proceres iterúmque, iterúmque vocati
Venere ex castris in regia tecta frequentes,
Hospitio, & dubiis ausi se credere mensis:
At rex euentu rerum deceptus, & expes,
Viribus indubitánsque suis, timidúsque futuri,
Vertitur huc animo, atque illuc, placitúmque recusat
Consilium in Thrace Gallósque, Italósque morandi.
Ergo alias imo vertit sub pectore fraudes:
Quarum ope se, Graiósque suos formidine soluat
Præsenti, & proceres Arabis concedat in astus.
Iámque epulis inter citharas, cantúsque peractis,
Postquam exempta dies placido sermone, polóque
Postera nocturnas Aurora fugauerat vmbras,
Accitos ad se verbis affatur amicis.
Audite ò proceres, animisque hæc figite vestris.
Turcarum (ceu fama fidem vulgata reportat)
Ductor ad Euphratem trepidus confugit, vt illinc
Euocet in Syriam Persas, Arabásque rebelles,
Versurus totas in vos vno agmine vires,
Quas vel in extremis oriens Sol aspicit oris.
Hinc igitur, Graio si qua est prudentia regi,
Si qua fides verbis, si quis rerum insitus vsus,
Corripienda via est: ne qua mora tardior obsit.
Nos classem ingentem dabimus, lembósque paratos,

Tertia cum terræ lux orta retexerit orbem.
Quin & consilio tanta hæc incœpta, manúque,
Auxilijsque nouis, fuluóque iuuabimus auro,
Cum primùm Syrijs exercitus ingruet oris,
Inuadétque altas Turcarum interritus arces.
Hanc vltro sine fraude fidem damus; hoc libet ambos
Fœdere vinciri populos socia arma ferentes:
Communem communi animo oppugnemus vt hostem.
Dixerat. & superi Regem testatus Olympi
In templum perrexit, vbi multo ante sacerdos
Facturus sacrum solemnem ornàuerat aram:
Inque vocaturus demissam ex ætheris oris
Sanctam Auram, Graiorum Auram de more vocatam.
Quæ simul ac populus perfecta ex ordine sensit,
Discessere omnes, séque in sua tecta tulerunt.
At rex Threicius multis comitantibus ibat
Nunc septem ostentans surgentem in collibus vrbem,
Vnam, quæ magnæ contenderit æmula Romæ,
Marmoreásque ædes, factósque ad publica circos
Munia, cum ludos exercet læta iuuentus:
Nunc templum æratis centum sublime columnis,
Templum immane, ingens, gemmísque, auróq; superbum,
Æquatum vasti superis opus ætheris oris,
Vix ope mortali, vix vllo imitabile seclo.
His etiam Pario surgentes marmore thermas,
Sublimésque arcus, atque ære rigentia signa
Addit, & Hippodromi spatia, immanésque colossos,
Et tripodas Phœbi, serpentísque ora trifaucis,

Magna-

Magnanimúmque olim monumentum insigne Laconum.
Atque hæc victores, inquit, posuere Pelasgi,
Vnanimis bello Medos cum Græcia fudit;
Et Pelusiacis raptos auexit ab oris,
Ætas quos Soli sacrarat prisca obeliscos.
Mox & multiplici substructum fornice pontem,
Nec procul astantem fulgenti ex ære draconem
Ostendens, matres celebrant vbi sacra Mimanti,
Subijcit: Hic steriles (Diui quæ gratia) sæpe
Senserunt grauidum lætæ turgescere ventrem,
Ni precibus numen surdas obstruxerit aures.
Hinc portum inuectos, similem cui nullus in orbe
Vidit adhuc, quamuis tutus secura Monæcus
Ostia, & immota iactet statione recessus,
Euxini iuuat angustas inuisere fauces;
Et loca delectis lustrata heroibus olim;
Quorum etiam nunc Hesperias vulgata per oras
Circumfert meritos fama immortalis honores.
Hic Amycum Pollux immani corpore victum
Tyndarides prostrauit humi, Bebrycásque furentes
Amissum ob regem, ferro extinxere Pelasgi;
Et læti prædam ad naues egere recentem.
Fluctibus hic ijdem iactati, atrisque procellis
Peruenere oculis orbatum ad Phinea; quem tum
Vexabant raptis epulis ex ore, manúque
Harpyiæ immundo fœdantes omnia tactu.
Sed gemini iuuenes, Boreæ fortissima proles,
Obscœnas Erebi volucres pepulere fugatas.

Ipse autem meriti Phineus haud immemor huius
E docet ignaros Minyas cursúsque, viæque,
Qua ratione queant truculentum irrumpere Pontum
Cyaneas inter cautes, dum fluctibus actæ,
Altera in alterius frontem defertur, & imas
Suscitat in cœlum pelago exultante procellas.
Talia narrabat prisci non inscius æui
Rex Thracum: & proceres ad facta illustria, magno
Tantarum imprudens laudum inflammabat amore;
Et simnl Odrysiam lætos reuehebat in vrbem.

PETRI ANGELII BARGAEI

SYRIADOS LIBER VI.

IAMQVE adeò terras primis nox atra tenebris
Induerat, præcépsque polo demiserat vmbram,
Cum proceres, lectique duces in castra reuersi
Consilio referunt Thracis promissa tyranni,
Et firmata palàm constanti fœdere pacta,

Quæ vulgi fremitu, varióque agitata coronæ
Assensu, passim expendi non vocibus iisdem,
Non animis sunt cœpta. Velut cum turbidus Auster
Aduersa cœli veniens à parte lacessit
Æquor, & in pugnam Boream vocat. ille vbi ab alto
Cardine prorupit, medio se marmore fluctus
Incursant, dubitátque maris, cui pareat, vnda.
Quæ pater Addemarus (namque illi cura sacrorum,
Et tantæ fuerat molis commissa) volebat
Vnius ad certos nutus, & iussa referri.
In mediis ergo ductoribus hæc ita fatur.
Cuncta equidem, ò proceres, patrio quos orbe profectos
Diuersos variæ claram Byzantis ad vrbem
Portauere viæ, bello quæcumque gerendo
Confieri possunt, cura confecta, fidéque
Esse reor. Non vos vllæ glaciésque, niuésque,
Fluminàque, & montes: rapido non Sirius æstu
Difficilésq; aditu valles, altæq; paludes
Non Graiùm insidiæ, non tela aduersa, facésque
Tantum iter ingressos vsquam potuere morari.
Nunc autem, quando incolumes peruenimus omnes
Thracis ad imperii fines, & littora Ponti,
Quisque suum, cui tum libuit parere, Secuti
Ductorem, patriæ dulces cum liquimus oras,
Inque Arabas, Turcásque pii decreuimus arma,
Quamprimùm ex tantis proceres, ductoribus vnum,
Quod superest, clarum virtute, & fortibus ausis
Præstantem, rerum cunctarum imponite summæ,

Consi-

Consilióque grauem: quem solum exercitus omnis
Spectet, & is pacis, bellorúmque arbiter esto.
Ergo huc, susceptum vobis nisi fortè laborem
Frustrari, & tantas incassum absumere vires
Vos iuuat, vnanimes incumbite. Namque ibi nullus
Imperat, imperio multorum vbi quisque necesse est
Pareat, atque anceps nunc hinc, nunc pendeat illinc.
Quòd si aliquem inter vos (Deus hoc auertat in hostes
Infandum crimen) nostræ nec cura salutis
Exercet, nec tangit honos, nec gloria ducit,
Nec pudet Arabijs victum dare terga, Syrisque,
Atque idem nostra campos spectare calentes
Cæde potest, seruúmque iugo submittere collum,
Ille abeat cœtu ex tanto. Vel, si sibi primum
Attribui cupit ipse locum potiora merenti,
Prodeat, & tali dignum se ostendat honore.
Sin autem, quod vos potius prætendere fas est,
Abdaridas petitis, patriam repetatis vt olim
Totius spolijs, opibúsque Orientis onusti;
Aut etiam, vt regnis multo sudore paratis,
Externis sedem læti ponatis in oris,
Procurate viri, quod nos Deus admonet vnum,
Atque vnum fieri res ipsa & suadet, & vrget.
Hæc pius Addemarus; tacitúmq; per ora virorum
Murmur ijt; qualem in syluis, cum flabra Aquilonum
Paulatim incipiunt frondes agitare virentes,
Audimus fremitum: qualémque ad curua fragorem
Littora, cum primùm crispantur leniter vndæ,

Iamdudum

Iamdudum Zephyris bellum meditantibus, edunt.
Sic illi inter se tractim resonante susurro
Consessum dubij varijs rumoribus implent;
Ancipitésque animis: partim in diuersa trahuntur:
Partim autem cœptis æquata sorte manendum
Censent: præteritus ne quisquam ex ordine tanto
Gallúsve, Ausoniúsve pijs discedat ab armis.
Quandoquidem non de leuibus consulta petebant
Rebus: at egregium decus, & pernobile regnum
In medio positum fuerat virtute parandum.
Hinc dux Carnutum Stephanus, ne fortè tumultus
Glisceret, atque auidas vulgi ferretur ad aures:
Quod pius Addemarus, proceres, modo censuit, inquit,
Esse potest nulli dubium. res publica numquam
Non euersa perit, quam vulgi æquata potestas
Huc trahit, atque illuc: medio nec in æquore fluctus
Surgere maiores, nauésque illidere suerunt
Ad scopulos, vastisque actas demergere in vndis,
Quàm cum bella gerunt aduersis viribus Euri
Spirantes, séque hinc illinc superare volentes.
Sic virtus, quamquam duris exercita rebus,
Si quando erumpens sese in contraria transfert,
Communem euertit populi malesana salutem,
Nec quicquam ratione geri sinit. Hic ego nullum
Esse reor vestrùm, cui tantæ imponere molis
Non possitis onus; si nos spectare necesse est,
Quam quis bellando laudem meruisse feratur.
Nam nemo inter vos ferro non perculit hostem:

Non

Sternit humi, gladiúmque adigit per colla volenti
Dicere, ni vocem pressisset vulnus euntem.
Huic etiam adiungit Cotylan, Phæstúmque, Lycúmque:
Quos Chromio Thraci Bœota eduxerat Arne:
Fortunata parens Arne, nisi Daunius ensis
Tergeminos vitæ spoliasset lumine natos.
Iámque adeò extremum perruperat agmen; & alta
Cæde madebat humus, cum versæ in castra cohortes
Se sensere premi, frustra sua cœpta, dolósque
Conatæ ad finem perducere: nec sibi Thracis
Limen ad Odrysium portæ superesse receptum:
Quare auidus turbarum auctor, rerúmque nouarum,
Quo prodente olim regnandum accepit Alexis
Imperium, & patria exegit Nicephoron vrbe:
Non armis opus est, non viribus, inquit Achillas,
O ciues: quod quisque sibi, spésque vna salutis
Suadet iter, celer arripiat, seque ipse periclo
Subtrahat incolumem; nec vocem, aut vlla moretur
Iussa ducum: cladem ingentem namque Italus illinc,
Hinc Gallus fronti incumbens, tergóque minatur.
Talia dicentem, Graiósque in tuta vocantem
Opprimit acer eques portis emissus apertis.
Atque illum agnoscens procerum corpore, & armis
Indutum varijs, & clara voce canorum,
Accurrens Calabri generosa à stirpe Bryenni
Ægilus, impacto medium discriminat ense.
Ille cadit, multóque humectat sanguine terram.
I, nunc, & dominos, scelus exitiale, potentes

Venali iam prode fide. data præda iacebis
Alitibúsque feris, canibúsque voracibus, inquit.
Mox hominem exosus penitus crudelibus explet
Supplicijs animum merito pro crimine sumptis.
Inde abiens subit Alcathoum, iuxtáque Menætem,
Et Chromin, & Peucum, & proiectis Dorylon armis.
At alia de parte Italûm dux Appulus ense
Latum limitem agit, totóque ex agmine lecti
Corporibus passim cæsis, agrósque, viásque
Consternunt iuuenes, nec quisquam ex hostibus ausus
Præterea Ausonijs inimicum obuertere pectus
Substitit, aut memor ipse sui, sociûmve suorum.
Ergo illi veluti pecora inter inertia tigres
Quà se cumque ferunt, certo dant agmina leto.
Vt, cum prima æstas agros flauescere cogit,
Viuidus & nusquam graciles alit humor auenas,
Nec pluuia nocturna sitim iam pabula sedant,
Omnia sed raucis resonant arbusta cicadis
Sole sub ardenti, postquam explicuere maniplos
Agricolæ, frumenta metunt: iacet ilicet omnis
Fusa seges: campus sectis operitur aristis.
At pueri, Medix, Vmbérque Vrsanius albo
Vectus equo, galeáque caput contectus vtérque,
Ambo annis, animísque pares, quos Daunius heros
Accierat secum nocturna ad prælia ductos,
In confertam aciem gladios strinxere micantes.
Hippophilum Medix, & Halorum Vrsanius, vltro
Dum verbis Graios, Thracésque hortantur, & vrgent

In pugnam, certóque loco consistere cogunt,
Interimit Medix demisso in pectora ferro,
At caput auulsum ceruice Vrsarius aufert.
His alios, aliósque addunt, & corpora gaudent
Fundere humi, gladiósque vnà maculare, manúsque.
Vt primùm gemini florenti ætate leones,
Postquam visceribus cæsarum à matre ferarum,
Sanguinéque expleri ventrem assueuere recenti,
Syluarum egressi latebris, patrémque secuti,
Inuasere pecus, læti committere cædem,
Dant stragem, atq; auidi dentésque, vnguésq; cruentant.
Iámque Oriens totum radijs patefecerat orbem;
Cùm tuba Goffredi iussu desistere cœpto
Clara iubet, prohibétque vltra procedere pugnam.
Non huc, vt Graios patrijs pellamus ab oris,
Atque animum effuso saturemus sanguine Thracum
Venimus, ò proceres. nobis satis inde, supérque
Pœnarum exhaustum; reliquis ad patria tutus
Mœnia sit reditus. Dixit Goffredus: & vnà
Assensere omnes. sedenim densata iuuentus
Gallorum Ausonijs acies sociarat amicas;
Inque vrbem inuitis ductoribus acta ruebat.
Nuntius interea Regis perfertur ad aures
Odrysij, & trepidis implet rumoribus vrbem:
Scilicet innumeros ciues cecidisse, ducésque;
Et nunc Ausonios, cunctósque vno agmine Gallos,
Omnia quamprimùm ferróque, ignique daturos
Aduentare animis immani ardentibus ira.

Ergo

Ergo alij ad portum celeres, nauésque paratas
Tendere, & ignotis sese committere Ponti
Cautibus, ac syluis: alij tellure sepultas
Abdere opes, fidisque aurum mandare latebris,
Pocula, christallum, vestes, gemmásque nitentes.
Multi etiam sacris natos, sua pignora, templis
Credentes, miseris rumpebant questibus auras.
Nulla domus, via nulla nouo non mista tumultu:
Hostiles quasi iam ruerent in tecta cohortes;
Atque antiqua Lygos flammis absumpta iaceret,
Et flueret sanguis manantibus vndique riuis.
Audijt exanimis, tristíque exterrita fama
Irene, veterum claro sata sanguine regum.
Quæ quamuis Thraci coniux optata tyranno
Contigerat, thalamúmque volens, lectúmque iugalem
Innumeros concordi animo sociarat in annos;
Graiorum ritus tamen vsque exosa rebelles
Protinus à prima pietatem ætate colebat,
Quam prisci docuere patres; docet ipse per omnes
Terrarum tractus constanti mente colendam
Christicolûm custos, immensíque arbiter orbis
Romanus genitor rerum cui summa potestas.
Illa igitur postquam tantum impendere periclum
Graiorum, Thracúmque vrbi mæstissima vidit,
Extemplo ad Superos palmas vtrasque tetendit;
Et genibus flexis, sparsóque in terga capillo,
Ante pias, quas rite domo interiore locatas
Virginis intactæ partu sacrauerat aras,

 Procum-

Procumbens imo voces è pectore fudit.
Diua parens, cui se totus patefecit Olympus,
Aligerúmque chori sublimi ex æthere missi
Nocturnum insueto complerunt aera cantu,
Cum primùm in teneras veniens se protulit auras
Filius æterni patris: quem Nuntius ales
Militia ex alta lectus prædixerat olim
Intactam completurum tibi protinus aluum.
Si te vmquam mouere preces castæque, piæque
Vllius, auxiliúmque vltro miserata tulisti,
Affer opem lapsis, Virgo sanctissima, rebus
Et procul ò, tantam nobis auerte procellam,
Coniungens belli percusso fœdere in vnum
Graiósque, Ausoniósque duces, Gallósque feroces,
Quò tota immanes Asia depellere Turcas
Possint, & certam Solymis afferre salutem.
Audijt, & tanti partem succedere voti
Virgo dedit: partem effundi permisit in auras.
Threicia vt Gallos, Italósque auerteret vrbe
Annuit. at Graios furiata fœdera mente
Iungere non vetuit, fraudésque ex more parare.
Namq; vt erat pedibus nudis, lachrymísque decoras
Intersusa genas, thalamum mæstissima coniux
Coniugis intrauit, soláque ita fatur ad aures.
Non ego consilium, Dux inuictissime Graiùm,
Afferre in medium veni: nec, si quà Senatus
Instituit concors, ausim impugnare: maneto
Immotum quicquid tua mens, & certa voluntas

Immotum esse iubet. (quamquam ò) sed cæca sequantur
Maiores consulta patres. res poscere præsens
Præsentem me cogit opem. iam mœnibus instat
Effusus castris Gallorum exercitus omnis.
Et, nisi supplicijs, precibúsque represseris hostes,
Direptásque domos, spoliatáque templa videbis,
Inq; tuos adigi natos, mea viscera, ferrum.
Dixerat. & lachrymis manantibus ora rigabat.
Atque illam verbis sic est affatus Alexis,
Arcanum occultans imo sub pectore sensum.
Iamdudum, ò nostri pars iucundissima lecti
Irene coniux, cui summam credere regni
Et rebus spectata fides, atque anxius in nos
Cogit amor, necnon ingens prudentia, certos
Misimus, hostiles precibus qui mitibus iras
Extinguant, pacémque petant, & nomine nostro
Excusent tanto maculatam crimine noctem.
Quóque magis, quæ nos volumus, confecta reportent,
Ductores vnà Gallorum adiunximus omnes,
Quos olim imperij fines hostilibus armis
Protinus ingressos acres cepere Liburni,
Et vinctos misere nouam Byzantis ad vrbem.
Vnde hodie primùm recluso carcere læti
Discessere omnes, ostrúmque, aurúmque ferentes,
Munera principibus, farrisque albentis aceruos,
Dona laboratæ Cereris: queis addere visum est
De Methymnæis liquentia vina racemis:
Nec non & domita nondum ceruice iuuencos,

Tergáque cæsa suum, vestésque in vulgus inemptas:
Multáque prætere a, quæ postulat vsus, & vnà
Ire sacerdotes omnes longo agmine iussi,
Supplicis in morem populi, manibúsque gerentes
Sublimem præferre crucem: cui fixus inhæret
Réxque, patérq; hominum Christus Deus: éque repostis
Templorum eductas adytis, arísque verendis
Effigies Diuûm, vitæ simulacra beatæ;
Ossáque relliquias Procerum, cineré sque piorum,
Pro clypeis, densísque hastis obtendere sacros:
Et precibus certam, lachrymisque exposcere pacem
Nec tamen interea multo non milite circùm
Seruari obsessæ muros mandauimus vrbis:
Debeat vt iam vis non vlla externa timeri.
Aude ergo, ò coniux rebus confidere nostris:
Nec tantos tibi finge metus: mihi multa supersunt
Millia, quæ campis ineant certamen apertis,
Si sit opus, patriásque domos tueantur, & aras.
His dictis, Irene animum lætata recessit,
Quò se mane pius consuetà ad sacra sacerdos
Indutum lino, tunicáque albente pararat.
Interea castris Gallorum egressa iuuentus
Venerat Odrysiæ vicina ad limina portæ:
Et fors ingenti prostratis ariete muris
Ilicet irrumpens tremefactam incenderet vrbem,
Obuia ni patrum series, & turba piorum
Nuda pedes, suppléxque oculis lachrymantibus iras
Diminuant, positáque animos feritate retundant.

Nam

Nam quos nec procerùm voces potuere, nec vlla
Iussa ducum subita reuocare à cæde furentes;
Excidióque vrbis, ditísque cupidine prædæ,
Cum primùm videre Crucis venerabile signum,
Ardentes cecidere animi, compressus & omnis
Impetus, & cuncti genua inflexere manipli
Abiectis ad terram armis (mirabile visu.)
Hic verò lætis exceptus vocibus Vgon,
Et plausu, fremitúque virùm, sic lætus ab alto
Fatur equo: Non ista Dei sine numine certo
Eueniunt; qui nunc iras crudescere vestras
Non sinit: & sæuos quamprimùm inuadere Turcas
Nos monet: atque acres stimulos sub pectore vertens
Votorum immemores, animique incusat inertis;
Otia qui passim ducendo ingrata, moremur
Soluere Pontifici, quod iam promisimus, & quod
Vnum se debere Deo mens conscia cuique est.
O socij, en vobis, quos dudum Argiuus Alexis
Carcere conclusos summa retinebat in arce;
Adsumus incolumes cuncti, ferimúsque vicissim,
Quæ tantis addant immensum rebus honorem,
Atque incœpta iuuent fidei concredita nostræ.
Namque offert rex ipse suas in prælia vires,
Et facto vnanimes sociari fœdere dextras
Ipse petit, pársque esse cupit non parua laborum
Tantorum, nobis quos impendere videmus,
Cum primùm Syriæ fines exercitus intret.
His dictis acies confestim iter omne relegit,

Ductores comitata suos: illisque diebus
Threicias arces nullis, & castra negatum est
Visere, & Odrysios impune errare per agros.
Ipsi etiam in speciem contracta fœdere pacis
Ad cænam proceres iterúmque, iterúmque vocati
Venere ex castris in regia tecta frequentes,
Hospitio, & dubijs ausi se credere mensis.
At rex euentu rerum deceptus, & expes,
Viribus indubitánsque suis, timidúsque futuri,
Vertitur huc animo, atque illuc, placitúmque recusat
Consilium in Thrace Gallósque, Italósque morandi.
Ergo alias imo vertit sub pectore fraudes:
Quarum ope se, Graiósque suos formidine soluat
Præsenti, & proceres Arabis concedat in astus.
Iámque epulis inter citharas, cantúsque peractis,
Postquam exempta dies placido sermone, polóque
Postera nocturnas Aurora fugauerat vmbras,
Accitos ad se verbis affatur amicis.
Audite ò proceres, animisque hæc figite vestris.
Turcarum (seu fama fidem vulgata reportat)
Ductor ad Euphratem trepidus confugit, vt illinc
Euocet in Syriam Persas, Arabásque rebelles,
Versurus totas in vos vno agmine vires,
Quas vel in extremis oriens Sol aspicit oris.
Hinc igitur, Graio si qua est prudentia regi,
Si qua fides verbis, si quis rerum insitus vsus,
Corripienda via est: ne qua mora tardior obsit.
Nos classem ingentem dabimus, lembósque paratos,

Tertia cum terræ lux orta retexerit orbem.
Quin & consilio tanta hæc incœpta, manúque,
Auxilijsque nouis, fuluóque iuuabimus auro,
Cum primùm Syrijs exercitus ingruet oris,
Inuadétque altas Turcarum interritus arces.
Hanc vltro sine fraude fidem damus; hoc libet ambos
Fœdere vinciri populos socia arma ferentes:
Communem communi animo oppugnemus vt hostem.
Dixerat. & superi Regem testatus Olympi
In templum perrexit, vbi multo ante sacerdos
Facturus sacrum solemnem ornàuerat aram:
Inque vocaturus demissam ex ætheris oris
Sanctam Auram, Graiorum Auram de more vocatam.
Quæ simul ac populus perfecta ex ordine sensit,
Discessere omnes, séque in sua tecta tulerunt.
At rex Threicius multis comitantibus ibat
Nunc septem ostentans surgentem in collibus vrbem,
Vnam, quæ magnæ contenderit æmula Romæ,
Marmoreásque ædes, factósque ad publica circos
Munia, cum ludos exercet læta iuuentus:
Nunc templum æratis centum sublime columnis,
Templum immane, ingens, gemmísque, auróq; superbum,
Æquatum vasti superis opus ætheris oris,
Vix ope mortali, vix vllo imitabile seclo.
His etiam Pario surgentes marmore thermas,
Subliméśque arcus, atque ære rigentia signa
Addit, & Hippodromi spatia, immanésque colossos,
Et tripodas Phœbi, serpentísque ora trifaucis,

Magna-

Magnanimúmque olim monumentum insigne Laconum.
Atque hæc victores, inquit, posuere Pelasgi,
Vnanimis bello Medos cum Græcia fudit;
Et Pelusiacis raptos auexit ab oris,
Ætas quos Soli sacrarat prisca obeliscos.
Mox & multiplici substructum fornice pontem,
Nec procul astantem fulgenti ex ære draconem
Ostendens, matres celebrant vbi sacra Mimanti,
Subijcit: Hic steriles (Diui quæ gratia) sæpe
Senserunt grauidum lætæ turgescere ventrem,
Ni precibus numen surdas obstruxerit aures.
Hinc portum inuectos, similem cui nullus in orbe
Vidit adhuc, quamuis tutus secura Monæcus
Ostia, & immota iactet statione recessus,
Euxini iuuat angustas inuisere fauces;
Et loca delectis lustrata heroibus olim;
Quorum etiam nunc Hesperias vulgata per oras
Circumfert meritos fama immortalis honores.
Hic Amycum Pollux immani corpore victum
Tyndarides prostrauit humi, Bebrycásque furentes
Amissum ob regem, ferro extinxere Pelasgi;
Et læti prædam ad naues egere recentem.
Fluctibus hic ijdem iactati, atrisque procellis
Peruenere oculis orbatum ad Phinea; quem tum
Vexabant raptis epulis ex ore, manúque
Harpyiæ immundo fœdantes omnia tactu.
Sed gemini iuuenes, Boreæ fortissima proles,
Obscœnas Erebi volucres pepulere fugatas.

Ipse

Ipse autem meriti Phineus haud immemor huius
Et docet ignaros Minyas cursúsque, viæque,
Qua ratione queant truculentum irrumpere Pontum
Cyaneas inter cautes, dum fluctibus actæ,
Altera in alterius frontem defertur, & imas
Suscitat in cœlum pelago exultante procellas.
Talia narrabat prisci non inscius æui
Rex Thracum: & proceres ad facta illustria, magno
Tantarum imprudens laudum inflammabat amore;
Et simnl Odrysiam lætos reuehebat in vrbem.

PETRI ANGELII
BARGAEI

SYRIADOS
LIBER VI.

IAMQVE adeò terras primis nox atra tenebris
Induerat, praecépsque polo demiserat vmbram,
Cum proceres, lectiq́ue duces in castra reuersi
Consilio referunt Thracis promissa tyranni,
Et firmata palàm constanti fœdere pacta,

Quæ

Quæ vulgi fremitu, varióque agitata coronæ
Assensu, passim expendi non vocibus iisdem,
Non animis sunt cœpta. Velut cum turbidus Auster
Aduersa cœli veniens à parte lacessit
Æquor, & in pugnam Boream vocat. ille vbi ab alto
Cardine prorupit, medio se marmore fluctus
Incursant, dubitátque maris, cui pareat, vnda.
Quæ pater Addemarus (namque illi cura sacrorum,
Et tantæ fuerat molis commissa) volebat
Vnius ad certos nutus, & iussa referri.
In mediis ergo ductoribus hæc ita fatur.
Cuncta equidem, ò proceres, patrio quos orbe profectos
Diuersos variæ claram Byzantis ad vrbem
Portauere viæ, bello quæcumque gerendo
Confieri possunt, cura confecta, fidéque
Esse reor. Non vos vllæ glaciésque, niuésque,
Fluminàque, & montes: rapido non Sirius æstu
Difficilésq; aditu valles, altæq; paludes
Non Graiùm insidiæ, non tela aduersa, facésque
Tantum iter ingressos vsquam potuere morari.
Nunc autem, quando incolumes peruenimus omnes
Thracis ad imperii fines, & littora Ponti,
Quisque suum, cui tum libuit parere, Secuti
Ductorem, patriæ dulces cum liquimus oras,
Inque Arabas, Turcásque pii decreuimus arma,
Quamprimùm ex tantis proceres, ductoribus vnum,
Quod superest, clarum virtute, & fortibus ausis
Præstantem, rerum cunctarum imponite summæ,

Consi-

Consilióque grauem: quem solum exercitus omnis
Spectet, & is pacis, bellorúmque arbiter esto.
Ergo huc, susceptum vobis nisi fortè laborem
Frustrari, & tantas incassum absumere vires
Vos iuuat, vnanimes incumbite. Namque ibi nullus
Imperat, imperio multorum vbi quisque necesse est
Pareat, atque anceps nunc hinc, nunc pendeat illinc.
Quòd si aliquem inter vos (Deus hoc auertat in hostes
Infandum crimen) nostræ nec cura salutis
Exercet, nec tangit honos, nec gloria ducit,
Nec pudet Arabijs victum dare terga, Syrisque,
Atque idem nostra campos spectare calentes
Cæde potest, seruúmque iugo submittere collum,
Ille abeat cœtu ex tanto. Vel, si sibi primum
Attribui cupit ipse locum potiora merenti,
Prodeat, & tali dignum se ostendat honore.
Sin autem, quod vos potius prætendere fas est,
Abdaridas petitis, patriam repetatis vt olim
Totius spolijs, opibúsque Orientis onusti;
Aut etiam, vt regnis multo sudore paratis,
Externis sedem læti ponatis in oris,
Procurate viri, quod nos Deus admonet vnum,
Atque vnum fieri res ipsa & suadet, & vrget.
Hæc pius Addemarus; tacitúmq; per ora virorum
Murmur ijt; qualem in syluis, cum flabra Aquilonum
Paulatim incipiunt frondes agitare virentes,
Audimus fremitum: qualémque ad curua fragorem
Littora, cum primùm crispantur leniter vndæ,

Iamdudum

Iamdudum Zephyris bellum meditantibus, edunt.
Sic illi inter se tractim resonante susurro
Consessum dubij varijs rumoribus implent;
Ancipitésque animis: partim in diuersa trahuntur:
Partim autem cœptis æquata sorte manendum
Censent: præteritus ne quisquam ex ordine tanto
Gallúsve, Ausoniúsve pijs discedat ab armis.
Quandoquidem non de leuibus consulta petebant
Rebus: at egregium decus, & pernobile regnum
In medio positum fuerat virtute parandum.
Hinc dux Carnutum Stephanus, ne fortè tumultus
Glisceret, atque auidas vulgi ferretur ad aures:
Quod pius Addemarus, proceres, modo censuit, inquit,
Esse potest nulli dubium. res publica numquam
Non euersa perit, quam vulgi æquata potestas
Huc trahit, atque illuc: medio nec in æquore fluctus
Surgere maiores, nauésque illidere suerunt
Ad scopulos, vastisque actas demergere in vndis,
Quàm cum bella gerunt aduersis viribus Euri
Spirantes, séque hinc illinc superare volentes.
Sic virtus, quamquam duris exercita rebus,
Si quando erumpens sese in contraria transfert,
Communem euértit populi malesana salutem,
Nec quicquam ratione geri sinit. Hic ego nullum
Esse reor vestrùm, cui tantæ imponere molis
Non possitis onus; si nos spectare necesse est,
Quam quis bellando laudem meruisse feratur.
Nam nemo inter vos ferro non perculit hostem:

Non

Non murum aſcendit victor: non caſtra locauit
Delecto vallata loco: non contulit auſus,
Conſeruitque manus: dubij non cætera martis
Munia ſuſtinuit: quorum ſe gloria cœlo
Infert, & famam veniens extendit in æuum.
Quo circa, ò proceres, quando vnum agnoſcimus omnes
Gallorum regem, primi cui dentur honores,
Vgontem, nam frater is eſt, cognomine magnum
Diuitijsque, opibúſque, & nobilitate potentem,
Ductorem noſtri iam nunc ſuffragia cœpti
Veſtra legant, paciſque optent, bellique magiſtrum.
Ille hæc Tullingo iamdudum infenſus, & acri
Inuidia pectus, ſtimuliſque agitatus amaris.
Aſt Hugon, Procul eſto, inquit, tam dira cupido,
Ipſe vt, militia qui numquam exercitus vlla
Præteritum duxi iuuenile inglorius æuum,
Præficiar bello, tantiſque heroibus. immo
Hæc mea quò vobis melius ſententia conſtet;
Nec præeo certus cuiquam, nec ſubſequor vllum,
Præter eum, quem ſumma pij prudentia primùm
Pontificis rerum ſummæ præfecit euntem
In bellum, capiti impoſuit cum tegmen, & enſe
Ipſe ſuis manibus Goffredum accinxit acuto.
Dixerat hæc: placidúſque ſua ſe in ſede locarat.
Tum Robertiades Italùm dux talia fatur.
Ipſe equidem, ò proceres, magnus quem deſtinat Hugon
Imperio, & tanto dignandum munere cenſet,
Cum primùm Auſoniæ patrio de littore ceſſi,

Huic

Huic vni ſolùm veni parere paratus.
Et nunc mens eadem perſtat mihi: nec putet inter
Tot proceres quiſquam factis, & ſanguine clarus
Se fore, qui noſtris legionibus imperet, & me
Parentem ſperet dictis. Ego nullius vmquam
Imperio regar alterius, neque iuſſa faceſſam.
Ipſe huius mihi dux belli certiſſimus eſto
Goffredus, quem ſponte ſequar quocumq; vocarit.
Hæc ait. atque altùm ſpirans conſedit. At olli
Concordes legere Ducem, quem Daunius heros
Iuſſerat. ille autem ſuſcepto munere tanti
Imperij, & tacito voluens in pectore magnos
Curarum fluctus: Faxit Deus optimus, inquit,
Proſpera ſint, nobiſque ferant hæc acta ſalutem.
Ergo vbi terrarum lux orta reuiſerit orbem
Craſtina, & humentem cælo dimouerit vmbram,
Dum ſacra propterea peraget conſueta ſacerdos,
Suppliciter votis Superùm regémque, patrémque
Oremus, quò noſtra volens incœpta ſecundet.
Hæc ait. & populos inter diffuſa repente
Fama volat dubios tanto in molimine rerum:
Ilicet & certa cunctis ſpe pectora complet:
Lætitiáque fremit, plauſúque exercitus omnis.
Tum verò ſua quiſque petunt tentoria læti,
Inſtaurántque animos epulis, & corpora curant:
Hybernam vario noctem ſermone trahentes.
Interea, heroum cum iam conuentus abiſſet,
Protinus Odryſii Goffredum ingentia regis

Flagitia, & Graiæ secum mendacia gentis
Versantem, ac duro recubantem in stramine, totum
Complexus fessos altus sopor irrigat artus,
Visa dehinc medio faciem circumdata nimbo
Ida parens summo descendere vertice cœli,
Atque atræ tenebras oculis depellere noctis:
Mox etiam apprensum dextra super aeris oras
Sublimem rapere, & longè tellure relicta
Sedibus inferre æthereis stellantis Olympi:
Vnde mare, & terras latè sub vtroque iacentes
Vertice despiciunt, vel quas surgénsque, cadénsque
Hinc, atque hinc media collustrat lampade Phœbus.
Ille autem admirans, quò me sanctissima mater
Ducis, ait? quàve ire iubes? statuisve timentem?
His dictis. Ida has læto dedit ore loquelas.
Nate oculis, vitáque mea mihi carior ipsa,
Cum pariter quondam vitáque, & luce fruebar:
Hic locus illorum patria est, qui vulnera passi
Pugnando pietatem armis coluere; Deóque
Addixere vni mentes, quæ corporis huius
Carcere disclusæ obscuro, & compage soluta,
Hęrentes postquàm maculas cœlestis adedit
Ignis, & inuectum longè scelus omne remouit,
Hęc in templa volant celeres: quò te quoque fas est
Quattuor ętherius cum Sol expleuerit orbes,
Conferre, atque iterum lætas inuisere sedes.
Nate ades huc animo, susceptum & omitte timorem.
Quæque loquar, cape dicta memor: solatia namq;

Condi-

Condita mente ferent, Ambas age deijce luces
Nate tuas, terrámque oculis metire, fretúmque.
Aspice quàm paruo complectitur omnia paruus
Orbe globus; quàm nec gutta globus instar aquai.
Pro cuius nate imperio tot deinde labores
Suscipere, & latos perfundere sanguine campos
Vos iuuat. Heu miseri, non hos concessit in vsus
Arma Deus, vestra vt rigidum per viscera ferrum
Transeat, & fulua cæsorum sternat arena
Corpora regnandi causa: sed vt, impia quæ sunt
Corda hominum ad cultum reuocent, ritúmque piorum,
Christicolúmque adeò fines tueantur, & aras:
In cœlum quæ certa via est, cœtúsque beatos
Heroum insontis vitæ, & sine fraude peractæ:
Qui nunc astra colunt laxati corpore, & illa,
Quæ lucet sincera oculis, hic luce fruuntur.
Vos Solem piceum, vos cœlum, & sidera densis
Suspicitis tenebris, cæca & caligine mersa,
Viuentes vitam, quæ vita simillima morti est,
Aut etiam mors ipsa. Etenim quid amabile tandem
Ipsa habet, & sensu quod non perfundat amaro,
Inficiátque atris inter sua gaudia curis?
Namque vt vos votis damnet Deus omnibus, ipsi
Protinus angustos fines tamen addidit æuo:
Nec quicquam esse diu voluit, quod terminet vsquam
Certa dies, rerúmque adeò immutabilis ordo.
Omnis enim ad nihilum recidit, cum preterit, etas.
Ergo hic quandoquidem, genitrix mea, viuitur, inquit

Goffredus, veráque bonis in luce fruuntur
Cum primùm licuit huius decedere tetro
Corporis hospitio, & Diuùm felicibus addi
Concilijs, stellas pedibus, cælúmque prementes,
Quicumque innocuis agitantes legibus æuum
Mortales, Christi norunt se morte redemptos:
Quid moror in terris, quin has ego pergere ad oras
Ætherias propero, densásque exire tenebras?
Non ita. namq; etsi (genitrix excepit) ab alto
In corpus depressi animi, quos ipse creauit
Æternus genitor, rerum inuiolabile numen,
Corporis exolui vinclis, & carcere cæco
Impensè interdum cupiunt, ad eúmque reuerti,
Unde prius venere, tamen sciungere sese
Haud licet iniussu Superúmq;, hominúmq; parentis:
Qui nullum, nisi quem vita spoliauerit ante
Ipse volens, patrio patitur succedere cælo.
Quando etiam mortale hominum genus hac sola terra
Lege colunt, ne quisquam æstus, ne frigora, & imbres,
Atque sitim, durámque famem, sæuósque labores
Turpiter oblata fugiat sibi morte, locúmque,
Miles vt ignauus, venienti deserat hosti.
Multa prius subeunda tibi, superandáq; restant
Militiæ, quàm stellantis te regia cæli
Accipiat reducem, atque optata in sede reponat.
Oppida principio, quæ tu iam rere tuorum
Capta manu, cernes feruere hostilibus armis,
Sanguinéque effuso fluuios manare perennes,

Et ferro absumptas passim cecidisse dolebis
Germanorum acies fidi ductoris egentes
Ante, queas quàm densa vrbem expugnare corona
Hic, vbi Mysorum piscosa feracibus agris
Inserit Ascaniæ pulchrum caput vnda paludi:
Sed, licet illa pijs conata obsistere cœptis
Susceptum remoretur iter, viresque fatiget
Ausa tuas, veniam tandem, pacemque petenti
Ipse ignosce tamen, casusque auerte supremos,
Et scelerum comiti sæuo moderare furori.
Hic olim Pharium præcepta infanda docentem,
Cuius inaccessos sensus malè sana cupido
Impulerat diro pietatem afflare veneno,
Rite refutatum tercentum ex ordine sancti
Damnauere patres: damnatum ea pœna secuta est
Protinus, effusa qua viscera proruit aluo
Omnia, & vltrices vitam exhalauit in auras,
Infernásque domos, sedésque Acherontis auaras.
Mox animo tristis, sed vultu interritus amnem
Permisto Sagarim spumantem sanguine cernes
Et simul indigna miserorum cæde gementem
In mare purpureum pronos euoluere fluctus.
Tempore quo rebus properans afferre salutem,
Ausonios, Gallósque vnà vlcíscere peremptos,
Deuictósque Arabas longè in deserta repelles,
Et spolijs, opibúsque tuos ditabis opimis.
Hinc via difficilis, saxosisque aspera cliuis,
Desertique situ colles, & inhospita tellus

Exceptos vnà pedites vexabit, equósque.
Nam neque gramen erit, tenui nec riuus aquæ vi
Dulce viatori lasso in sudore leuamen,
Cum venit, & terram sicco spuit aridus ore,
Non puteus, non collecta vetus imbre lacuna,
Corpora quæ recreet longinquo exhausta labore.
Quin æstu ingenti passim laxata fatiscent,
Felicésque animas reddent cœlestibus oris.
Tu vero, Goffrede, animo ne deffice: & instans
Urge iter incæptum; breuis est mora. iam tibi præstò
Frigidus Hermus adest, & Mysi lympha Caici,
Atque in se refluens ripa Mæandrus opaca:
Quique amnes alij summo de vertice Amani
Præcipitant, celerésque secant frigentibus vndis
Pisidiæ campos, læto quos vbere glebæ
Oppida vasta tenent Lyrbe, Termissus, & olim
Selga ingens celebri fama, atque æquissima factis.
Nunc prostrata solo, magnisque oppressa ruinis
Cuncta iacent, nullique situm, nec nomina norunt.
Et miseri nobis mortem impendere dolemus,
Infelix hominum genus, & cui vita caducis
Frondibus assimilis, Boreæ quas aura furentis
Perculit autumni sub finem abeuntis, & omnes
Ilicet & campis, & montibus abstulit vmbras.
Sed vos nate diù terris his fortè morantes
Incastigatos Rex haud sinet ætheris alti.
Tu casu in tanto plagas perferre memento
Æquus, & vsque Deo grates age nate, nec vllis

Vlla loci facies segnem remoretur in oris,
Donec ad angusti vallem delatus Orontis
Constiteris, vbi longa vrbem obsidione premendam,
Sanguinéque, & multo vobis sudore domandam
Nuntio. námque fames, & hyems glacialis, & ingens
Cœlo emissa lues acies rarescere coget
Hesperias, multósque dabit letóque, fugæque.
Quin te etiam Gallique duces, primique tuorum
Destituent, fugiéntque altam Byzantis ad vrbem
Votorum immemores: tamen obdurata manebit
Lecta virùm virtus, bellóque assueta gerendo.
Sed non & mansisse volet. tantæ vndique vires
Aduenient: cœlúmque tegent, Solémque sagittæ.
Hic animis opus est: hic & victricia castis
Poscere signa Deum precibus. Vos pergite. muros
Ipse dabit superare vrbis, Persásque rebelles
Fundere, & innumeras venientum infringere turmas.
Interea fratérque tuus Balduinus, & acer
Tancredus circùm populos in iura, fidémque
Diuersi redigent: sæuos Tancredus Isauros,
Et Cilicum gentes: felix Balduinus opimam,
Euphrates alto quam flumine lambit, Edessam.
Opprimet, & madidas Romano sanguine Carras.
Ipse autem ducente Deo, paucisque relictis
Tantarum è numero legionibus, ibis Idumem,
Ne dubita, Solymámque vrbem expugnabis adortus
Hic te autem consensu vno populique, patrúmque
Regem appellabunt proceres: apicémque volentes

 Imponent

Imponent capiti. Tu parti insignia regni
Reijce nate procul. non illa cingere crinem
Vrbe decet rutilantem auro, gemmisque coruscum,
In qua olim spinis Christus Deus, arbiter orbis,
Pulchri opifex mundi, regum Rex impia passus
Hærentem fronti gessit paliuron acutis.
Sceptrum igitur, Goffrede, alios, regnique coronam
Ferre sinas ostro insignes, auróque superbos.
Tu populis dare iura tuis, légésque memento,
Debellare hostes, placidúsque ignoscere victis,
Tum sensim replere animos pietatis amore,
Diuorúmque ædes vnà instaurare labantes,
Et patres munire opibus; queis sacra, diésque
Sint curæ, atque aris sueti reddantur honores.
Quóque hæc ipsa magis properes: vix integer anni
Mensibus exactis vertens explebitur orbis,
Aerias ex quo Solymorum cœperis arces;
Ardua cum cœli reditus tibi ad astra patebit,
Atque hæc nobiscum mortali lege solutus;
Quæ nunc sub pedibus præsens miraris, & optas
Iam tibi certa dari, stellantia claustra tenebis.
Hic matrem aspiciens læto sic pectore fatur
Goffredus: Quando, ô mater, mihi tanta parantur
Gaudia defuncto bellique, viæque periclis,
Atq; aditum ad vasti patet hic quasi limes Olympi,
Quamuis clarorum semper vestigia patrum
Ante etiam institerim, decoríque ego gentis auito
Defuerim numquam, tamen hac mercede laborum

Proposita, enitar posthac vigilantius; & me
Omnia iam rerum perferre aduersa iuuabit,
Delictis quæcumque meis infensa minatur
Ira patris summi, qui fons, & vita bonorum est;
Incolumem liceat Solymos modò visere colles,
Expulsis illinc Turcarum, Arabúumq; tyrannis.
Sed tu sancta parens (namq; hæc noctésq;, diésq;,
Vrit atrox animum cura, atque infesta recursat)
Vnum etiam, si iusta peto, si pandere fas est,
Quæ ventura vides, vnum hoc effare precanti.
Postquàm parta manu belli victoria nobis
Cesserit; & nostra Solymi ditione regentur;
Imperium ne Deus veniens producet in æuum,
Et loca Christicolis propria hæc regnanda relinquet?
    Hæc pius Eustachides. mater cum talia rursus
Ida refert. Quodcumque rogas Goffrede parentem,
Ipse Deus, series vni cui nota futuri,
Nil hodie te scire vetat. Sub regibus ergo,
Qui tibi non longo succedent ordine, totos
Octoginta octo Solyme regnabitur annos.
Flagitijs sed enim nostrorum infecta nefandis,
Et vexata diu procerum discordibus armis,
Horrebit Pharias rursus superata secures:
Exactisque procul Gallisque, Italisque videbit
Abdaridæ parere Asiam, Trhacémque superbam;
Inque potestatem Turcarum, inque impia cogi
Iura, suo quicquid terrarum interfluit ingens
Flumine Dannubius. Quin illi, vbi littore sedem

Threicio

Threicio, & veteri Byzantis in vrbe locarint;
Illyrij, Macedúmque arces, atque oppida Graiùm
Cuncta sub imperium redigent, immane minantes
Exitium Europæ populis, quicumque supersint.
Sæpe etiam magnis ausi dare classibus Austros,
Ionium, Aegæúmque omni ditione tenebunt.
Scilicet & nostri poterunt spectare nepotes
In sua paulatim grassantem viscera pestem;
Dum se odijs, armísque palàm consumere pergent,
Horribiles nullis cohibentes finibus iras.
Ergo, inquit pius Eustachides mæstissima densis
Ora, sinúsque rigans lachrymis, tot regna, tot vrbes,
Tot castella manu nostra expugnata, iugóque
Erepta ex Arabum, rursus rapientur in arcta
Vincula, & Abdaridùm iussa execranda facessent?
Nec nostra, ò mater, nascetur origine quisquam
Corde vigens, gratúsque Deo, qui nobile bellum
Suscipiat, Turcásque manu qui deleat hostes,
Restituátque Deo populos, quos impius olim
Abstulit Abdarides, secúmque in tartara ducit?
Tum mater nati dextram complexa loquentis,
Parce, ait, ò, lachrymis, Goffrede, & comprime fletum.
His quoniam dolor, atque omnis metus exulat oris.
Vna, & certa quies animis lætissima nostris,
Numinis æterno cuncta hæc moderantis amore,
Illa quidem semper clemens, sed iusta voluntas:
Vnde aliquem se abstraxe nefas: tamen vsque suorum
Virtutis memores Galli, & pietatis auitæ,

Haud

Haud semel instituent armis inuadere Turcas;
Cúmque his concordi veniens in talia dextra
Fœdera, coniunget generosa Britannia vires.
Atque hæc arcentem toto de littore nostros
Vastabit Cyprum victrix, sceptróque potita
Externis regnum dominis concedet habendum.
At Gallorum acies animis ingentibus vrbem
Phœnicum interea post longum tempus adactam
In leges iurare suas, & verba iubebunt;
Imperióque caput statuent, sedémque labanti;
Expulsósque illic reges in sceptra reponent.
Sed Solymos iterum capere, & sarcire ruinas
Amissi imperij poterit non ipse Britannus,
Quamquam audax, quamquam captis Iopésque, Tyríque
Arcibus, & Pharijs ingenti cæde fugatis
Non Celtæ, Belgæque duces; licet ostia Nili
Audaces subeant ruptis reclusa catenis,
Atque Aegyptiacas vrbes populentur, & oras,
Inque Parætonio defigant littore sedes.
Immo etiam haud multò post tempore, Gallia regem,
Insignem pietate virum, pia bella mouentem
Abdaridis Libyæ populis iniussa sequetur.
Sed neque tunc etiam tantis Deus annuet ausis.
Nam Pelusiacas vt sese appellet ad oras
Ipse animo præstans, procerúmque ingentia secum
Agmina habens, Arabum ductorem occiderit, & mox
Mendesij ditem sine sanguine cœperit vrbem,
Multorum furijs, cæcáque cupidine victus

Audebit

Audebit Gallis funestam inuadere Memphim.
Sed cœli vitio, fluuijque palustribus vndis:
Horrida cunctarum subito penuria rerum,
Atque lues interclusis, morbósque, famémque
Afferet exoriens, cœptisque absistere coget,
Amissis miserè Gallorum heroibus. At rex,
Quem mox ipse Deus Superùm signabit honore,
Inde abiens, repeténsque Syras inglorius oras,
Oppida restituet fœdis collapsa ruinis:
Nequicquam. Aegyptus rupto nam fœdere vires
Colliget: atque iterum nostris lachrymabile bellum
Incutiet, victrixque Tyro potietur, Acémque
Euertet, caput imperij, sedémque Latini,
Relliquias tanti incœpti. nec proderit Afras
Debellasse manu Gallorum regibus vrbes,
Ceruicésque iugo Libyæ pressisse superbas.
Cuncta iterum Abdaridùm dextris subigentur, & armis.
Sic placitum Superùm patri, qui sidera fulcit:
Sed tamen exactos postquàm voluentibus annis
Sexcentæ æstates, sexcentæ ex ordine brumæ
Addiderint decies centenis orbibus orbes,
Omnibus ex quo lux oculis est reddita nostris,
Nascetur pietate ingens, inuictus & armis,
Qui bello aggressus populos contundet Eoos,
Et Scythiæ duras Libyæque immittet habenas.
Tum verò toto surget gens aurea mundo,
Aurea, sinceri quæ seruantissima cultus
Rite Deum precibus trinúmque agnoscat, & vnum.

Interea

Interea vesana lues, quam finibus ortam
Ipsa suis secum discors Germania primùm
Mater alet; mox inuectam, latéque vagantem
Excipient gremio Allobroges, solióque locabunt.
Inde autem quondam fidissima corda Britannos
Irrumpet toto descendens corpore pestis;
Atque hic, atque illic nostras populabitur vrbes
Immanis, Gallósque suo funesta veneno
Auferet, & sanctis animos abducet ab aris.
Hæc indignanti similis, similisque dolenti
Dixerat Ida parens: cum iam Goffredus in iram
Exardens animis, Ergo patietur inuri
Ipsa (ait) ipsa sibi furijs agitata nefandis
Dedecoris, scelerisque notam mea Gallia tanti?
Gallia, quæ toties sumptis defenderit armis,
Ius Latij, cultúsque patrum, ritúsque piorum?
Talibus orantem sic Ida exorsa vicissim
Solatur natum: Tuscos, age, respice colles,
Florentémque opibus vallem, cultúq; frequentem,
Flumine quam vitreo dirimit Bœotius amnis
Arnus, & Hetruscos cursu secat impiger agros.
Hic olim nostro Morinùm de sanguine surget
Fœmina, clarorum quæ nobililate parentum,
Et forma, & magnis animi virtutibus ingens
Anteeat longè veteres heroidas, & se
Illustrem fama seclis Catharina futuris
Constituet regum soboles, pariturâque reges
Illa quidem, qui Gallorum moderentur habenas,

Atque ipsis Scythiæ populis dent iura vocati.
Namque erit, exoriens vndam quà Vistula fundit,
Et magno circùm campos rigat amne iacentes,
Cum rege amisso regem sibi Sarmata prudens
Henricum asciscet, cuius se subdere dextræ
Audeat, & fidei viduum committere regnum;
Henricum ætatis decus immortale futuræ,
Virtutum specimen, magnorum & germen auorum
Nobile: cui nullus posthac pietate, vel armis
Par eat. Hoc, diros si qua est gens impia ritus
Quæ colat, ipsa volens, mitte hanc de pectore curam,
Auspice deponet: séque incusabit, & vnà
Sponte sua cultus dediscet læta profanos:
Certatímque pias cumulabit honoribus aras.
At parte ex alia iustis premet Austrius armis
Seductos Belgas, magnisque erroribus actos
In fraudem, bello deserta in castra reuerti
Coget, & in primis Romanum agnoscere Patrem:
Romanum Patrem, sibi quem selegit, & vnum
Ipse suas tum cogere oues, tum pascere iussit
Aeternæ lucis Christus Deus vnicus auctor.
Atque hæc sedato mater dum singula vultu
Narrat: humi mentem, atq; oculos defixerat heros
Eustachides; terrámque tacens spectabat, & vndam,
Et, quæcumque iacent extra faucésque, fretúmq;
Herculeum, angusto quod Calpem interluit æstu,
Atque Abylam, ignoti tunc ostia clausa profundi,
Nunc autem Hesperijs adaperta, & peruia nautis;

Insulæ

Insulæ Oceano in magno; cum talia fatur.
Quæ nam autem, nostris quæ se discludit ab oris
Tam longè pars illa orbis depressa latentis,
O genitrix, homines ne tenent, an secla ferarum
Ingentes campos? pelagóque infracta sonanti
Littora? & excelso surgentes vertice montes?
Dicam equidem, terrásq; tibi multo ante recludam,
Quàm quisquam audaci sulcet vada cæca carina,
Suscipiens sic Ida refert. Quæ, nate, tueris
Finibus à nostris longè distantia, nullus
Ausus adhuc adijt; nec quisquam aggressus adibit,
Antè quatercentum Solisque, annique recessus,
Tempore quo primùm Ligurum decus, & noua secli
Gloria peruadet numquam tentata Columbus
Aequora, & Oceani sistet trans littora classem.
Admiránsque illic Orbis noua regna reposti,
Regna insperata, & priscis incognita nautis,
Imperio, & fidei regis committet Iberi.
Mox extra Cancrique vias, & sidera Libræ
Prætergressi alij, priscorum errata parentum
Mirantes, mediam non vllo feruere ab æstu
Spectabunt zonam, niuibúsque rigentia densis
Ardua terrarum, & gelidis loca tecta pruinis.
Diuitis hic auri venas vberrima tellus
Innumeras habet; & fuluæ prope flumina arenæ
Aurea secernunt paßim ramenta legentes,
Qua mercede sagax confestim accurret Iberus
Vndique, & ingentes auri cumulabit aceruos,

Exple-

Explebitque opibus partis patriámque, domúmque;
Tum quoscumque alios aditu prohibebit ad oras
Inuentas; vníque volet sibi sumere totam
Nobilis incæpti laudem, fructúmque laboris.
Hetrusci tamen herois de nomine terram
Illam olim Ammericen ætas ventura vocabit:
Hetrusci herois, cuius celeberrima virtus
Littoráq;, & montes, vallésq;, amnésq; recludet,
Et loca præteritis numquam non inuia seclis;
Ergo Italis inuenti orbis noua gloria semper,
Semper honos, semper decus immortale manebit.
Imperio sed enim Hispanus potietur, & auro.
Paucæ illic vrbes: pauci magalia cingunt
Mœnibus, & valido claudunt munimine valli
Tecta, domósque suas: quas multi in vallibus imis
Occultant, alij densa super arbore ponunt
Fluminis in ripa, stagníve palustribus vndis,
Difficiles aditu caueas. ceu sæpe videmus
Conseptos aquilæ nidos spinisque, rubisque,
Annosæ ex alto pendere cacumine fagi,
Aut tiliæ, aut quercus, aut aeriæ cyparissi;
Quos non vpilio, quos non frondator, & audax
Pastor adire queat. Nudi sub Sole calenti
Incedunt, nudi cùm fundit Aquarius imbres.
Pars Lunam, Solémque colunt: pars nescia cultus
Sinceri, Aligerùm precibus simulacra fatigant
Nigrantum, votisque malos, & sanguine placant
Dæmonas, infames quem victima fudit ad aras,

Siue

Siue puer, seu sit florenti corpore virgo.
Quin etiam, quod nate magis mirabere, cæsis
Corporibus miserorum auidi vescuntur, & illos,
Quos ipsi patres genuere, in viscera condunt.
Tum satus Eustachio diræ facta impia gentis
Auersatus, & arrectis horrore capillis:
Hæc scelera ò mater, cur nam Deus (inquit) inulta
Ire sinit? cur non animos in tartara versos
Ad cælum reuocat, numerúmq; integrat, & explet
Illorum, quibus ipse volens sua regna parauit?
O nate, arcanos sensus, secretáque mitte
Consilia explorare Dei, quæ pectore versat
Ipse suo, nec præterea cuiquam abdita pandit;
Ida ait; & tamen his aliquando imponere finem
Flagitijs magnus Superùm rectórque, patérque
Paulatim incipiet; cum primùm Tarraco classem
Instructam ignotis committere fluctibus ausus
Sub sua palantes populos iuga miserit: & cum
Tantarum imperium terrarum, orbisque Philippus,
Qua Boreæ de parte abiens excurrit in Austrum,
Inque Eurum, Zephyrúmque patet, reget Austrius omne.
Hic populis leges, & iura perrennia condet:
Mœnia certa dabit; mores auertet agrestes;
Infandósque abiget ritus; atque impia gentis
Sacra cruentatis longè depellet ab aris.
Immo etiam, ne fortè putes, ò nate, verendum,
Ne, qui Asiam, Libyámque colunt, quos Libra supernè
Despicit, æquatis atque aera temperat horis,

M Deserti

Deserti auxilijs olim spolientur; eadem
Tempestate inter proceres nascetur Hetruscos
Altorum soboles longè clarissima regum
Fernandus Medices, rerum spes fida labantum,
Ante annos animóque ingens, curáque virili,
Flos iuuenum, atque Italæ gentis lux, & noua secli
Gloria, nec dubius priscæ virtutis alumnus;
Quique adeò nondum signans lanugine malas,
Tempora conspicuus Tyrio circumdabit ostro,
Patribus, & Romæ iam tum decus additus vrbi.
Ille fidem populos Latij Pastoris, opémque
Suppliciter sibi poscentes Phariósque, Syrósque
Excipiet gremio, & rebus succurret egenis.
Idémque ad gentes, quarum delapsus ab oris
Inter nigra virùm, percoctáque secla calore
Nilus Pellæum vasto petit amne Canopum,
Mittet, & Aethiopes vltricibus instruet armis
In Turcas; cultúsque pios, ritúsque Sacrorum,
Quorum illi obliti nunc se abiunxere fideli
Christicolùm cœtu, reuocare in pectora tendet.
Magnum opus: &, flauens dum se Tyberinus in vndas
Inferet æquoreas, cunctis memorabile terris.
Sed, quod lætitias nostris ferat omnibus omnes,
Parturiet tandem seclis abeuntibus ætas
Certa virum, qui longinquis in finibus ortus
Cantabriæ, Hesperias vdi propè littoris oras,
Ipse sibi instituet socios, & ad alta vocabit
Munia; quos iussu diuino impulsus, & aura

Cœlesti

Cælesti afflatus de nomine dicet IESV.
Exiguos numero socios, & cælibe vita,
Sed pietate pares olliś quos prisca tulerunt
Secla viros. cœptum Altitonans illustre fouebit:
Innumeróśque addet primorum exempla secutos.
Illi autem scelerum puri, mentémque repleti
Doctrina, nullas metuent accedere ad oras,
Quamuis immanes, quamuis pia facta perosas:
Ostendéntque viam miseris, quam protinus vnam
Insistant, Christúmque ducem sectentur, améntque.
Felices animæ, fratrum generosa piorum
Pectora, venturi clarissima lumina secli;
Non auri vos sacra fames, laudúmque cupido
Coget ad externas gressum contendere gentes,
Et certam certos vitæ præponere mortem:
Sed cælestis amor patriæ, sed maximus harum
Contemptus rerum, per tela inimica, per ignes,
Pérque hyemes atras, & vulnera ducet inermes.
Nam neque supplicijs infida Britannia diris
Exterrens cœpto pauidos arcebit ab alto:
Nec, quæ letiferas adigens in corda sagittas
Ammerice cæsis miserorum vescitur extis.
Immo etiam assueti diras apponere mensas
Channibales, monitis vestris meliora sequentur
Exutáque animi penitus feritate, nefandæ
Desuescent vitæ læti, sanctósque doceri
Christicolùm exposcent (dictu mirabile) ritus
Quin & magnorum genitrix fœcunda elephantum

Taprobane, Oceano circùm vallata profundo:
Infamésque aras Iapo euersura Deorum;
Insula præruptis montosa, atque aspera dorsis,
Et celebris passim populis ad prælia natis,
Vnius imperio parens nunc insula, sed mox
Dissidijs inter proceres diuulsa potentes,
Tum primùm supplex Christo delubra, Crucémque,
Sincerósque animo ritus amplexa dicabit.
Ipsa quoque hospitibus tellus malè tuta Sinarum,
Difficilisque aditu, nullisq; obnoxia sacris,
Sed tamen in patrios reges propensa, nec æqui
Ante alias omnes cultrix minus illa, boniqúe,
Audiet orantes, & vitæ æterna beatæ,
Quæ sternunt iter ad cælum præcepta docentes.
Laudibus hæc eadem Ausoniæ licet æmula certet
Serica, & ambiguo positæ sub Sole Molucæ,
Excipient lætæ vobis suadentibus, & se
Aeterno addicent Superúmq;, hominúmq; parenti.
His dictis, Ida ex oculis, mediòque repente
Conspectu tenues abiens discessit in auras.
Ille autem, quò deinde fugis? quem deseris? aut quis,
Alma parens, subito te nunc mihi subtrahit? inquit.
Et simul Eoo tenebris ex orbe fugatis
Perspicit Auroram montes aperire retectos:
Excitus clangore tubæ de more iubentis
Consuetis precibus æternam exposcere pacem,
Atque animum rebus solertem adiungere agendis.
Ergo vlacer surgit stratis, suppléxque salutat

Ad terram pressis genibus te maxima Virgo,
Virgo hominum spes fida, Dei certissima mater.
Mox matutinis perfectis ordine sacris,
Accepit sceptrum, & summo præfectus honori est.
Inde domum rediens magna comitante caterua
Intra tecta vocat proceres: epulisque paratis
Extructam ad mensam cunctos accumbere iussit.
Atque vbi iam compressa fames, turbæque remotæ,
Surgit: & ingressus thalami secreta reposti
Sedibus excitos secum iubet ire relictis.
Quos vbi conuenisse videt, mediúsque resedit,
Attollens oculos, Quamquam præsciscere cuique
Promptum, ait, est animo Graiorum artésque, dolósque
Magna tamen confecta, duces, res, sponte quòd ille,
Imperij cui Romani pars altera paret,
Contiguis Arabes attingens finibus hostes,
Postulet adiungi cœptis, atque offerat vltro
Vires ipse suas equitum, peditúmque cateruas,
Armáque, & ingentem puri vim prodigus auri.
Quòd si promissis maneat, quæ plurima nobis
Ipse dedit, nec facta fidem mutata nouabunt,
Tum verò, vt fas est, quæ nos communibus armis
Cepérimus, communi etiam ditione regamus.
Atque hæc pacta duces, si vos quoque firma iubetis
Esse, reor cum Threicio facienda tyranno,
Et certa seruanda fide. Sic ille nefandi,
Et fandi memor, ex altis qui despicit astris
Cuncta, exercituum Deus adsit testis, & æqua

Peccantem afficiat pœna certissimus vltor.
Aßensere duces: procerúmque ex ordine lecti,
Talia qui Thracum regi mandata referrent,
Discedunt properè è castris, vrbémque petentes
Vnà iter arripiunt Comneni ad limina regis.
Ille autem, Oceanum cum primùm Aurora relinquens
Terrarum tenebras cælo discussit aperto,
Excierat fessos stratis è mollibus artus
Spémque, metúmq; inter dubius, seu fœdera credat
Juncturos secum Gallos, seu lege solutos
Omnia rapturos, memores virtutis auitæ,
Et scelera exosos iamdudum, artésq; Pelasgas.
Sed tamen assuetus varias componere fraudes,
Haud fore desperat, tacitus quod mente volutat.
Has inter curas versanti, & multa mouenti
Grata superueniunt procerum responsa ferentes
Legati: quos ille intra tecta alta vocari
Imperat, & solio sese componit eburno
Sublimem, atque ostro insignem, sceptróq; superbum:
Cui crinem intonsum gemmisq;, auróq; tiara
Circumiens rutilo poterat splendore tenebras
Vincere, & obscuram longè depellere noctem,
Spectantúmq; oculos radijs præstringere acutis.
Illi autem ingressi Regem de more salutant.
Mox forti Rholone satus sic farier infit.
Si nos Hesperijs patriæ discedere ab oris
Suasissent auriq; fames, regniq; cupido,
Externásque manu populorum inuadere sedes,

Fœdere

Fœdere Rex tecum nullo nunc pacta ligarent:
Sed potius bellum, quod te incœpisse negabunt
Nulli vnquam, nostrósque armis petijsse priorem,
Non fraude, aut furto (quando hunc fortissima morem
Gallorum pubes iamdudum & damnat, & odit)
Sed virtute palàm, sed aperto Marte gerendum
Susciperet, pulsisque sua de sede colonis,
Ipsa vltro veniens placitis consideret aruis;
Præsidióque arces firmò vinciret, & vrbes.
Et quoniam, quod & ipse vides, ad mœnia vestræ
Millia iam sexcenta virùm conuenimus vrbis
Bellantum, quos vna omnes, eadémq; voluntas
Impulit in ferrum, certósque armauit in hostes,
Verteret in prædam quicquid rapuiße liberet.
Nunc autem nec nos Graiùm populare penates
Venimus, aut Thraces patrijs euertere regnis:
Verùm vt præcipites Turcásque, Arabésque fugemus
Ex Asia, Solymæque pias statuamus vt aras,
Abiectóque metu tandem loca sancta colantur
Christicolùm populis. cuius si te quoque laudis
Tangit amor, tantique cupis tibi sumere belli
Partem aliquam, cœptis socium te adiungere nostris
Et placet; & iam nunc vna hac in fœdera lege
Accipimus læti venientem; atque omnia posthac
Oppida, quæ nos cumque Deus communibus armis
Annuerit capere, & nostra ditione teneri,
Hæc fore spondemus nobis communia tecum:
Inque hæc verba sacros Goffredi nomine libros,

Solemnésque preces, consuetáque sacra peregit.
Idem etiam populum pura circumtulit vnda,
Spargens rore leui. mox & felicibus omnes
Prosequitur verbis, & prospera cuique precatur.

PETRI ANGELII
BARGAEI

SYRIADOS
LIBER VII.

EXPECTATA dies aderat, cum buccina cantu
Clara dedit signum: primúmque incedere cœpit
Agmen, & armorum rutilo fulgore micantum
Repleuit montes. veluti cum vertice summo
Aut Apennini, aut nubiferæ Pyrenes

Sylua

Sylua ingens fagis, annosa & consita pinu,
Abietibúsque frequens, ramis arentibus ignem
Comprendit. flammæ radiantia sidera lambunt,
Aeriásque inter nubes splendore coruscant.
Ibant, & gressum peditésque, equitésque mouebant
Compositi, & toto spirantes pectore Martem.
At satus Eustachio thoracem indutus ahenum,
Dextra autem ingentem præfixa cuspide contum
Præportans, clypei pondus, molémque sinistra,
Et galea insigni tectus frontémque, capútque,
Ante alios omnes heros se primus agebat.
Sic etiam armento longinqua ad pascua eunti
Incomitata ferox præfert vestigia taurus,
Viribus, atque animis in pugnam, inque arma paratis
Hic tu, quæ vatem cæli super ardua tollis
Sidera, & ætherijs Diuûm regionibus infers:
Vnde mare, & terras, vnde aera cernat apertum,
Aura amor æterni pariter Natique, Patrisque
Sancta veni, & vastum si te spirante profundum
Ingressus, potui dubios euadere fluctus
Incolumis, qui restat adhuc, age, dirige cursum
Ipsa per obscuras ignoti marmoris vndas:
Inque animi illabens penitus, precor, influe mentem.
Ac veterum extinctæ procerum si tantus haberi
Debet honos famæ, si gratia tanta referri,
Discute præteriti confusa obliuia secli.
Quæque acies ferro accinctæ regésque, ducésque
Excitos patria fuerint in bella secutæ,

Intule-

Intulerintque Arabum populis regnantibus arma,
Enumerare velis. etenim potes, omnia quando
Ante oculos exposta tuos versantur, & ora.
Nos rerum tenebris, & nocte inoluimur atra.
Daunius ingreditur primus: qui sanguine cretus
Cimbrorum regum, dominatur Iapygis oræ:
Numinis æterni quo nec reuerentior alter,
Nec virtute animi, sumptis nec fortior armis.
Secum agit Ausoniæ lectissima robora pubis.
Filius huic fratris Siculæ telluris alumnus
It comes: & patruo paribus se suscitat ausis
Tancredus: forma insignis, primóque iuuentæ
Flore nitens, sæuos assuetus comminus apros
Sternere, & hybernas glacies calcare, niuésque,
Atque æstus perferre graues dum Syrius ardet.
Millia Trinacrijs peditum tria ducit ab oris:
Quingentósque equites; dignus, quem gloria tanti
Exciret cœpti, tacitisque horatibus vltro
Ad decora & laudes traheret Boemundus auitas.
Illius imperio parent quicunque Pelori
Claustra colunt, rupésq; altas, atque arua Pachyni:
Qui fontes Arethusa tuos, qui flaua Symethi
Flumina præciptis nec non Alabúmque Gelámque
Ambiguósque amnes; medio quorum Himera cursu
Trinacriam dirimit: quique asperà saxa rotantem
Pantagiam potant; Aetnæque e rupe fluentem
Acin, adhuc diri memorem Cyclopis amorum.
Quos vnà in medium ductor coniecerat agmen.

Nanque

Nanque aciem primam primi tenuere Quirites
Bisinille, Vrbani qui tum pia iussa secuti
Pontificis, sacræ dederant ex ordine nomen
Militiæ; magnósque animos in bella gerebant;
Digna loci splendore sui, patribúsque iuuentus
Romulidis: quibus insignis pietate Sabellus
Imperat, in Turcas animis accensus amaris:
Quintilius sanguis, veteris deductus ab alto
Sanguine Auentini: qui quondam in bella Sabellos
Armauit; Latijs Troas quo pelleret oris.
Eque suo moriens colli noménque, decúsque
Addidit, vnde orti generosa à stirpe nepotes
Terrarum implerunt factis ingentibus orbem.
Ille igitur tantæ spectandus origine gentis
It grauis incessu; vultúque, oculisque seuerus
Omnibus ingentem puguandi inspirat amorem.
Post hos Etruscis pubes è montibus orta,
Vulsinum quæcunq; lacum, lucúmque virentem
Ilicibus, farnisque colit, terrámque Faliscam
Læta habet, & collis summa de rupe fluentes
Haurit aquas Aquulæ; linóque & cannabe pingues
Vestit agros: spectátque procul vicina sonoro
Arua Glani: quique & Cimini de nomine dicti:
Gens dura in primis, bellóque assueta gerendo.
Cui se ductorem Tyrrhenæ stirpis Halesus
Addiderat, forma & iuuenili ætate superbus.
Progenies Regum, magnorum & germen auorum:
Legiferos qui quondam inter rexere Faliscos

Imperium,

Imperium, populos omni ditione tenentes.
Ergo auidus factis illustrem extendere famam,
Vt primum tanti rumor percrebuit ingens
Incæpti, paßimque Italis vulgatus in oris,
Contulit extemplo Dauni se in castra, volentem
Scilicet ex tanto pacis, belliq; magistro
Discere virtutem iam tum, verúmque laborem.
A quo mox certo generis ceu principe seri
Partim aucta partim mutata voce nepotes
Indigenæ factum gentis de more sequuti
Deduxere tuum domus ò Farnesia nomen,
Et natos peperere tibi vel pace, vel armis
Insignes, triplici qui tempora sacra corona
Cinxerunt, populósque manu domuere rebelles.
Quattuor antiquis excita è sedibus illum
Millia sectantur peditum; qui pectora parma
Tuta tegunt: galeáque comas & tempora cingunt.
Pila manus, rutilum sustentat baltheus ensem.
At tercentum equites, antiquæ robur Agyllæ,
Quos ad bellorum dubios sibi legerat vsus,
Ostentant claræ spectata insignia gentis.
Intextos sagulis ferrugineos Hyacynthos.
Tum genitus veteri priscorum à stirpe parentum,
Incedens, humeris longe supereminet omnes
Cilnius, Aonijs proles gratißima Nymphis,
Areti decus, & vatum spes fida bonorum.
Fert niueum clypeo Cycnum, leue corpus ad æthram
Tollentem, & cantu cœli conuexa replentem:

Stemma

Stemma domus notum, & maiorum insigne suorum
Protinus illum omnis legio comitatur euntem.
Quiq; pigri Glanis arua colunt; quiq; ardua Clusi
Mænia habent; & qui summo te vertice montis
Nascentem, vallésque imas, & saxa secantem
Arne bibunt: gemini mox claro à sanguine fratres,
Griccia progenies, hilari cum corde sequuntur.
Ac bismille viros, belli insuperabile robur,
Prorsus agunt: quos Sena agri ditissima pascit.
Sena Camænarum cultrix, & Martis alumna.
At, quæ nascenti vicina Biturgia Tybri est,
Agmen in arma vocat cinctum fulgentibus armis.
Inde Typhernates, cultu gens aspera, cuius
Ipsa suis fœcunda bonis, sed inhospita tellus,
Educat audaces lachrymosa in prælia dextras.
Vna ingens Perusina cohors; Vmbrique feroces:
Hispelli manus omnis: agri Meuania diues.
Qui montes Thrasymene tuos; qui littora circum
Curua colunt, læti iussis parere Vitelli.
Ipse minax oculis, & toto corpore firmus
Ingreditur: vultuque animos testatus acerbos
Spirat atrox Martem; & sociorum mentibus addit
Ardorem pugnæ; & partæ per vulnera laudis.
Dúmque adeo incedit ferro contectus, iniquum
Armorum haud aliter valido fert corpore pondus,
Quàm iuuenis primæ florenti ætate iuuentæ
Ferre solet Serum contextam è stamine vestem.
Hinc montes quicúnque colunt, campósque iacentes,

Vertice

Vortice quos humili Sapis, quos flumine Isaurus
Humectat, socia arma ferunt. hinc fida Camertum
Insequitur pubes; iunctisque exultat in armis.
Præsentésque animis adsunt Vsente relicto.
Adsunt desertis ripisque, vndisque Metauri:
Atque oblita Aesim se tanta ad cœpta iuuentus
Læta parat; mittitque suos ad nobile bellum
Inginium medijs è montibus Apennini.
Quos omnes idem ardor agit; quibus omnibus vnus
Vmbrorum Vbaldus proles clarissima Regum
Imperat. illi autem parent felicibus acti
Auspicijs; quando nemo prudentius est, qui
Rem gerat, aut armis fundat qui certius hostem.
Ille quidem ante alios claris maioribus ortus,
Sed prolem insignem multa virtute daturus:
Olim, quæ Senæ late dominetur in oris:
Barbaricisque Italos vindex defendat ab armis,
Et Venetum in tuto statuat res. ilicet olli
Pone subit propior Persæi nominis hostis
Ventidius, cuius discissum bellica montem
Ostentat parma, atque hosti fatale minatur
Exitium. credas Susas, Gangémque, Tigrimque
Et victum Euphratem Latias horrere secures.
Imperiis regit ipse suis, quoscunque Truenti
Alluit vnda rapax, bello genus acre virorum.
Quos & Matrinus, quos & celer amne Vomanus
Ipse suo humectans steriles defertur in agros.
Hos non inuitis animisque, armisque sequuntur,

Taprobane, Oceano circùm vallata profundo:
Infamésque aras Iapo euersura Deorum;
Insula præruptis montosa, atque aspera dorsis,
Et celebris passim populis ad prælia natis,
Vnius imperio parens nunc insula, sed mox
Dissidijs inter proceres diuulsa potentes,
Tum primùm supplex Christo delubra, Crucémque,
Sincerósque animo ritus amplexa dicabit.
Ipsa quoque hospitibus tellus malè tuta Sinarum,
Difficilisque aditu, nullisq; obnoxia sacris,
Sed tamen in patrios reges propensa, nec æqui
Ante alias omnes cultrix minus illa, boniq́ue,
Audiet orantes, & vitæ æterna beatæ,
Quæ sternunt iter ad cælum præcepta docentes.
Laudibus hæc eadem Ausoniæ licet æmula certet
Serica, & ambiguo positæ sub Sole Molucæ,
Excipient lætæ vobis suadentibus, & se
Aeterno addicent Superúmq;, hominúmq; parenti.
His dictis, Ida ex oculis, medióque repente
Conspectu tenues abiens discessit in auras.
Ille autem, quò deinde fugis? quem deseris? aut quis,
Alma parens, subito te nunc mihi subtrahit? inquit.
Et simul Eoo tenebris ex orbe fugatis
Perspicit Auroram montes aperire retectos:
Excitus clangore tubæ de more iubentis
Consuetis precibus æternam exposcere pacem,
Atque animum rebus solertem adiungere agendis.
Ergo alacer surgit stratis, suppléxque salutat

Ad

Ad terram pressis genibus te maxima Virgo,
Virgo hominum spes fida, Dei certissima mater.
Mox matutinis perfectis ordine sacris,
Accepit sceptrum, & summo præfectus honori est.
Inde domum rediens magna comitante caterua
Intra tecta vocat proceres: epulisque paratis
Extructam ad mensam cunctos accumbere iussit.
Atque vbi iam compressa fames, turbæque remotæ,
Surgit: & ingressus thalami secreta reposti
Sedibus excitos secum iubet ire relictis.
Quos vbi conuenisse videt, mediúsque resedit,
Attollens oculos, Quamquam præsciscere cuique
Promptum, ait, est animo Graiorum artésque, dolósque
Magna tamen confecta, duces, res, sponte quòd ille,
Imperij cui Romani pars altera paret,
Contiguis Arabes attingens finibus hostes,
Postulet adiungi cœptis, atque offerat vltro
Vires ipse suas equitum, peditúmque cateruas,
Armáque, & ingentem puri vim prodigus auri.
Quòd si promissis maneat, quæ plurima nobis
Ipse dedit, nec facta fidem mutata nouabunt,
Tum verò, vt fas est, quæ nos communibus armis
Ceperimus, communi etiam ditione regamus.
Atque hæc pacta duces, si vos quoque firma iubetis
Esse, reor cum Threicio facienda tyranno,
Et certa seruanda fide. Sic ille nefandi,
Et fandi memor, ex altis qui despicit astris
Cuncta, exercituum Deus adsit testis, & æqua

Peccantem afficiat pœna certissimus vltor.
Aßensere duces: procerúmque ex ordine lecti,
Talia qui Thracum regi mandata referrent,
Discedunt properè è castris, vrbémque petentes
Vnà iter arripiunt Comneni ad limina regis.
Ille autem, Oceanum cum primùm Aurora relinquens
Terrarum tenebras cælo discussit aperto,
Excierat fessos stratis è mollibus artus
Spémque, metúmq; inter dubius, seu fœdera credat
Iuncturos secum Gallos, seu lege solutos
Omnia rapturos, memores virtutis auitæ,
Et scelera exosos iamdudum, artésq; Pelasgas.
Sed tamen assuetus varias componere fraudes,
Haud fore desperat, tacitus quod mente volutat.
Has inter curas versanti, & multa mouenti
Grata superueniunt procerum responsa ferentes
Legati: quos ille intra tecta alta vocari
Imperat, & solio sese componit eburno
Sublimem, atque ostro insignem, sceptróq; superbum:
Cui crinem intonsum gemmisq;, auróq; tiara
Circumiens rutilo poterat splendore tenebras
Vincere, & obscuram longè depellere noctem,
Spectantúmq; oculos radijs præstringere acutis.
Illi autem ingressi Regem de more salutant.
Mox forti Rholone satus sic farier infit.
Si nos Hesperijs patriæ discedere ab oris
Suasissent auriq; fames, regniq; cupido,
Externásque manu populorum inuadere sedes,

Fœdere

Fœdere Rex tecum nullo nunc pacta ligarent:
Sed potius bellum, quod te incœpisse negabunt
Nulli vmquam, nostrósque armis petijsse priorem,
Non fraude, aut furto (quando hunc fortissima morem
Gallorum pubes iamdudum & damnat, & odit)
Sed virtute palàm, sed aperto Marte gerendum
Susciperet, pulsisque sua de sede colonis,
Ipsâ vltro veniens placitis consideret aruis;
Præsidióque arces firmò vinciret, & vrbes.
Et quoniam, quod & ipse vides, ad mœnia vestra
Millia iam sexcenta virùm conuenimus vrbis
Bellantum, quos vna omnes, eadémq; voluntas
Impulit in ferrum, certósque armauit in hostes,
Verteret in prædam quicquid rapuiße liberet.
Nunc autem nec nos Graiùm populare penates
Venimus, aut Thraces patrijs euertere regnis:
Verùm vt præcipites Turcásque, Arabésque fugemus
Ex Asia, Solymæque pias statuamus vt aras,
Abiectóque metu tandem loca sancta colantur
Christicolùm populis. cuius si te quoque laudis
Tangit amor, tantíque cupis tibi sumere belli
Partem aliquam, cœptis socium te adiungere nostris
Et placet; & iam nunc vna hac in fœdera lege
Accipimus læti venientem; atque omnia posthac
Oppida, quæ nos cumque Deus communibus armis
Annuerit capere, & nostra ditione teneri,
Hæc fore spondemus nobis communia tecum:
Inque hæc verba sacros Goffredi nomine libros,

Aeternæ libros dantes præcepta salutis,
Et Christi simul acta Dei miranda docentes,
Tangimus; & testes Superósque, Deúmque vocamus.
Dixerat hæc Rholone satus: cum Graius Alexis
Accipio, amplectórque libens, fortissime ductor,
Quæ dantur, faustúmque precor sit vtrisque, volentes
Quod statuistis, ait. Nos quæ promisimus vltro,
Præsto aderunt, naues cum primùm ascendere, & oras
Linquere Threicias, Bebrycúmque inuadere fines
Cœperitis; iámque innumeras astare carinas
Cernitis, & pandas prætexere littora puppes,
Vnde iter in fines, cursúsque breuissimus vndis
Mygdonios, cæcæ surgunt vbi mœnia gentis.
Vos duce Thatinno, cui nos confidere tuti
Sueuimus, & regni vel totam imponere molem,
Graiorum delecta manus comitabitur vsque.
Ille vnus belli expertus, gnarúsque locorum
Incolumes rapidum ad Syriæ vos sistet Orontem.
His dictis; duci iubet è præsepibus altis
Tercentum alipedes ostróque, auróque nitentes.
Goffredo ex omni numero lectissima centum
Corpora: sed reliquos reliquis quos mittat habendos
Militiæ tantæ ductoribus. insuper addit
Et sagula, & Tyrio fulgentes murice lænas,
Nec non & Chlamydes vario subtegmine pictas;
Quæque imbres, rapidósque arcent tentoria Soles.
Ergo ita compositis infida in fœdera rebus
Legati redeunt hilares in castra; diémque

Partim

Partim epulis celebrant lætis; partim ardua belli
Commemorant. iuuat exhaustos meminisse labores,
Et spectare procul terras, collésque feraces,
Quos ingressi Arabum poterunt inuadere fines.
Liquerat interea placidos Sol aureus amnes
Oceani, & largo vestibat lumine montes:
Cum Gallos, Italósque vnà caua buccina somno
Excijt. illi autem littus petiere; breuique
Transmissi angustas fauces, atque ostia Ponti,
Bithyni incolumes tenuerunt littoris oram.
Tum pius Eustachides (proceres namque ante vocari
Iusserat ad sese) postquàm peruenimus, inquit,
Terrarum in partem, quibus hostes proxima Turcæ
Regna tenent; vallésque imas, syluásque putandum est
Insedisse altas; agmen procedere sensim
Iam decet ad subitos casus, pugnámque paratum.
Quo circa Auroram cum primùm nonus aperto
Rettulerit cælo Titan, sese instruat armis
Quisque suis, instétque viam sua signa secutus.
Interea cuncti Superúmque, hominúmque parenti
Christicolùm de more animum lustréntque, probéntque
Rite sacerdoti culpas, & crimina fassi.
Hæc vbi dicta dedit, passim per castra vagatur
Fama volans, certisque refert ieiunia iussis
Indixisse patres venturæ proxima lucis.
Quæ postquàm Addemarus perfecta ex ordine vidit
Omnia, & Eoo surgens octauus ab orbe
Illuxit Phœbus, sublimem operatus ad aram

Solemnésque

Solemnésque preces, consuetáque sacra peregit.
Idem etiam populum pura circumtulit vnda,
Spargens rore leui. mox & felicibus omnes
Prosequitur verbis, & prospera cuique precatur.

PETRI ANGELII BARGAEI

SYRIADOS LIBER VII.

E*XPECTATA dies aderat, cum buccina cantu*
Clara dedit signum: primúmque incedere cœpit
Agmen, & armorum rutilo fulgore micantum
Repleuit montes. veluti cum vertice summo
Aut Apennini, aut nubiferæ Pyrenes

Sylua ingens fagis, annosa & consita pinu,
Abietibúsque frequens, ramis arentibus ignem
Comprendit. flammæ radiantia sidera lambunt,
Aeriásque inter nubes splendore coruscant.
Ibant, & gressum peditésque, equitésque mouebant
Compositi, & toto spirantes pectore Martem.
At satus Eustachio thoracem indutus ahenum,
Dextra autem ingentem præfixa cuspide contum
Praportans, clypei pondus, molémque sinistra,
Et galea insigni tectus frontémque, capútque,
Ante alios omnes heros se primus agebat.
Sic etiam armento longinqua ad pascua eunti
Incomitata ferox præfert vestigia taurus,
Viribus, atque animis in pugnam, inque arma paratis
Hic tu, quæ vatem cœli super ardua tollis
Sidera, & ætherijs Diuûm regionibus infers:
Unde mare, & terras, vnde aera cernat apertum,
Aura amor æterni pariter Natique, Patrisque
Sancta veni, & vastum si te spirante profundum
Ingressus, potui dubios euadere fluctus
Incolumis, qui restat adhuc, age, dirige cursum
Ipsa per obscuras ignoti marmoris vndas:
Inque animi illabens penitus, precor, influe mentem.
Ac veterum extinctæ procerum si tantus haberi
Debet honos famæ, si gratia tanta referri,
Discute præteriti confusa obliuia secli.
Quæque acies ferro accinctæ regésque, ducésque
Excitos patria fuerint in bella secutæ,

Intule-

Intulerintque Arabum populis regnantibus arma,
Enumerare velis. etenim potes, omnia quando
Ante oculos exposta tuos versantur, & ora.
Nos rerum tenebris, & nocte inoluimur atra.
Daunius ingreditur primus: qui sanguine cretus
Cimbrorum regum, dominatur Iapygis oræ:
Numinis æterni quo nec reuerentior alter,
Nec virtute animi, sumptis nec fortior armis.
Secum agit Ausoniæ lectissima robora pubis.
Filius huic fratris Siculæ telluris alumnus
It comes: & patruo paribus se suscitat ausis
Tancredus: forma insignis, primóque iuuentæ
Flore nitens, sæuos assuetus comminus apros
Sternere, & hybernas glacies calcare, niuésque,
Atque æstus perferre graues dum Syrius ardet.
Millia Trinacrijs peditum tria ducit ab oris:
Quingentósque equites; dignus, quem gloria tanti
Exciret cæpti, tacitisque horatibus vltro
Ad decora & laudes traheret Boemundus auitas.
Illius imperio parent quicunque Pelori
Claustra colunt, rupésq; altas, atque arua Pachyni:
Qui fontes Arethusa tuos, qui flaua Symethi
Flumina præciptis nec non Alabúmque Gelámque
Ambiguósque amnes; medio quorum Himera cursu
Trinacriam dirimit: quique asperà saxa rotantem
Pantagiam potant; Aetnæque e rupe fluentem
Acin, adhuc diri memorem Cyclopis amorum.
Quos vnà in medium ductor coniecerat agmen.

Nanque

Nanque aciem primam primi tenuere Quirites
Bis mille, Vrbani qui tum pia iussa secuti
Pontificis, sacræ dederant ex ordine nomen
Militiæ; magnósque animos in bella gerebant;
Digna loci splendore sui, patribúsque iuuentus
Romulidis: quibus insignis pietate Sabellus
Imperat, in Turcas animis accensus amaris:
Quintilius sanguis, veteris deductus ab alto
Sanguine Auentini: qui quondam in bella Sabellos
Armauit; Latijs Troas quo pelleret oris.
Eque suo moriens colli noménque, decúsque
Addidit, vnde orti generosa à stirpe nepotes
Terrarum implerunt factis ingentibus orbem.
Ille igitur tantæ spectandus origine gentis
It grauis incessu; vultúque, oculisque seuerus
Omnibus ingentem pugnandi inspirat amorem.
Post hos Etruscis pubes è montibus orta,
Vulsinum quæcunq; lacum, lucúmque virentem
Ilicibus, farnisque colit, terrámque Faliscam
Læta habet, & collis summa de rupe fluentes
Haurit aquas Aquulæ; linóque & cannabe pingues
Vestit agros: spectátque procul vicina sonoro
Arua Glani: quique & Cimini de nomine dicti:
Gens dura in primis, bellóque assueta gerendo.
Cui se ductorem Tyrrhenæ stirpis Halesus
Addiderat, forma & iuuenili ætate superbus.
Progenies Regum, magnorum & germen auorum:
Legiferos qui quondam inter rexere Faliscos

Imperium,

Imperium, populos omni ditione tenentes.
Ergo auidus factis illustrem extendere famam,
Vt primum tanti rumor percrebuit ingens
Incœpti, passimque Italis vulgatus in oris,
Contulit extemplo Dauni se in castra, volentem
Scilicet ex tanto pacis, bellique magistro
Discere virtutem iam tum, verúmque laborem.
A quo mox certo generis ceu principe seri
Partim aucta partim mutata voce nepotes
Indigenæ factum gentis de more sequuti
Deduxere tuum domus ò Farnesia nomen,
Et natos peperere tibi vel pace, vel armis
Insignes, triplici qui tempora sacra corona
Cinxerunt, populósque manu domuere rebelles.
Quattuor antiquis excita è sedibus illum
Millia sectantur peditum; qui pectora parma
Tuta tegunt: galeáque comas & tempora cingunt.
Pila manus, rutilum sustentat baltheus ensem.
At tercentum equites, antiquæ robur Agyllæ,
Quos ad bellorum dubios sibi legerat vsus,
Ostentant claræ spectata insignia gentis.
Intextos sagulis ferrugineos Hyacynthos.
Tum genitus veteri priscorum à stirpe parentum,
Incedens, humeris longe supereminet omnes
Cilnius, Aonijs proles gratissima Nymphis,
Areti decus, & vatum spes fida bonorum.
Fert niueum clypeo Cycnum, leue corpus ad æthram
Tollentem, & cantu cœli conuexa replentem:

Stemma

Stemma domus notum, & maiorum insigne suorum
Protinus illum omnis legio comitatur euntem.
Quiq; pigri Glanis arua colunt; quiq; ardua Clusi
Mœnia habent; & qui summo te vertice montis
Nascentem, vallésque imas, & saxa secantem
Arne bibunt: gemini mox claro à sanguine fratres,
Griccia progenies, hilari cum corde sequuntur.
Ac bismille viros, belli insuperabile robur,
Prorsus agunt: quos Sena agri ditissima pascit.
Sena Camænarum cultrix, & Martis alumna.
At, quæ nascenti vicina Biturgia Tybri est,
Agmen in arma vocat cinctum fulgentibus armis.
Inde Typhernates, cultu gens aspera, cuius
Ipsa suis fœcunda bonis, sed inhospita tellus,
Educat audaces lachrymosa in prælia dextras.
Vna ingens Perusina cohors; Vmbrique feroces:
Hispelli manus omnis: agri Meuania diues.
Qui montes Thrasymene tuos; qui littora circum
Curua colunt, læti iussis parere Vitelli.
Ipse minax oculis, & toto corpore firmus
Ingreditur: vultúque animos testatus acerbos
Spirat atrox Martem; & sociorum mentibus addit
Ardorem pugnæ; & partæ per vulnera laudis.
Dúmque adeo incedit ferro contectus, iniquum
Armorum haud aliter valido fert corpore pondus,
Quàm iuuenis primæ florenti ætate iuuentæ
Ferre solet Serum contextam è stamine vestem.
Hinc montes quicúnque colunt, campósque iacentes,

Vertice

Vortice quos humili Sapis, quos flumine Isaurus
Humectat, socia arma ferunt. hinc fida Camertum
Insequitur pubes; iunctisque exultat in armis.
Præsentésque animis adsunt Vsente relicto.
Adsunt desertis ripisque, vndisque Metauri:
Atque oblita Aesim se tanta ad cœpta iuuentus
Læta parat; mittitque suos ad nobile bellum
Inginium medijs è montibus Apennini.
Quos omnes idem ardor agit; quibus omnibus vnus
Umbrorum Ubaldus proles clarissima Regum
Imperat. illi autem parent felicibus acti
Auspicijs; quando nemo prudentius est, qui
Rem gerat, aut armis fundat qui certius hostem.
Ille quidem ante alios claris maioribus ortus,
Sed prolem insignem multa virtute daturus:
Olim, quæ Senæ late dominetur in oris:
Barbaricisque Italos vindex defendat ab armis,
Et Venetum in tuto statuat res. ilicet olli
Pone subit propior Persæi nominis hostis
Ventidius, cuius discissum bellica montem
Ostentat parma, atque hosti fatale minatur
Exitium. credas Susas, Gangémque, Tigrimque
Et victum Euphratem Latias horrere secures.
Imperiis regit ipse suis, quoscunque Truenti
Alluit vnda rapax, bello genus acre virorum.
Quos & Matrinus, quos & celer amne Vomanus
Ipse suo humectans steriles defertur in agros.
Hos non inuitis animisque, armisque sequuntur,

N Quicunq;

Quicunque arua colunt semper frigentis Aterni,
In mare quo nullus violentior influit amnis.
Nec te Corfinij pugnax Cantelme iuuentus
Digreßum irriguis patriæ regionis ab oris,
Inque externa pij certamina Martis euntem
Deseruit, tecúmque tuos generosa labores
Sponte sua magni est pubes partita Teatis,
Euersique ingens Amiterni, & nominis vna
Normanni studiosa cohors. tum suetus aprorum
Lustra sequi, sæuósque lupos prosternere, & vrsos
Accola Nicatæ: cuius nimbosus, & asper
Perpetuis horret niuibus, cælóque minatur,
Attollens sese summum super æthera vertex:
Fluminàque Ionium labentia fundit in æquor.
Post hos exoriens Hyrpina è rupe Phiternus
Ostentátque suos, & lætus iactat alumnos,
Quorum lambit agros. non hic Garganus Iapyx,
Non & Gerione Pœnorum diruta ab armis,
Larinúmque audax, positúmque in monte Teanum:
Luceriéque, olim magnæ tutela Mineruæ,
Atq; vrbs Argyripa; & quondam celeberrima Sipus,
Nunc æquata solo, atque opibus viduata, virisque
Inuidit iuuenum lectas ad bella cohortes.
Credula quos iunctis animis, & viribus æquis
Gnatia consequitur: nec non septemplice portu
Nobile Brundusium: Calabrúmq; ex ordine turmæ
Hidrunti pubes pietate insignis, & olim
Quam seri referant simili virtute nepotes.

Octingenti

Octingenti ibant vnà natique, patrésque
In bellum: nec mortem illi, nec sæua timentes
Vulnera; dum sese Christi pro nomine leto
Offerrent; hyemésque atras paterentur, & æstus.
His sese adijciunt, mollis quicunque Tarenti
Littus, & arua colunt: quamuis ad bella iuuentus
Lenta olim, & Martis duros exosa labores,
Nunc autem patrij luxus oblita: memórque
Ipsa sui, & magnæ succensa cupidine laudis.
Induerat properans pectus fulgentibus armis.
Vnà ibant, Baccho, & lanis quos nobilis Aulon
Legerat æquales numero; nec longius olli
Inde aberant, inter scopulos qui murmura ponti,
Horrentésque maris strèpitus, irámque refracti
Securi auscultant: vbi nauifragum Scylaceum
Deterret dubio miseros à littore nautas.
Dúmq; erecta animis, armisque instructa iuuentus
Ingreditur, subiens campo sua terga prementes
Ponè videt veteri Graiorum ab origine Locros,
Vltores scelerum Locros; atque agmine denso
Incedentum aciem, muro quos maxima quondam,
Nunc angusta Croton: verum cui conscia virtus
Excitat hortatrix ad facta ingentia mentem,
Proxima militiæ lectos dare nomina iussit.
Ergo vrbem certatim omnes liquere volentes:
Liquere & tractus, Aesar quos irrigat; & quos
Ipse suo fæcundat agros celer amne Neæthus.
Nec procul inde suos sistens Consentia ciues,

Diues opum, diues Consentia munere Bacchi,
Et quæ terrarum dominæ velut æmula Romæ,
Ipsa sibi septem muro circumdedit arces,
Instruit in bellum, rebúsque, animisque paratos,
Infensósque Arabis; patriam qui fraudibus vrbem
Aggressi miseram radicitus euertissent.
Inuasuri igitur dextris vltricibus hostem
Vnanimes, doctique acres densare cateruas,
Insignem factis, & nobilitate potentem,
In quascunque velit partes, & bella, sequuntur
Antiqua genitum Gallorum à stirpe Seuerum,
A quo nomen habet fastos deducta per omnes
Vna animis spectata, & magnis inclyta factis
Sanseurina domus: cuius fœcunda metallis
Imperio paret Temese, Sybarisque, Syrisque,
Acrisque, atque ingens Sylarus, Sagræque Crotoni
Illatam ob cladem semper memorabile flumen.
Paret & ipse volens lapidoso Cratis ab alueo,
Apenninigenis ex quo de fontibus ortus
Inter saxa ruit, montésque celerrimus altos,
Et celebris tandem nactus lata æquora campi,
Vix se se ipse capit, Siculúmque irrumpit in æquor.
At qui florentes saltus Hipponis amœni,
Pratáq; non vnquam spoliata virentibus herbis,
Falcibus attondent; ternos in bella sequuntur
Ductores; magni gens alta à stirpe Quirini.
Hi populo in plures acies, & plura dirempto
Agmina, non vllis humeros in prælia telis

Munierant;

Munierant; pectus thorace, & casside frontem
Armarant; ceu nusquam essent ferienda daturi
Terga, sed aduersis casuri in vulnera dextris.
Sic illos monitis instruxerat Hæuius acer.
Sic Minuti virtus; proles sic certa Camilli
Furius, antiquas dum versat pectore laudes,
Tum verò incedunt asperrima saxa colentes
Lucani; hinc atque hinc gelido quos flumine Laus,
Et Silaris cursu præceps concludere pergunt;
Dorica progenies, & quæ ductoribus Afris
Hæsit, Romulidùm quondam populantibus vrbes;
Nunc eadem Libyę populos exosa rebelles.
Proxima dehinc validas bello Campania vires
Læta dat; & populos notis insignibus ornat
Parthenope generosa suos: quos deinde sequuntur
Assuetæ nimium bellis ciuilibus vrbes.
In primis Capua inuictæ vetus æmula Romæ:
Luxus vbi, & stabilem damnosa superbia sedem
Fixerat olim, animos sed tunc submissa feroces,
In bellum præceps Turcarum, Arabúmque ruebat.
Cui se se comitem addiderat vicina Veseuo
Nola iugo; quondam populo spectanda frequenti,
Atque amplo spatiosa loco: nunc vndique fines
Mœnibus angustos circum complexa, vetustas
Iactat opes: acri Pœno quæ sola tyranno
Opposuit muros, portásque imperuia clausit.
Nec non & Clanij rapido quæ flumine Acerræ
Vastantur, Libyæ iampridem inimica iuuentus

Et quicunq; amnis ripas habet incola Sarni.
Sarastes populi; atque Arabis possessa colonis
Nuceria; & dubijs quondam Calatia rebus
Fida parum Latio: tum quæ lasciua pudicam
Intulit in scenam lusus Atella procaces,
Quique Rufos; quique arua tenent bene culta Celennæ:
Et fœcunda nucum, sed non flauentis Auella
Frumenti; & Cumæ sedes arcana Sibyllæ;
Dum potuit cæcas passim deludere gentes,
Obscuris vana inuoluens regnator Auerni
Lucifer, & rigidis Orci damnare tenebris.
Protinus his acrem pubem coniungit Aquinum;
Quęque adeo Liris fontes discriminat ambos
Sora; & oliuiferis campis insigne Venafrum
Ac de Barbariæ positis illustre tropheis
Arpinum decus inuictę memorabile Romę.
Deniq́ue se totum in Turcas effuderat ingens
Samnium, & abruptis quicumq; in montibus orti
Hernica saxa colunt: quos qui numerare pararit,
Idem etiam numerare paret, quot florida fingat
Hybla fauos, Sicyônq; ferat quot Achaica baccas.
Nec tamen inuoluant tenebris & nocte profunda
Carmina nostra tuum, felix Florentia, nomen.
Quę laudem atq; animos vt testarere, fidémque
Ipsa tuam in patrem, Latijs qui pręsidet oris,
Aemula victricis, & magnę filia Romę,
Misisti inuictas Boemundi in castra cohortes.
Misit & vrbs antiqua suas; cui filia Atlantis

Indidit

Indidit æternum ventura in sæcula nomen
Fęsula: quę Thuscas inter caput extulit urbes
Bissenas; latéque Orbi dominata patenti est,
Cum nullos habuit Tyrrhena potentia; quorum
Ipsa sibi fidens vires atque arma timeret.
Quin etiam Alphea deductę ab origine Pisę,
Vnanimes Pisę celebrem iussere virorum
Ire aciem, & vires sanctis adiungere cœptis;
Thuscorum decus, & nomen memorabile Pisę:
Vrbs terráque, maríque potens, opibúsque superba.
Felix si stabili concors in amore, fidéque
Mansisset; nec post mens lęua auerteret, ut se
Finitimis vellet prę ferri; atque omnibus unam
Vrbibus imponi; legésque indicere Etruscis.
Proxima succedit Lygurum manus: Apua quorum,
Et Luna imposito populos e nomine dicunt.
Quęque suo. tamen vna omnes vetus Apua de se
Comprensos, Arnúmq; inter, Macrámq; sonantem
Nominat, assuetos perferre & frigora, & ęstus,
Et tolerare famem, & sine somno degere noctes,
In syluisque agitare feras, & viuere rapto.
His pedites permisti, Aesar quos amnis utrinque
Alluit; & mediam discriminat agmine vallem;
Perpetuam vallem; cui dat Feronia nomen:
Dicta Iouis quondam coniux Feronia. nanque
Marmore substructum nitido, & fulgente metallo
Illius in Thusco celebrabant littore Fanum,
Relligione ingens Lygures. Hos Luca vocarat

Libertatis amans; ducibúsque ornarat, & armis.
Post hos antiqua Tuscorum ab origine regum
Felsina, condensum patrijs ciet agmen ab oris.
Ostentátque equitum turmas, peditúmque cohortes.
Quas in bella vocat Piceni limes Isaurus:
Crustumiúmque rapax: & diues ab vbere glebæ
Ac riguo; tenuíque vado contentus Aprusa:
Et Rubico Italiæ finis vetus: obuius olim,
Qui bellum, aut pacem venienti indiceret vnus.
Nec vos non vestras acies sociastis & arma,
Quos gelidæ recreant valles frigentis Isapis;
Quíque adeo celerem Bedesim, Vitimque bibentes
Hinc Apennini montes spectatis, & illinc
Adria Dalmatiæ longe quas alluit oras.
Affuit & vallem quicúnque Anemonis, & agros
Cultor habet: quíque vndosę colit arua Padusę,
Vatrenúmque videt fluuio sata culta secantem.
Quíque ex euersa populi creuere Claterna.
Hos super adueniunt eadem de gente manus; quas
E vitreo Scultenna lacu, atque è vertice summo,
Vnde mare, & Lygurum saltus, latéque patentes
Gallorum campos pater aspicit Apenninus,
Aspera saxa fluens inter, pinguésque nouales,
Misit, & vnanimes ocreis armauit, & hastis.
Post quos cernere erat Mutinæ generosa renatę
Agmina; & antiquę pedites incedere Parmę;
Et quoscúnque rapax gelido rigat amne Gabellus.
Nec non & densis equites se effundere turmis;

Mantua

Mantua quos diues fęcundis misit ab oris,
Prçfecitque alta Gonsagę à stirpe profectum
Oromedonta ducem: non quem sub vertice montis
Arganti cęlo vidit iam Phlegra minantem
Excidium: sed quem iustique ęquique tenacem
Terra tulit, verę columen pietatis & illum
Cui se ferre parem Gallorum haud audeat vllus;
Seu lucta certare velit; seu cominus armis:
Siue eques infensus lato concurrere campo.
Cunctorum extremus se se ostentabat euntum,
Quem sua Cenomanum, Lygurúmq; exercitus ingens
Brixia, Verbanúsque lacus, rapidéque fluentis
Accola Ticini patrijs dimisit ab oris.
Iussit & imperijs se se submittere Othonis:
Regius vnde tuus, domus ò Viscontia, sanguis:
Ditibus Insubrum late regnauit in oris.
Vnà etiam, quicunque alpes habet, ibat opertus
Aere caput, clypeum læua, dextráque bipennem
Intentans validam, lorica vtrinque trilici
Setosos humeros, atque hispida pectora cingit.
Claudebant extremam aciem, quos Attius acer
Excijt Euganeis è montibus vnus Ateste.
Cui tunc, & Veneti pars maxima paruit agri.
Attius ex atauis proles deducta Sabinis:
Gens vetus, & multos Romæ dominata per annos,
Clarorum fœcunda ducum: Ferraria cui se
Regnandam, populósque dedit virtute regendos
Littore ab Adriaco Tyrrheni ad marmoris oram.

Hanc

Hanc tunc armipotens tellus tulit Itala pubem
Bellantum; tanti robur memorabile cœpti;
Millia complerant quam ter vicena virorum,
Insignem ferro, atque animis præstantibus acrem.
Illius mox terga loco propiore secuti
Bellouaci, primam numero, & virtute potentem
Instruxere aciem; sumptis quos sęuus in armis
Neruius insequitur, natúsque ad prœlia Treuir:
Quique adeo vitreum tenui bibit amne Mosellam
Leucus: & indomitis Morinus vicina Britannis
Littora habens, portúque ipsi propiore Caletes;
Rhemique, Aulercique acres: quos Auxona, quósq;
Sequana frigenti medios complectitur amni.
Protinus infestas his adiunxere cohortes
Armorici; horrentis contemnere murmura sueti
Oceani; & iaculis hostem configere acutis
Eminus, & valido calamos imponere neruo.
Nec vos Carnutes vestrum liquistis euntem
Tanta in bella ducem: nec tu iuuenémque, ducémq;
Egregium Biturix non es comitatus; & vnà
Conatus medio versantem in turbine belli
Tutari; & frustra Turcarum auertere castris.
Ibant Aruerni Troiano à sanguine creti;
Vangionúmq; acies, Batauorúmq; agmen ad omnia
Iussa ducum, quæcunque instant, nutúsq; paratum.
Quin etiam Ligeris fœcundis misit ab agris
Pictonas; & salsis propiores Santonas vndis.
Misit Aquitana fortes de gente Cadurcos;

In ma-

In mare qui tumidus lato fluit amne Garunna.
Deseruitq; Ararim, Rhodanúmq;, Isarámq;, Dubimq;
Sequanus; & Latiæ frater fidissimus vrbis
Aeduus; ac nondum ritus exosa, piásque
Romanorum aras, quæ gens salebrosa Lemani
Saxa lacus, ripámque colit; brumalibus Alpes
Quam niuibus tectæ toleranda ad frigora durant.
Ponè Britannorum subit alto à sanguine Regum
Insignis virtute Conon Montautius: à quo
Clara per Hetruscos se gens Montautia fudit.
Filius hærebat lateri Goscellus; & ipse
Confertas sólitus perfringere Marte phalanges.
His etiam Catti vires, acrésque Sueui
Adiecere suas; nec se subducere cœptis
Crinibus intortis flaui voluere Sicambri.
Non Agilolfinga natum de gente Cacannum
Deseruere ducem populi; qui finibus Aenum,
Atque Istrum attingunt, tepido quos Solis ab ortu
Cecius exurgens Euris mons afflat odoris;
Curuancæque iugum pluuialibus irrigat Austris.
Sic saltus acies instructa euasit iniquos;
Conuallésque cauas; latebrosáque saxa locandis
Bellorum insidijs; donec se inferrè patenti
Quiuit, & vnanimis spatioso incedere campo.
Suspicit vnde altos à læua insurgere montes:
Ascanijque lacus à dextra includitur vnda;
Pellucenti vnda; passim quæ peruia nautis
Mœnia Nicææ propior pertingit: & vrbem

Mercibus

Mercibus inuectis ditem beat. Illa quaternis
Exhibet ingressum portis, spatiosáque muros
Dirigit in quadrum, turrésque infensa minaces
Ostentat procul, & venientes territat hostes.
Hanc vnam sibi præcipue delegerat arcem:
Ex qua Graiorum ceruicibus impenderet,
Bithynis dum Persa ferox dominatur in oris;
Artibus egregius belli Solymanus; & ausis,
Belserci proles, qui quondam in Perside regnum
Cum gereret, certáque Asiæ totius habenas
Laxaret, premerétque manu, virtute repertum
Imperium natis æquata sorte reliquit.
Indole quos inter præstanti, animóque virili
Dothacus Assyriam tenuit ditione Damascum,
Assidue bellum Phario cum Rege gerentem:
Hassanúsque oram regnandam accepit, & vrbem,
Cuius agrum resonans vndis fæcundat Orontes.
Ascanias Solymanus aquas, finésque propinquos;
Nicæa ex alta leges, & iura petentes.
Prouidus huc ingens Turcarum incluserat agmen,
Præsidium Regale loci, Rex Medus; & horum
Mandarat fidei tutandam, & viribus vrbem:
Addiderátque ipsos fida cum coniuge natos.
Ergo vt confertas acies videre piorum
Aduentare; locóque omnes considere certo,
Hinc atque hinc densa muros cinxere corona;
Et trepidi firmo clauserunt obice portas.
Quarum vnam, Libyci partes quæ vergit ad Austri

Prona,

Prona, Tolosatum pubes obsedit; & audax,
Cum primum positis turrita ad mœnia castris,
Ac nondum indicto iustæ certamine pugnæ,
Nunc aperire aditum, summas nunc sternere turres
Quærit; & ex altis hostem depellere muris.
Hæc eadem parte ex alia Boemundus, & acer
Tancredus; Gallique simul, Belgæque, Britanniq;,
Arietibus muro admotis conantur, & instant.
At Tomyris, bello à teneris assueta gerendo,
Inter Sarmaticas virgo versata secures,
Finitimis olim populis metus acer, & vnà
Quæ pediti sese pedes obuia ferret, equésque
Confertis equitum posset concurrere turmis:
Sæua manu mulier; studium curámque tuendę
Bithynę fidens animo susceperat vrbis.
Illa igitur dum se circum sua męnia versat;
Eia agite, ò, Ciues, illorum opponite telis
Tela, ait, éque alto deuoluite saxa, trabésque
In caput, & scalas; nec vos noua terreat hostis
Externi facies. longe (mihi credite) cedet
Finibus à nostris; si se semel ipse repelli
Senserit, & validis defendi viribus vrbem.
Dixerat; & manibus lapidem deturbat vtrisque
Ipsa suis. cadit ille ruens; & pondere vasto
Opprimit audacter subeuntes męnia Gallos;
Cogit & ad fossę se se conuertere ripam:
Quam ducis imperio virgisque, & fascibus ante
Impleuerat miles, summęque ęquarat arenę.

Ergo

Ergo illum dictis acer Rhamundus amaris
Increpat; & rursus scalas in mœnia poscit.
Non pudet, ò, Galli, vos hinc terrore ruinæ
Vnius properare fugam, atque abscedere victos?
En has, vt tergo victorum infligeret hostis
Vulnera, & irrisos ageret, venistis ad oras?
Ite, agite: & manibus lacerum diuellite murum;
Præsidijsque illinc pulsis hostilibus, ipsos
Ad Solymos aperite aditum. victoria cœpti
Totius hic posita est. etenim si capta patebit
Vrbs prima hæc, aliæ clausas opponere portas,
Obijcere aut se se nusquam venientibus ausint.
Hæc dux increpitans Gallos sic ore monebat.
Ergo illuc animis cuncti rediere receptis,
Rettulerant prius vnde pedem; maioréque nisu
Inuasere iterum facta testudine muros.
Cœpisséntque vrbem, ni Rex Solymanus ab altis
Syluarum, nemorúmque iugis digressus, equestrem
Iussisset propere in campum se effundere nimbum.
Nanq; ante aduentum Gallorum, in Perside turmas
Ingentes equitum, peditúmque coegerat; & se
Montibus in summis tacitus, nemorúmque latebris
Abdiderat, laturus opem cum posceret vsus
Pugnandi, & medijs nostros fusurus in agris.
Quos vbi conantes vrbis rescindere turres
Audijt, & portis inferre obstantibus ignem,
Erectúsque, alacérque, suos affatus: Habetis
Quod cupijstis, ait; castris ex omnibus hostem

Effusum,

Effuſum, & temere ad muros, turréſque ruentem.
Ite viri mecum; & prædam ſperate futuram,
Quantam non vnquàm noſtri optauere parentes
Euerſum poſt imperium, viréſque Quiritum.
Hic procères Gallorum omnes; hic lecta iuuentus
Italiæ; ſed turba fugax, æſtúſque, viæque,
Et ſitis impatiens; vno hoc certamine tantum
Aut miſere cæſos, canibúſque, auibúſque vorandos
Linquimus, aut cunctos in vincula ducimus actos.
Nec quiſquam veſtrum eſt, qui non infecerit horum
Sanguine iampridem campóſque, enséſq; manúſq;:
Et partem ingentem, fines quæ prima feracis
Migdoniæ properans auſa eſt inuadere, tanquam
Molle pecus, mutúmque metu demiſerit Orco,
Eſte precor veſtri memores; vnique putate
Eſſe in conſpectu cara cum coniuge natos:
Qui, niſi vincamus, iam iam vincentur inermes,
Atque in ſeruitium rapti abducentur; heróſque
Cogentur poſthac miſeri obſeruare ſuperbos.
Talibus hortanti ſocios hæc ſubijcit audax
Hernachus; Vnnorum qui claro à ſanguine regum
Ibat ouans; ſeriémque inter numerabat auorum
Spectata virtute duces, Belámque, Cheuámque,
Ingentémque auſis Geuſan, & Taxin, & orbis
Vaſtatorem Atylam. Tibi nil Solymane verendum eſt,
Quin habeas nos ad bellum, pugnámque paratos.
Namq; omnes, quotcumq; ſumus, te maxime ductor
Vnanimes ſemper, quò iuſſeris ire, ſequemur:

Et primos hosti caput obiecisse iuuabit.
Non ignes, non tela viam, non ipsa morentur
Tormenta, & muros quæ machina disijcit altos.
Te duce per medias Libyæ sitientis arenas
Pérque alpes Scythicas glacie niuibúsque rigentes
Intrepidi gressus acrem tendemus in hostem:
Extremóque tibi statuemus in orbe tropheum:
Vel si se nostris opponat viribus audax
Europa, atque Asiæ se totam effundat in oras.
His dictis accensi animi; cuctique repente
E syluis, latebrisque cauis, & vallibus imis
Prorupere; simúlque agros petiere patentes
Præcipites. veluti cum grando e nubibus atris
Improuisa ruens in terram fertur, & altis
In tectis crepitans passim salit; intonat æther
Arduus; illa autem teneros glomerata racemos
Verberat; ac læto venientem in palmite Bacchum
Inficit: & glandem, & viridem contundit oliuam.
Non gregibus, non armentis, non illa subulcis
Parcit; & infandam pestem simul omnibus infert.
Vt campos tenuere iugis, syluisque relictis;
Sub pedibus mouere suis vim pulueris atram.
Ceu cum dumosis conuallibus Apennini
Offudit nebulam gratam raptoribus Auster,
Infensam tamen & pecori, pecorisque magistris.
Tum vero vnà omnes ingentem ex ore profundunt
Clamorem; & diris vlulatibus aera complent.
Quos postquam infesto venientes agmine vidit

Tecto-

Tectosagum ductor: reuocato milite, in armis
Constitit; atque aciem lætus direxit in hostem;
Et latera hastatis equitum communijt alis.
Ipse autem galea, & thorace armatus aheno
Eminet; & cunctos inter proceréssque, ducésque
Primus abit. deuectus equo, quem mater Iapyx
Montibus in summis eductum, ad frigora, & æstum
Durauit; docuitque leues præuertere ventos
Cursibus; & stabilem media se sistere in acta.
Non secus ac tumidis in fluctibus horrida cautes,
Quam neque sublimi flantes à vertice Cauri,
Nec cælo abruptæ stabili de sede procellæ,
Dum pelago super incumbunt, conuellere possunt.
Et Solymum in Gallos magno clamore ruentem
Obuius infesta medium transuerberat hasta;
Fundentémq; animam misto cum sanguine, ab alto
Deturbauit equo, nec quicquam profuit illi
Intectus chalybe clypeus, loricáque triplex,
Atque ex ære rigens, & vix penetrabile tegmen
Pectoris; extremos inter fabricatus Iberos,
Et Stygio in primis duratus flumine thorax.
Eductúmque atro feruenti e vulnere telum
Dirigit in frontem contra venientis, & ora
Gizidæ, fratrémque suum, sociúmque volentis
Vlcisci, & precibus concepta in vota vocantis
Vnum Halyn: assueuit primis cui fidere ab annis.
Si te (inquit) semper colui sanctéque, piéque
Cæli numen Haly, Persis Deus vnus, & idem

Cunctorum hostis atrox, tua qui præcepta refutant,
Da Pater omnipotens inimicum sternere Gallum.
Illius interitus belli totius vt omen
Impleat hostiles multo terrore phalanges:
Augeat & nostris animorum in prælia vires.
Hæc secum tacito dum talia murmurat ore,
Præcipitique adeo cursu defertur, acutæ
Sensit se subito transfigi cuspidis ictu,
Parte superciliis quà se frons iungit; Halynque
Acriter incusans manibus dimisit habenas;
Eque feri dorso cecidit reuolutus; & ingens,
Dum cadit, ingentem sonitum super arma dederunt.
Mox Pharon aggressus rigida ferit arduus hasta
Sub mentum; vnde leues vox edita prodit in auras.
Atque illinc Stygias fugiens infesta sub vmbras
Vita, feris corpus laniandum, auibúsque reliquit.
Inde Aarúmq;, Homarúmq; subit, Gazúmq;, Cotymq;,
Ense omnes: namq; in Balaco perfregerat hastam.
Nec tamen incassum: latebris sed pectoris haustis
Vno eodémq; ictu veteris radicibus Orni
Fixerat exanimum; fractúmque in vulnere robur
Liquerat; & Seuthem se se mucrone petentem
Fragmine perculsum Phlegethonti addixerat amni.
Post quos Habdallæ caput à ceruice reuellit:
Habdallæ: qui se prognatum à stirpe ferebat
Abdaridæ: & latis Arabum regnabat in oris.
Nec mora. Corcutum, cui summa in casside plumæ
Centennæ assurgunt; centum quòd comminus hostes

Fuderat,

Fuderat, & cunctos vita spoliarat, & armis,
Protinus inuadit; clypeúmque ex ære rigentem
Discidit in geminas geminato vulnere partes.
Nec tamen hic sese compescuit impetus ensis:
Verum humeros, armósque feri descendit ad imos:
Atque viri summa strinxit de pube; Cilixque
Ingemuit sonipes; dumque ipsis calcibus æthram
Verberat assiliens, sessorem exturbat. at ille
Fusus humi magno terræ sola dura fragore
Vix pressit; & subito pedes emicat; inq; frementem
Versus equum. Non me tecum fortissime, dixit,
Inter mille neces, & sæua pericula Martis,
Quam mihi seruasti vitam, dispergere in auras,
Atque imas tecum delabi Acherontis ad vndas
Tædeat, amborum cædem modo vindicet ensis
Ante meus; cui tot se animæ vouere cadentes.
Hæc effatus, agri medio de tramite saxum,
Saxum ingens, immane, iugo quod montis ab alto
Corruerat ventis, & tempestatibus atris,
Ac secum teneras passim prostrauerat ornos,
Corripit; éque manu iecit violentus in hostem.
Ac nisi laxatas ductor Narbonis habenas
Defluxisset equi saltu, læuámque petisset,
Ilicet illius vidisset lumina Solis
Vltima; nec Turcis alta Dauidis ab arce
Eiectis, patriæ sospes rediisset ad oras.
Phæreclum tamen armigerum, qui certa secutus
Iussa ducis, custos inter fidissimus omnes

Terga tuebatur, medios pugnantis in hostes
Perculit: & summa moribundum extendit arena.
Non impune tamen. iusta nam percitus ira
Rhamundus, clauam ingentem, qua sternere suerat
Agmina, & æratas passim contundere turmas,
Sustulit; inque caput, galeámq; impegit; & omne
Ossibus infractis dispersit in arma cerebrum.
Quod propior campi speculatus ab aggere Battus,
Laserpiciferę Battus regnator arenæ,
Concidit inuictum robur nostri agminis (inquit)
Ac, nisi missilibus Gallum compescere telis
Tendimus vnanimes, nostris de viribus actum est:
Hęc ait, & curuo nitens intorsit ab arcu,
Cui fuerat cuspis duro ex adamante, sagittam.
Illa volans dextrę raptim se se intulit alæ:
Inque humero neruis disclusa rigentibus hęsit,
Forte grauem magno dum librat pondere clauam
In Phalarim; & capitis tegmen contundit ahenum;
Non secus ac glaciem concretam in vallibus imis
Aut Apennini, aut nubiferę Pirenes,
Comminuit scopulus summo de vertice lapsus.
Ergo ille accepto postquam de vulnere sensit,
Inualido duras cessisse e corpore vires:
Vertiscum in Rhemis regnantem, inque arma cientem
Haud procul inde aciem, vocat; & sic fatur ad aurem.
Vertisce armipotens, cuius virtute repulsi
Sępe hostes liquere locum, turpique salutem
Quęsiuere fuga; si te tua facta, tuæque

Delectant

Delectant laudes, & gloria parta laborum;
Ipse meam tutare vicem, dum castra reuiso;
Ut passim iniectæ medicari cuspidis ictum;
Quique omnes frangit vires, auferre dolorem.
Hæc vbi fatus abit: abeuntem ex agmine Bostar,
Afrorum Bostar longe fortißimus. Eia,
Eia agite, o, socij, iam vicimus; ite frequentes:
Ite viri mecum, & turbam ductore carentem
Disiicite, aduerso cædentes agmina ferro;
Excitet hic animos, vindex certissima, vestros
Virtus; vna omnes Libycis quæ patribus æquet.
Quando illi populos olim domuere superbos;
Pérque ipsos Gallorum agros ad mœnia Romæ,
Vastata passim Italia, sua castra locarunt.
Et nunc degeneres gentem patiemur inultam,
Proh dolor, in Libya præclarum. Asiáq; trophæum
Ponere? & hac tantos moliri in parte triumphos?
Non ita. magnanimi si me genuere parentes:
Inque hoc virtutem fuderunt pectus auitam.
Dixerat. vtque leo medijs in saltibus ingens
Prospicit armentum specula sublimis ab alta,
Spirat hians, caudáque sibi diuerberat armos;
Et se se in prædam collecta suscitat ira.
Mox ruit; & nitidum, spreto pastore, iuuencum
Corripit immanis, totúmque euiscerat vncis
Vnguibus: humectans vndanti sangine fauces.
Sternit humi Strophium: quem serua Tolumnia furtim
Eductum in Syluis ceruæ mandarat alendum.

 Isque,

Isque, vbi firmatis creuit robustior ætas
Viribus, & duro venatu assuetus aprorum,
Cunctorum cœtus hominum vitabat, & vrbes;
Et montes, vallésque imas, & vasta colebat
Hercyniæ deserta; ferásque infestus agebat
Et cursu, & canibus, nec non iaculisque, plagisque.
Felix; si vita cœptum constanter in illa
Seruasset studium, latebrisque occultus opacis
Aurea magnorum vitasset limina regum.
Non illum exciperet tellus Bithyna cadentem:
Non efflantem animam properans vlciscier Aruns,
Ipse quóque eiusdem cecidisset cuspidis ictu;
Et secum in casum fratres traxisset eundem;
Rhesúmq; Eurypilúmq;, Euæmonidémq;, Melémque;
Rheso oculum; femur Eurypilo traiecit; at illos
Ense ambos rapuit præcordia ad intima adacto.
Cædit Hylum; cædit Varium; Cloniúmq;: Parimque.
Corruit vnà ingens Dorylas; acérque Coryscus;
Et cum patre Dares, Titiúsque Machaone natus.
Herbarum vires vnus qui nouerat omnes;
Posset vt ægrotis veniens afferre salutem:
Et iam iam exangues reuocare ad lumina vitæ.
Ergo hic perfossum letali vulnere dum se
Aspicit emoriens, patrias reminiscitur artes
Incassum; & demens queritur pia bella secutum.
Has ferus, atque alias cædes, & tristia victor
Funera miscebat Bostar; Gallósque maniplos
Impulerat nudare fuga iam terga ruentes

Cum

Cum ſubito accurrens præſtantibus optimus armis
Commius ipſe Atrebas, peditum ſed ductor agebat
Germanorum aciem, longis quæ freta ſariſſis
Pugnam obit, ingentique locum virtute tuetur.
Non pudet, ò, miſeri, toto diſcedere campo
Vnius Abdaridæ tantum formidine pulſos?
Quò fugitis trepidi? greſſus quò tenditis (inquit)
Non hic vllæ arces: non mœnia fida; nec vſquam
Caſtra dabunt vobis tutum munita receptum.
Aut hic vincendum, claráque hic morte cadendum eſt;
Aut pecudum in morem ſubeundum vincla, necémque.
Commius his dictis fertur violentus in Afrum
Exultantem animis, & multa cæde madentem:
Aggreditúrque virum demiſſo in tempora ferro.
Ille ictum parma venientem excepit; equúmque
Impulit inde ſuum; Gallúmq; amplexus, & hærens
Nititur è ſumma deiectum auellere ſella.
Ac dum ſe raptant manibus per mutua nexis:
Inque vicem contra ſumma nituntur opum vi:
In terram pariter ambo cecidere ruentes,
Atque arma ingentem ſtrepitum colliſa dederunt.
Subſedit Boſtar; rigidoque Commius enſe
Confodit; atque vnà vitam cum ſanguine ademit.
Verum à cæde illum ſurgentem aggreſſus Amilcar,
In tergum veniens impacta traiicit haſta.
Sic te Pœnorum decus extinxiſſe putaſti
Galle, ait, & noſtris victorem excedere ab oris?
Accipe, & has demum partas nunc infer olympo

 Exuuias,

Exuuias, Christóque tuo gratare : quod ipsos
Abdaridas victos, Asiáque è diuite pulsos,
Infractúmque iugum, libertatique reclusum
Esse aditum Solymæ te bellatore, videbit.
Impius has imo fundebat pectore voces
In Sagarim, Dorylúmq; ruens: hastáque reducta
Illi dextrum inguen ; costas huic perforat imas.
Inde Idam, Ligerimq; subit, Pardúmq;, Lycúmq;.
Et cum Priuerno iungentem Hypsenora vires ;
Mox Bardum, & Gaddum pugnæ nodúmq;, morámq;,
Turbat agens, vtrunque tuum Florentia ciuem.
Ast animam Cyniræ letalibus oblita succis
Fraxinus exhausit validis contorta lacertis:
Allobrogi Cyniræ, dederat cui maximus heros
Eustachides Morinos tranquilla in pace regendos.
Ille potestatem dicendi iuris adeptus
Ingentes cumularat opes: quibus auctus honores
Ipse sibi primos capta promiserat vrbe.
Nec mirum. quando Vatum responsa petenti
Addiderant animos, & spe, fastúque replerant
Usque adeo, vt tenues iam fastidiret amicos,
Soláque monstratæ spectaret commoda sortis.
Visum aliter Superum Regi, cui sidera parent.
Tum vero tremefacta retro cæpere piorum
Agmina versa fuga Persæ dare terga sequaci.
Quando etiam Tomyris portis eruperat vrbis:
Et parte ex alia turmam Solymanus equestrem
Intulerat campo ; Gallósque aggressus agebat

Palan-

Palantes; turmásq; equitum, peditúmq; cateruas,
Sicubi constiterant densæ, fundebat; & vnà
Cum ducibus turbam morti dabat. illius ergo
Obuius infestis manibus non se obtulit vllus,
Absumptus leto pœnas quin soluerit acres.
Et primum Amphio natus genitore Perutus
Occubuit, ferro penitus per viscera adacto.
Mox Migdon præstans forma, & iuuenilibus annis,
Leuia cui nondum lanugo infecerat ora,
Et galea insignis crinem, frontémque tegebat,
Concidit in renes, acta per terga securi,
Et matri miseræ, quæ natum in bella secuta est,
Vt pia longinquas Solymorum inuiseret oras;
Solueret & sancto solennia vota sepulchro;
Exhalans animam lachrymas, luctúmq; reliquit.
Nec stragem Tomyris diuersa in parte minorem
Edebat, iaculis & parma insignis Amazon.
Illa simul geminos Halium, Crotonáque fratres
Fudit humi; mortiq; Hebesum, Lamyrúmq;, Phalúmq;,
Ausa dedit; pressitque artus, atq; arma Dioclis:
Forte vt erat prolapsus equo, telúmque trementi
Infixit iugulo, manibus dum prendit vtrisque
Bellatoris equi, gladióque attentat habenas
Vndantes, parat & femori dare vulnus aperto.
Ergo illum se se quærentem attollere, ferro
Cædit: & in media morientem linquit arena.
Quámque optasti, inquit, sedem cape; nec tibi fortes
Abdaridæ inuideant: tantum quòd Galle sepulchrum

Nactus,

Nactus, ad Ascaniam cecidisti inuicte paludem.
Atque vbi subiectos populos in iura vocares,
Effuso tandem peperisti sanguine regnum.
Sic effata palam victrix exultat Amazon
Atque illuc, vbi conferto videt agmine pugnam
Vrget equum: sæuitque graui nunc illa securi
Comminus: infestis nunc eminus vsa sagittis.
Ac, velut Hyrcanis in saltibus aspera tigris
Quam iuuenes densa circumuenere corona
Insilit in medios: illúmque euiscerat vncis
Vnguibus: huic rigidis infringit dentibus artus.
Sic furit in pedites equitésque animosa virago.
Ergo omnes turmæ, fulgentésque ære cateruæ
Turbatæ, hinc illinc in morem pulueris atri,
Quem Notus, aut veniens sublimi à vertice Caurus
Præseagit, & nigra late premit aera nube
Præcipites, quocumq; ingens metus ingruit: ibant,
Atque omnes decorisque sui, patriæque salutis
Obliti, iam terga dabant palantia Medis.
Nec pudor instructo retinebat in agmine quenquem.
Sed mistus clamórque virum, clangórque tubarum
Implebat summos sublatus ad æthera montes.
Tempore quo primum victor Solymanus in vrbem
Nicæam ingressus, vinxisset mœnia firmis
Omnia præsidijs: & opes stabilisset auitas
Ni spes, & præceps aliò sententia mentem
Flecteret, ac victos illo certamine Gallos
Se se auibus prædam cunctos canibúsque daturum

Pulsu-

Pulsurúmque omni Syriáque, Asiáque putasset.
Atque hæc ipsa animo demens dum voluit; & acres
Gloria bellandi stimulos sub pectore vertit,
Nuncius acceptæ cladis peruenit ad aures
Heroúm; atque omnes castris exciuit apertis.

PETRI

PETRI ANGELII BARGAEI

SYRIADOS LIBER VIII.

CONVENERE *simul Boemundus, & inclytus armis*
Tancredus, cunctósque inter qui maximus ibat
Imperio dux Leucorum Goffredus, & ambo
Roberti: Rholone vnus patre natus, at alter
Filius Iceni proles generosa Britanni:

Valte-

Valteriúsque Senon Regi fidissimus ipsi
Armiger; & Vidus Morinis in finibus ortus:
Arpinúsque etiam Biturix: & casside Medix
Tectus: & impubis comitem sesè addidit ollis
Egregius forma, atque ętate Vrsanius; idem
Quos famæ generosus amor. laudúmque cupido
Horrentem in pugnam, & certamina Martis agebat.
Nunc, ò, castorum fautrix sanctissima vatum,
Vrbis honos Phariæ, quæ labe carentibus omni
Addita Virginibus, montis sublime Sinæi
Culmen habes: propiórq; Deo testaris amorem
Ipsa tuum; & precibus pręsens, votisque piorum
Semper ades: siquando aliàs facilísque, voléńsque
Fauisti; atque tuo complesti numine mentem
Diua meam: nunc cœlestes mihi suffice vires:
Et toto insuetum depelle è pectore frigus.
Non ego quot ferro strages, quot funera campis
Ediderit, quem quisque manu sub Tartara Persam
Miserit, & cęsum Stygio damnarit Auerno,
Enumerare queam; non, si mihi pectore ab imo
Erumpant centum, ceu vasta tonitrua, voces.
Ibat in aduersos animis pręstantibus hostes
Heroùm stipata cohors: grex sicut aprorum
Vnà omnis ruit in sęuos vrsósque, lupósque
Vndiqùe: cum medio conclusos agmine natos
Tutatur; plagásque hosti, letúmque minatur.
Ilicet exorsus stridor defertur ad auras:
Et strepitu valles, strepitu nemora alta resultant.

Illi

Illi abeunt: trepidóque petunt loca deuia cursu.
Sic Itali, Gallique duces, acrésque Britanni
Inuasere simul sparsos toto æquore Turcas.
Atque hinc, atque illinc magno clamore ruentum
Compressere fugam. Quo vos? quo pergitis, aiunt,
State viri; pugnate viri; defendite vestrum,
Et retinete locum: & manibus confidite: quarum
In sola virtute sita est victoria, & ingens
Gloria: quæ vestrum sustollat ad æthera nomen:
Cunctorúmque animos lucentibus inferat astris.
Turpis enim quæsita salus pedibúsque, fugáque.
His dictis commotæ acies: abiectus & omnis
Corde timor: rursus vertere minacia Persis
Tela, vel antiqua letum pro laude pacisci,
Atque vnà decus amissum reparare volentes.
Ergo omnes vno ore fremunt: vox omnibus vna est.
Vult Deus hoc fieri bellum: iubet arma moueri
Hæc Deus: & nobis vires ipse addit in hostem.
Talibus inter se Gallorum, Italúmque manipli
Hortati, claræ renouant certamina pugnæ.
Concurrunt acies: peditem pedes obuius vrget:
Atq; equitem congressus eques: clypeiq; resultant
Impacti clypeis: hastæque hastilibus: ensésque
Ensibus: & sparsa collucent fragmina arena.
Quin & vincentum clamor, gemitúsque cadentum,
Armáq;, corporáq;, & miseranda in cæde virorum
Semianimes voluuntur equi: tremit obruta tellus:
Sanguinéque effuso passim fluit. hos metus, atq; hos
Terror

Terror atrox, rabiésque feri soror impia belli
Instigat: penitúsque animis discordibus effert.
Gisgonem ante alios resupinum in puluere Medix
Deijcit: & claua galeam perfringit ahenam.
At Brocchum Imbrasiden Vrsanius: vtraque postquam
Per caua mucronem veniens transmisit acutum
Tempora. Pirum autem Biturix cum sæuus adisset,
Pectore perfosso Lethen detrusit ad amnem.
Ille Atlantiacas vrbes, populósque regebat
Imperio, & Mauros suerat frenare rebelles:
Hic autem claro Graiorum à sanguine natus
Exuerat Christi cultum: séque ipse ferebat
Ritibus addictum: docuit quos impius olim
Abdarides, populis cum leges suasit iniquas.
Ergo inter Persas vxorem nactus, opésque
Ingentes, Tigrim diues regnabat ad amnem.
At Pirus, cuius molles regalia Medi
Iussa sequebantur, magno inflammatus amore
Virginis Hermillæ, turmas in bella trahebat
Bellatorum equitum: & campo exultabat aperto:
Virginis Hermillæ; quæ formæ anteibat honore
Quascumque Ecbatanis peperit generosa Charambis:
Fecerat, & pulchra Solymanum prole parentem.
Ille autem tantas spirans e pectore flammas
Dum moritur, rigidúmque imis miser accipit ensem
Visceribus fugientem animam cum voce profundit:
Et questum ingeminans, Hermillæ & amabile nomen,
Te quoque, dilectæ qui me nunc eripis, inquit,

Hermillæ, iuuenem fatum exitiale moratur,
Dum conaris opem pereunti ferre sodali.
At parte ex alia Boemundus Amilcaris agmen
Disijcit: & totum inuadens funditque, fugátque:
Non secus atque gregem ceruorum aggressus inermem
Martius in syluis agitat lupus; improba noctu
Quem latebris exire fames in aperta coegit.
Atque acie in prima versantem obtruncat Iarbam:
Bardanémque illi comitem simul addit: & ensi
Deuouet Androclidem: Syrijs qui natus in oris
Incoluit ripam per saxa fluentis Orontis.
Felix qui patriæ misere pereuntibus vrbis
Mœnibus abfuerit: neque tanta cæde suorum
Nare pauimenta, & cunctarum strata viarum
Viderit; & passim sæuire incendia tectis.
Hinc caput Ascalapho gladio metit; inq; Theonem
Fertur, & a medio dorso quæ pergit ad ipsas
Ceruices, vena abscissa, detruncat, humíque
Deijcit: ille cadens terram petit ore cruento.
Nec minus interea turmas Goffredus equestres
Reppulerat, pérque obstantes patefecerat hostes
Ense viam; & campum late contexerat omnem
Corporibus cæsis, qua se cumque ille tulisset.
Dumque adeo passim strages, & funera miscet
Turbidus: inque duces sæuit violentus: & vnum
Quémque rapit; rem præclara virtute gerentem
Cernit Amuratem: pater hunc Solymanus amabat
Præcipue, reliquis quamuis ętate minorem,

Thracia

Thracia quos illi coniunx eduxerat Euno.
Cernit: & insignem clypeum, galeámque comantem,
Et cocco ardenti iuuenem radiare, simulque
Undique primorum circum stipante corona
Exultare inter Gallorum, Italumque maniplos,
Sternere que instructas ingenti cæde cohortes:
Nec mora. in aduersum, quantum pote, percitus ira
Vrget equum: sæuisque fodit calcaribus armos.
Et dubitabat enim, iuuenem si tardus adisset,
Ne qui præriperent casus, & inultus abiret.
Vtque leo, cum forte cauo digressus ab alto
Prospexit nitidum iuuenili ætate iuuencum,
Pascentem nemore in medio, & viridantibus herbis,
Duráque lunato ferientem robora cornu,
Aduolat; & dorso insiliens trahit unguibus vncis
Viscera; nec voces pastorum, aut tela per auras
Iacta timet; cessere canes; timidique magistri
Ilicet impasto prædam liquere vorandam.
Sic illum mortémque pijs, & sæua minantem
Vulnera, Gallorum Princeps inuasit; & alte
Extulit insurgens dextram: mediásque per oras
Ingentis clypei ferrum Goffredus adegit:
Abscidit ac subito totam quo vulnere læuam:
Semianimésque simul digitos, illi vsque micantes
Retractant parmam & ferrati roboris ansas.
Ast ictum ingeminans, Persæ subeuntis ab alto
Dextram humero penitus ferro decidit acuto.
Aufugiunt tunc vnà omnes: quibus vna tegendi

Cura fuit lateris frustra commissa ; labantem,
Dum defertur equo, & versantem in morte relinquunt.
Ceu cum forte leo teneros deprendit alumnos
Vbera sugentes Ceruæ, tectúmque cubile
Seruantes, miseros infregit dentibus artus:
Exhausitque animum calido cum sanguine ; quanquam
Mater abest propius: tetro tamen acta timore
Nullum illa auxilium coram pereuntibus affert.
Verum inter quercus fugiens, fagósque comantes,
Abdit se in nemorum densas tremefacta latebras.
Nec tamen incolumes tanto è certamine turpem
Corripuere fugam comites: sed pone secutus
Huic ensem per dorsum adigit: stomachúmque, iecúrque
Perfodit: auerso patet ingens pectore hiatus:
Vulnificúsque calybs per costas exit in auras:
Diuidit illi humeros: alij caput amputat: & se
Conijcit huc illuc: atque, vt vis atra corusci
Fulminis, & sæuæ rapientis cuncta procellæ,
Quæ nemus vmbriferum sæpe ab radicibus imis
Sternit humi, secúmque rapit tecta alta, domósque;
Non aliter, quacunque viam secat inclytus heros,
Iniecto fugat hostiles terrore phalanges;
Et cunctis infert nullo discrimine letum.
Cæde tamen tanta nusquam deterritus hostis,
Instaurátq; aciem; turmásque opponit; & vrget:
Hortatúrque suos: verbisque instigat acerbis
Turcarum princeps, & dux Solymanus. Equestres
Huc properate viri; vestrisque repellite victos

Viribus:

Viribus: excelsus quibus est obiectus Olympus:
Hinc lacus Ascanius: vastúmq; Propontidis æquor:
Intentúsque oculis Thracum regnator in omnem
Fortunæ aduersæ casum; fuga nequa patescat.
Audete. hanc vobis prædam Deus ipse parauit;
Si modo vos illos animis præstare potestis,
Quos ausi paulo ante mihi promittere, pugnæ
Vnanimes duce me primum certamen inistis.
Sic fatus multis madefactam cædibus harpem
Stringit; & instructo subeuntes ordine Belgas,
Quos Cimbri in pugnam soboles Rolonis agebat.
Cuius ab incursu magna virtute repulsus,
Vulneréque accepto, qua cassis ahenea collum
Ima tegit, pugna se se subtraxit ab acri;
Inque extremum agmen, collésque recessit in altos.
Tum vero campum Persæ liquere patentem
Præcipites; certámque fuga reperere salutem.
Multi etiam tergo Gallis instantibus vltro
Dedebant, turpique iugo, tristique premendos
Seruitio se se; sed nemo ex agmine tanto,
Quanquã humilis, quanquam supplex, seruatus ab vllo est.
Postquam igitur disiecti equites, fusique manipli
Persarum, campo penitus cessere patenti;
Heroúmque adeo voces, sonitúsque tubarum
Imposuere modum pugnæque, & cædibus atris,
Victores redeunt munita in castra Latini
Sub noctem; & vires recreant, vinóque, cibóque;
Et se se læti excipiunt; ac vulnera curant.

Aſt alij dulci perfundunt corpora ſomno;
Et partim obſeruant vigiles aditusque, viáſque
Excubiæ; fidiſque datur ſua teſſera caſtris.
Interea toto depellit ſidera cælo
Aurora, in roſeis fulgens exorta quadrigis:
Cum Dux, impoſita eſt vni cui cura piorum,
Mollibus e ſtratis opera ad Mauortia ſurgit
Impiger, & magnas hominum, diuumque parenti
Lætus agit grates: tacita mox voce precatur.
Summe pater cœptis oculos aduerte benignos:
Et laudem, noménque tuum tuearis; & vnum
Illud agas, quod ſemper agi, fieriq́ue neceſſe eſt:
Quò tua per cunctas vulgetur gloria gentes.
Et mihi poſt duros, ſuperant, quicunque, labores
Decurrendi etiam, pro libertate tuorum,
Da pacem æternam; da Cœli inuiſere ſedes:
Et quanquam indignum penitus, qui præmia vitæ
Tanta feram, tantos expectem abiectus honores,
Quæ tamen eſt in nos placidæ clementia mentis,
Reſpice me miſerans: & mentibus adde beatis.
Hæc humili dux Leucorum cum corde volutans
Loricam induitur: lateriq́ue accommodat enſem.
Quem quondam ſecum in pugnas, & prælia magnus
Imperij aſſertor Carolus, geſtare ſolebat;
Ingentem; cui ferri acies non vlla reſiſtat.
Mox præſe vultuque ferens animóque recentem
Lætitiam, egreditur: Gallóſque, Italóſque ſalutat
Vertice nudato, qui limina ad ipſa frequentes

Conſtite-

Constiterant tecti angusti: paulúmque moratus
Exit ad Addemarum (summi ius ille, vicémque
Pontificis cunctos inter de more gerebat)
Exit; & ad se se gratatum occurrit eunti.
Ergo vbi conuenere simul: faustúmque precati
Ire diem: prior Addemarus sic ore locutus.
Goffrede, hesterna, cui tot contundere pugna,
Et belli Deus, & pacis dedit arbiter, hostes;
Nos illi in primis fas est persoluere grates:
Euentúmque humiles cœptis orare secundum:
Hæc siquidem paritura sibi videt omnia laudem.
Mox socijs, dextra, quicunque armisque perempti
Turcarum, exanimes summo sua vulnera cœlo
Testati ostendunt, quamprimum incumbere humandis:
Et cunctis prece perpetuam deposcere pacem.
Corpora quo terræ glebis cooperta tegantur:
Aethereas donec rursus reuocentur ad auras:
Aeternum inter se vitam ductura beatam.
Intereáque animæ stellanti in sede quiescant.
His dictis iussere pios in aperta vocari
Templa sacerdotes: omniáque ex ordine primos.
Atque illi æterno postquam cecinere Tonanti
Consuetas laudes, grateśque egere; diei
Postera lux, cunctos luctu, lachrymisq; madentes
Cæsorum vidit passim pia corpora terra
Condere; & insessis tumulos increscere campis:
Et mæstas ferri exequias: queis rite solutis
Goffredus (nanque illum omnis stipata tegebat

Turba ducum) mæstos sic est affatus amicos.
Si mihi vestra foret socij male cognita virtus;
Et pietas spectata parum: quæ sola coegit
Linquere vos patriæ fines, natósque, patrésque,
Sedibus æthereis terram vt mutare liceret:
Conarer solari animos mærore labantes.
Quando igitur nihil est, mentes vt ad ardua vestras
Horter, & accensis quorúmque in pectore flammis,
Ad laudem stimulos pro se currentibus addam:
A nobis hic stare Deum, qui vindice dextra
Induxit sacri tam læta exordia belli,
Credite: victores cum prima excedere pugna
Contigit; & magnas Turcarum infringere turmas:
Felices peperere suo qui sanguine nobis
Spem tantam: atq; aditum ad Solymos strauere patentem.
Quod reliquum est, vos, ô socij, vos protinus vnum
Admoneo; curate pij ne pectore labes
Insideant vestro: & deturpent crimina mentes.
Unde hominum, diuúmque pater compulsus in iram
Auertátque oculos, & pœnas irroget æquas.
Nam quo res nobis primum felicius acta est:
Illius hoc magis insidiæ, fraudésque cauendæ:
Qui nos obscuras diri Phlegethontis ad vndas
Deceptos miserè secum deuoluere quærit.
Quanquam etenim dextris fidendum, & fortibus ausis:
Adscribenda Deo tamen est victoria: cuius
Freti ope barbaricum Turcarum euertere regnum
Conamur, Solymæque vrbis iuga soluere genti.

His

His dictis, iussique omnes assidere muris
Vrbis; & ad pugnam corpúsq;, animúmq; parare,
Crastinus ætherios cum sol recluserit ortus.
At Rex Persarum postquam virtute repulsus
Christicolùm; se se in montes, latebrásque recepit
Saucius; atque animo nimium iam fractus, & æger,
Constitit; innumeris ceu cum pater ignibus æther
Fulgurat, & magnum miseris mortalibus imbrem,
Obruere & niuibus terram: aut contundere vites
Grandine: vel belli tristes recludere portas
Apparat: & cæli sæuas denunciat iras.
Sic ille ingeminans suspiria ducit ab imo
Pectore: nec requiem tristi dat cura dolori.
Quem, quoties oculos amissæ obuerterat vrbi,
Tristis in immensum toties augebat: & auras,
Se miserum inclamans, questu rumpebat inani.
At quoties nostrorum acies insidere campo:
Nec temere huc illuc discedere ab ordine quenquam,
Ipsáque per noctem nullis splendescere castra
Ignibus; & nullo strepitu commota cieri
Spectarat: molem belli miratus, & vsum
Armorum insuetum, genibúsq;, & corde tremebat.
Ergo animum in partes varias dum diuidit: & se
Versat, vt obsessæ succurrat prouidus vrbi.
Alloquitur comites (comitum quæ turba Tyranni
Adstiterat lateri) Qua spe nunc fugimus, inquit,
Hostibus & nostris populanda reliquimus vrbis
Mœnia? quid superest, regno quin exuar omni?

Hæc prostrata solo nostri si claustra refringent
Imperij: & Syriæ fines, aditúsque recludent?
Quod si quem virtus Persarum exciret: & vrbem
Ingressus Gallos compesceret exultantes,
Bithynáque procul probiberet ab arce repulsos,
Sperarem lectis iterum, quæ multa supersunt,
Auxilijs, opibúsque meis ferróque, faméque
Absumpturum omnes: & funera sæua daturum.
Obtulit hic nemo se se tam magna petenti.
Sed victi tacuere metu. spes irrita nanque
Defendendæ vrbis de pectore cesserat ollis.
Sola inter Persas Tomyris stetit ausa: suam quæ
Præcipiti à cursu generosa represserat alam.
Ipsa ego me, quæcunq; (inquit) fortuna sequatur,
Tentaturam aditum nunquam, Rex magne, negabo
Occlusum excubijs circum, vigilúmque corona.
Tu vero, quæ mox instant facienda, videto.
Tum Rex Persarum lachrymis, sic fatur, obortis.
O nostri Tomyris columénque, & gloria regni,
Heroinarum soboles certissima matrum:
Quas ego, pro virtute ista, pro talibus ausis,
Gratus agam grates? non, si me maximus orbis
Terrarum accipiat dominum, regémque salutet
Ipse suum, sperem donis æquare laborem
Posse tuum: sed quod superest gratissimus illud
Præstabo. vt tantæ memorem me prædicet ætas
Virtutis, quæcunque instat, quæcunque futura est.
Hæc ille; & iam se Hesperijs sol merserat vndis:

Et tene-

Et tenebris terras nox prima inuoluerat atris:
Gallique, Ausonijque omnes à cæde reuersi
Seruabant aditus: ne quis speculator in vrbem
Ingressus, Turcas exhortaretur, vt arma
Vnanimes caperent: spémque in virtute locarent.
Ergo illa, vt facinus cunctis memorabile sæclis
Ederet: ac famam, noménque attolleret astris;
Ipsa suas comites ad se vocat. Harpalycémque,
Nanidáq;, & Rao, & celebrem præstantibus ausis
Pisidicem, & cursu solitas præuertere ventos,
Anthippémque, & Larissam, pulchrámque Epicastem,
Atque alias, quas illa omnes experta fideles
Nouerat in primis bellorum ad furta paratas:
Atque vbi conuenisse videt: sic ore locuta est.
Cernitis ò sociæ, qua res perculsa ruina
Nostra labet: quantis hostes legionibus vrbem
Nicæam obsideant: latis quot funera campis
Nostrorum ediderint. superest vix vnus, & alter
E ducibus, quorum dubijs spectata periclis
Consuerat virtus, ceu frondes concita venti
Vis prosternit humi, densas aperire phalanges,
Aeréque fulgentes equitum diffringere turmas.
Sic placitum fatis. & nusquam nostra tuenti
Abdaridæ: dum saxa colit scopulosa Mochurę:
Et se se Arabijs felix oblectat arenis.
Stat tamen aduersę fortunę opponere pectus:
Et niti quacunque via, ne funditus omnes
Has euertat opes, Solymanúmque improba regno
Exuat:

Exuat: & patrijs Turcas, quicunque superſunt,
Finibus extorres alieno iactet in orbe.
Quando igitur turmiſque ſuis, & viribus hoſtem
Acriter inſtantem nobis, letúmque ferentem
Suſtentare minus valuit: via certa ſalutis
Vna hæc ſe nobis nunc tantum oſtendit, & offert:
Nicæam ſi noſtram animis, & fortibus auſis,
Quam circum oppugnant, tutari audebimus vrbem:
Inque fide retinere: morámque afferre Latinis:
Quo minus vlterius tendant: Solymáque potiti
Arcibus in ſummis victricia ſigna reponant.
Atque hoc qua fieri poſſit ratione, docebo.
Eſt via per medios calles occulta, maligno
Anfractu: Aſcaniam quæ ducit adúſque paludem:
Nulli nota nimis peditiue, equitiue: ſed inter
Horrentes dumos quamuis ſalebroſa, laténſque:
Et mihi venandi longa aſſuetudine, & vſu,
Cum ſæpe in ſyluas ibam incomitata nigrantes,
Trita ſatis, ſeu clara dies detexerat orbem,
Seu nox ingenti terras obduxerat vmbra.
Hac ego, ſi Gallis incuſtodita patebit
Pars ea, qua tacitis tectus datur exitus, vrbem
Protinus ingrediar: ſin autem obſeſſa negabit
Introitum: Aſcaniam demittere corpus in vndam
Haud pigeat, nandóque vrbis prope mœnia ferri.
Quo ſe noſtrorum ſuerunt inferre carinæ
Incuruæ, & populo dites exponere merces.
Hic ſi me incolumem rerum ſors proſpera ſiſtat,

Nil

Nil vereor, quin acceptæ pars maxima cladis
Christicolûm genti penitus cadat irrita: & omnem
Vincendi spem præcidat: Syriáque relicta
Europam cogat, patriósque reuisere fines.
Nanque vrbe ex ipsa pulsis, quibus vnus Iesus
Est Deus, & nostri per vim dominantur iniquis,
Nullæ vsquam insidiæ nobis, vis nulla timenda est
Præterea, exitium rebus quæ triste minatur.
His dictis: visa est oculis effundere flammas:
Et simul instantis tenebras depellere noctis.
Obstupuere animis comites. atque æquoris instar,
Cum fremit, exigua si summum impellitur aura,
Horruit ipsa cohors: reliquisq; silentibus vna
Erippe, ante alias Tomyri fidissima: Tantum
Quæ facinus non laudet? ait; quæ nam tibi sese
Deneget egregij sociam male grata laboris?
Ipsa ego per latebras nemorum, per aperta viarum
Strata sequar: non me tecum remoretur euntem
Ipsa palus: quamuis pelagi se fluctibus æquet:
Et penitus Zephyris, Eurisque agitata dehiscat.
Vix has ediderat fidenti ex ore loquelas
Erippe, & reliquæ simul assensere sorores,
Parendi studiosa cohors, deuotáque morti
Pectora, cui comitem se gloria protinus addit;
Gloria magnanimis ingens hortamen, & acer
Fortiter audendi stimulus. concordibus inde
Carpere iter cæpere animis; tectæque per vmbram
Obscuræ noctis, pérque auia collis iniqui

Ad

Ad ripam venere lacus. prope mœnia, quantum
Cressa leuis iactu metiri sueuit arundo.
Hac (inquit Tomyris) quoniam præclusus ab omni
Parte alia est aditus, nobis fallantur oportet
Perpetuæ vigilum excubiæ: quæ mœnia circum
Obsedère vrbem: & densa cinxere corona.
Audendum est. res euersas audacia sæpe
Subleuat, ignauos odit fortuna, Deúsque.
Nec, nisi qui patitur vinci se, vincitur vllus.
Vos mecum, ò, sociæ, Tanaímq; Istrúmq; tumentem,
Atque Boristhenias vndas, amnémque Diaspem,
Et vada Mæotis nando tranastis, & hosti
Ante expectatum castra opposuistis: agrósque,
Et sata victrices vastastis: & oppida ferro.
Non aliàs animis, quam nunc, magis vsus auitis:
Non manibus rapidis: nandi non arte magistra:
In Scythia primis cui iam assueuistis ab annis:
Horrida cum glacies ventis astricta, niuésque
Riphææ, & gelidis loca circumfusa pruinis,
Quæ reliquis afferre moram sueuere, metúmque,
Vos vnas ad Martis opus, bellique labores
Discendos iam tum velut opportuna vocabant.
Eia agite: & vosmet mecum demittite in vndas.
His dictis: præceps ab equo defluxit Amazon:
Armeniámque humeris tigrim deiecit ab altis:
Et pulchros membrorum artus, pulchrósq; lacertos
Exuit: & nudo consistit corpore in acta.
Tum pharetram tergo, peltámque accommodat, inq;

Vno

Vno eodémque ſimul coniungit faſce ſecurim
Ancipitem: & læua ſinuoſum corripit arcum:
Ingrediénſque omnem proiecti littoris oram
Exuperat pedibus: donec ſe ſe æquore merſam
Nutricum tenus eſſe videt: tum nanque profundos
Incipit hinc atque hinc plantis impellere fluctus:
Extet vt ingentis totius pectoris auctus:
Cætera pellucens ſumma lacus integat vnda.
Illicet illam etiam certatim imitata ſororum
Tota cohors, claram nando ſecat acta paludem.
Atque hæc nunc ſequitur, totum nunc præterit agmen:
Et dominæ gaudet ſe ſe oſtentare natanti.
Vt cum ſemifera verrentes æquora cauda
Piſtrices, vada ſalſa ſecant, epuláſque requirunt.
Vtque etiam tranare ferunt maris alta repoſti
Channibales: pedibúſque atros euincere fluctus:
Et nantes calamis miſeros configere nautas.
Ac iam iam chorus omnis eò peruenerat; vnde
Excubijs Gallos poſitis obſidere iuſſit
Mœnia Goffredus: quos tunc innubilus æther
Diſpergens terras ſubluſtri nocte patentes
Prodidit: & media tacitas detexit arena
Bellatricum oculis: ergo ſtetit agmen: & arcu
Ante alias omnes Tomyris conuerſa ſagittam
Impoſuit, iecítque ſimul: fugit illa per vmbram
Noctis, & in iugulum vigilis delata, recluſit
Faucis iter: qua triſtem animam cum ſanguine fudit:
Labitur infelix, dum vocem mittere tentat,

Mutus

Mutus humi; atq; atram trepidis contundit arenam
Calcibus, & littus moriens petit ore cruento;
Sors eadem alterius; cuius procul inde tuentis
Forte locum, ſubito medium per pectus adacta
Transfixit cordis latebras letalis arundo.
Mox alium Lampedo: alium Marthesia virgo
Deijcit: & ripam viduant custodibus omnem.
Vt videre igitur nullum ſupereſſe, profundo
Qui ſomno exciret reliquos; & ad arma vocaret:
Quò fors læta vocat; Polymela quid impedit, inquit,
Quo minus egreſſæ deſertam in littoris oram,
Ilicet ad cædem cunctę properemus inultam?
Et nostras multo ſaturemus ſanguine dextras
Securi dum quique iacent in gramine; dúmque
Corpora ab externo recreant deſeſſa labore?
His dictis: alacres ripæ adnauere relicto
Gurgite: &, vt rabidę ſuerunt ad ouilia tigres
Pergere, ſiquando rabies agit improba edendi,
Protinus inuadunt lati tentoria campi:
Et primum impacta fronti Regina ſecuri
Axylum perimit: Druidum qui ſanguine cretus
In Remis, inter ciues ſe primus agebat:
Diues inexhauſtis argenti, aurique metallis.
Quique opibus multos aleret: bellique, domique
Splendidus: & nunquam non hoſpes amabilis vlli;
Siue is ab externis ad ſe diuerteret oris:
Siue ille e media conuiua accederet vrbe:
Ignotus, notuſue: omnes nam lætus eodem

Et

Et vultu accipere, & dignari fuerat honore.
Quorum non vlli proflantem è pectore somnum
Femineæ miserum tum subtraxere bipenni,
Nec fratres non longe illinc iuuere cubantes.
Huic etenim læuam ferrum librauit in aurem:
Fundentémque animam media inter strata reliquit:
Illi autem assurgens resupinum in guttur adegit
Immitem chalybem, atque humeris exemit vtrisque
Vno eodémq; ictu cæsum caput; inde Lycarbam,
Atq; Hypanim, atq; Lycum mensæ, thalamiq; ministros,
Et fidum in primis custodem ad limina Obellum
Interimit: neq; parcit Hylæ: quem pulchra Telimno
Hercinijs furto conceptum in vallibus imis
Progenuit, formæ notum præstantis honore:
Et patri in bellum Coto commisit eunti.
Coto Tectosagum regi: quo iustior alter
Nusquam erat in Gallis, nec qui, si forte pedestres
Insiarent pugnę, violentior iret in hostem.
Verum huic non virtus belli testata, domique
Profuit, aut illi pulchrum decus oris honesti.
Quando ambos; eadémq; manus, visq; aspera ferri
Perculit: atque eadem somno nox vna perenni
Obruit; & cędem miscens natique, patrisque
Hostilem amborum tepefecit sanguine terram,
Addidit his alium, atque alium metuenda virago:
Dręsúmq;, Astyalúmq;, Antebrogiúmq; nouarum
Rixarum auctorem: cœptúmque ad nobile fama
Accitum Androgeum: Rheni cui sceptra bicornis

Detulerant Bataui; & certa se lege regendos
Vangiones dederant, dextrisque, animisque feroces.
Ac tunc vnanimi Gallos in bella secuti
Assensu, communem hostem depellere Turcam
Finibus e Syriæ, Solymáque ex vrbe volebant.
Fecissentque alacres: illa nisi Rege perempto
Nocte ducem sibi præficerent: cui turbida fandi
Copia: cui male sana fides, ancépsque voluntas
Suasit vt in patriam spreta pietate redirent:
Nec rediere tamen: quando discordibus inter
Se se animis acti, partim morbóque, faméque.
Et partim absumpti periere hostilibus armis.
Nec minus in reliquos somno, vinóque sepultos
Fœmineæ sæuire manus; Larissa Pharacem:
Antippe Lyrcum; Rhobium Polymela; Lamumque
Pisidice; Lamyrum Celtine; at Nanis Asylam
Sustulit: Arcentem Rhæo; Caneumque Epicaste:
Harpalyce Piasum: pectus Menalippa Phayllo
Recludit misero: iustas qui coniugis iras
Vt fugeret, procul à patrijs discesserat oris:
Abducens secum turpis mala gaudia lecti:
Oblitúsque sui, cælestis & immemor aulæ
In gremio pulchræ lætus recubabat amicæ.
Infelix: tantam qui nunquam e corpore labem
Eluere, atque animum stellis inferre parasset.
Ergo ille, exanimis dum multo sanguine lectum
Commaculat, mollem manibus perquirit amicam.
Illam autem somno excitam, & clamare volentem

Occupat

Occupat Erippe: faucésque elidit; &, Haud tu
Digna, ait, es nostræ cædant cui colla secures.
Sic morere: atque vna bellis, castrísque relictis
I comiti comes vsque tuo: quémque ipsa secuta es
Pérque niues glaciésque atras, ne desere amantem.
Vix hæc ediderat secum, cædémque parabat
Inde aliam atque aliam, tacito cum murmure Nanis
Conuersa in Tomyrim, Satis est Regina, supérque
Pænarum exhaustum: iam iam pars vltima noctis
Instat, ait, vigilésque alios vocat hora, locúsque
His dictis auidas reuocant à cæde sorores.
Et ripam repetunt, vnde excessere, lacúmque.
Protinus ingressas portu Nicæa recepit:
Lætáque sublimis reclusit limina portæ.
Illæ, vbi victrices vrbem intrauere patentem
Cæsorum contis capita affixere virorum:
Quæ post sublimi protenta è vertice muri
Inspiceret longe Gallorum exercitus omnis.
Interea nox atra nigris inuecta quadrigis
Hesperium pelagi properans descendit in æquor.
Et sol exorto vestiuit lumine terras.
Iámque duces Gallíque omnes, fortésque Britanni,
Atque Itali excierant stratis è mollibus artus
Visuri stragem vicino in littore factam.
Ascaniæ igitur ingens concursus ad vndas:
Et singultantes etiam tum sanguine truncos.
Ingentem cædem, atque immania vulnera, & ipsa
Mirantur Scythicis infracta securibus ossa.

Mox etiam turrita oculis ad mœnia versis
Vna omnes capita arrectis miserantur in hastis:
Absumptósque dolent socios furtóque, dolóque.
Quorum aliquis, Non tempus, ait, lugere; sed acres
Sumere de victis pœnas: & vertere ab imo
Mœnia barbariç dirum testantia morem;
Et scelus infandum procliuis ad impia gentis.
Hęc dum illi inter se, summis è mœnibus hostis
Męrentes animos dictis irritat amaris:
Turpiáque in cunctos iactat conuicia Gallos.
Eia agite, ò, viles animę, quę nostra relictis
Finibus Europę regna appetijstis, opésque.
Quis vos torpor habet? quid statis inertia terrę
Pondera? cur muris iam non succeditis? atque hęc,
Hęc si delectant oculos spetacula vestros,
Aspicite; & posthac miseri sperate futurum;
Mœnia vt exornent tales vallata coronæ.
Hæc vbi sacrilega fudere opprobria lingua,
Tormento capita imponunt abscissa piorum:
Inque acies circumfusas (miserabile visu)
Eiaculantur, adhuc tętro manantia tabo.
Tum vero ignescunt irę; & dolor ossibus ardet
Christicolum; scalásq; petunt; pugnámq; lacessunt
Eminus, in muros iacientes tela, facésque.
Atque vtrinque cadunt multi; cadit optimus inter
Insubres clari soboles generosa Triulci
Ixander, iaculum in turrim dum librat, & Ilum.
Deijcit exanimem, nec toto vmbone tuetur

Ipse

Ipse sibi cautus læuum femur: vnde furenti
Traiectus cornu, letali concidit ictu.
Quin etiam Phrearus claro de sanguine natus
Hic, vbi Taurinos inter depressior vnda
Eridanus se cælo effert gratissimus amnis,
Concidit immiti perculsus tempora glande,
Dum nostros reuocat gladiisque, animisque furentes,
Conantésque manu frustra diuellere murum.
Ast alia de parte Darin, dum vulnera ab alta
Turris inaccessæ parti subeuntibus infert,
Pondere saxorum ingenti, leuibúsque sagittis,
Scorpio in aduersum veniens traiecit: & arce
Præcipitem à summa deiecit ad ima; capútq;
Ille cadens affixit humi; saxúmque cerebro
Dispergens multo tepefecit sanguine terram.
Quin etiam Alcimedon, cuius virtute, manúque
Stabat adhuc res Turcarum, Nicæáque se se
Clausa tuebatur, multis dum pectora verbis
Excitat Abdaridum, & nostros procul vsque repellit,
Transfixus iaculo vitámque, vrbémque reliquit.
Ac, nisi nox densis pugnas exorta tenebris
Diuideret, scalæ potuere ad mœnia ferri
Illa ex parte suis iam defensoribus orba.
Quanquam incredibili populum terrore labantem
Firmabat, pugnámque acrem integrare iubebat
Accurrens Tomyris. Ne vos, ne terreat, inquit,
O, toties dubijs iam cognita pectora rebus,
Vnius iactura animæ; nec stare putate

Regna una hac tantum nobis suffulta columna:
Vt si fracta cadat, secum conuulsa ruina
Cuncta trahat sic, vt nusquam spes vlla supersit.
Talia vociferans ad propugnacula rursus
Murorum, & turres populum se ferre coegit,
Excubiisque vrbem, & lecta statione tueri,
Dum septem ostentat cælo nox clara triones:
Et densæ inuitant bellorum ad furta tenebræ.
At Graium Dux Thatinus, cui prospera rerum
Tantarum attulerant ingentem euenta dolorem,
Postera cum primum primis orientis ab oris
Orta dies animos generosa accenderet ira,
Et consueta Deo soluisset vota sacerdos,
Heroum cætu in medio sic farier infit.
Dum circumsessam varijs assultibus vrbem
Vrgemus, frustráque aditus tentamus iniquos,
O fratrum generosa cohors, cecidere perempti
Bellantum innumeri; nec non procerúmq; ducúmq;
Pectora multorum fortissima; nec tamen vlla
Spes est sublimes nos posse ascendere muros
Audendo: & clausis robusta repagula portis
Vellere; & effractis euertere mœnia claustris.
Ergo ego, si veri quidquam mens augurat, & me
Debellandi artem certi docuere parentes,
Inuictique duces, hostem obsidione premendum
Censeo: & à pugnæ dubio certamine nostros
Arcendos: dum plebem aliquid penuria cogat
Audere, atque vrbem trepido miscere tumultu.

Nec longum in medio tempus; ni me mea fallit
Spes oblata animo: iam iam populúmque, patrésque
Dira fames armis adiget se dedere vestris.
Quando omnes à terra aditus obsedimus ipsi:
Occiduáque à parte lacus: qua mœnibus vnda
Affluit: & clausam fruges importat in vrbem.
Præterea aduenient instructæ armisque, virisque,
Littora quæ circum inuadant opulenta, triremes,
Ostiáque Ascaniæ claudant obsessa paludis,
Accitæ tales, ceu vos monuistis, ad vsus.
Hæc postquam Graium simulata mente locutum
Sensere Heroes: quo Rex sibi Turca priores
Et res, & vires posset reparare morando,
Sic dux Goffredus contra est ingressus. Amicum
Consilium, Thatine, tuum: quibus vnica vitæ
Parcendi cura est; stimulos & gloria nullos
Præmia ad æternæ subdit quærenda salutis.
Nos autem, quorum votis optatius vllum
Euenisse nequit votum, quam sanguine fuso
Ire ad conspectum diuúmque, hominúmque parentis,
Iure omnes minus esse pij gratíque putemur,
Ignaui socijs hic si sedeamus inultis:
Qui, promissa suo si tempore classis adesset,
Nunc etiam humanæ fruerentur lumine vitæ.
Verum hæc ille, oculis qui nostra hæc aspicit æquis,
Viderit omnipotens fandi memor, atque nefandi.
Ille vnus tum præcipue, cum quis fore pœnæ
Se putat expertem, scelerum certissimus vltor.

His dictis: iubet armatos astare maniplos:
Et secum pariter scalas afferre paratas,
Quémque suas. tum missilibus, leuibúsque sagittis
Proturbare hostem, & summo depellere muro.
Illi alacres sese expediunt: pugnámque lacessunt
Eminus: & iaculis, & glandibus aera complent.
Contexta interea circum latera omnia dura
E larice, iniectos quæ machina respuat ignes,
Tutáque contemnat saxorum pondera, & ictus,
Arietat in muros: & firmas obijce portas.
Partim etiam mole ingenti, & testudine tecti
Fundamenta altæ properant excindere turris:
Atque aperire viam: cupidus qua miles in vrbem
Irruat, & summa pellat de sede tyrannos
Abdaridas: Christóque Deo reddantur honores,
Dira superstitio versis quos sustulit aris.
Dumque oculos intenti omnes, atque ora tenebant
In turrim, & muros, contorta Falarica venit.
Ac Tomyrim, celeres iacientem in castra sagittas,
Multáque letali miscentem funera dextra,
Perculit, exhausitque illi cum sanguine vitam.
Ingemuit virgo subita collapsa ruina.
Et secum vnanimę simul ingemuere sorores,
Larissa, Harpalice, Nanis, Polymela, Epicaste,
Et dominæ comes vsque suæ fidissima Rhæo:
Erippe ante omnes. Tomyrim namq; illa cadentem
Cum procul aspiceret. Tecum, ò mihi semper amanda,
Quo te cumque feres, veniam, Regina necesse est.

Nec

Nec mihi si pugnæ fortuna pepercerit (inquit)
Victrici, aut victæ ferrum hoc & dextera parcet.
Ast alia ex illis: Ut me sors prospera rerum
Deserat, haud vnquam virtus generosa relinquet.
Dixit, idemque omnes vna cum voce probassent.
Ensibus incubuere suis in pectus adactis.
Fecerat interea turris collapsa ruinam:
Et Gallis, Italisque aditum patefecerat amplum.
Cum pius Eustachides populum miseratus inermem,
Tendentémque manus vltro, veniámque petentem
Supplicibus verbis, Italos, ij namque volebant
Per medias turris, murorúmque ire ruinas
In Turcas, se seque auro ditare reperto,
Continuit, iussitque omnes in castra reuerti,
Pollicitis implens cunctorum ingentibus aures:
Dum metuit, ne forte vnà cum gente rebelli
Christicolæ in cædem misti rapiantur acerbam.
Ergo omnes abeunt retro, prædámque paratam
Sedatis linquunt animis; mox inclytus armis
Leucorum Princeps Regi, cui Græcia paret,
Vrbem compositis rebus concessit habendam.

PETRI ANGELII
BARGAEI

SYRIADOS
LIBER IX.

AT Rex Turcarum primo certamine victus,
Quanquam vrbem regni ſedem totius, & arcem
Amiſiſſe dolet, triſtéſque in pectore curas
Concipit, auxilijs Perſarum exutus amicis,
Euerſiſque Aſiæ rebus, tamen vſque dolorem

Diſſi-

Dissimulat vultu; secúmque affatus euntes
Hortatur, verbisque animos exuscitat acres
In bellum: & rursus vires festinus, opésque
Instaurare parat. Quid enim casúsque, diésque
Non afferre potest sperantibus? inquit, & vltro
Quicunque aduersis potuit succumbere rebus,
Ille iacet merito fortuna oppressus iniqua:
Nec regnare decet, nisi quem non deserit vnquam
Imperij virtus semper fidissima custos:
Qua nos prateritę sarcire incommoda pugnę,
Acceptámque ignominiam depellere fas est.
Atque, hoc ne quenquam fallat, prouidimus ipsi,
Nam, quęcunque vrbes nostra ditione tenentur,
Millia multa virum nemorosa ad Dyndima cogent:
Quos Lycus, & Sagaris, Peniúsq;, Hipanisq;, Cratésq;,
Quos Hermus, quos Pactolus, quos amne Caicus
Alluit vndoso, & viridanti gramine pascit.
Non deerit, qui saxa Cilix colit aspera, quiq;
Flumina Corycij pôtat frigentia montis;
Docti omnes arcu celeres torquere sagittas.
Atque illos, quoniam tanti pręnuntia casus
Sedibus è patrijs exciuit fama propinquis
In Galatis posuisse ferunt iam castra; nouémque
Vix iter à nobis absunt semota dierum.
Sic ait; & fidis circum stipatus amicis
Antetulit celeres latebrosam ad Gorgona gressus;
Vallem aptam insidijs, latrocinijsque frequentem;
Quo parte ex omni numerus se contulit ingens

Bellatorum equitum; Persæ qui iussa tyranni
Vnanimes faciant, victúmque in sceptra repônant,
Et tota ex Asia Gallos depellere tendant.
Nec minus Eustachides, postquam sua præmia cuiq;
Detulit, & magno laudum decorauit honore,
Quos virtute animi, manuúmq: excellere nouit,
Edicit cunctis, & equos, & corpora curent,
Et sese expediant; vt cum tuba martia signum
Prima dabit post exactos bis quinque dierum
Anfractus, propere cœptis ingentibus instent,
Atque animos aptent armis, vbi postulet vsus,
Et res ipsa loco se se ostendátque, vocétque:
In primis autem in templis castéque, piéque
Omnia sint operata Deo, mox ordine longo
Post actas grates hominum, diuúmque parenti,
Castra sacerdotes laudes de more canentes
Circumeant, & mente pij, votísque precentur
Aeternas mentes cœlesti in sede receptas;
Vt res respiciant Gallorum, & cœpta secundent.
Nec mora. conueniunt lecti iuuenésq;, senésque
Carmine qui grates dicant, diuináque longe
Facta ferant; vt mira volens effecerit olim
Aegypto in media, monstrísq; agitauerit vrbes:
Vt populum nube intectum defenderit æstu:
Noctis & in tenebris claro præluxerit igni:
Disciderit pelagus, liquidásque coegerit vndas
Hinc atq; hinc, veluti geminas consistere rupes:
Atque illac siccis pedibus seruarit euntes:

Aren-

Arentémque manu scopulum sitientis eremi
Diffiderit. laticésque in morem eduxerit amnis
Vndantis: Tu diruptis e nubibus escam
Cælestem in medijs miserans descendere castris
Fecisti; tu nimbosis e partibus Austros
Excitos, secum vim tantam afferre volucrum
Iussisti omnigenum, numerus vix quantus arenæ est:
Quiuerit vt iam quisque famem sedare, sitímque.
Te Phariæ timuere acies; gentésque rebelles
Finibus e patrijs longe fugere relictis.
Te pius Abramidum populus per inane tonantem
Suspexit, legémq; tuam, tua iussa secutus,
Post varios casus, delecta in sede quieuit.
Te duce nos etiam sæuos prostrauimus hostes;
Inque metum, turpémque fugam, quicunque supersunt
Compulimus; captámque tibi patefecimus vrbem.
Tu Rex, & Deus es noster; tua dextera nostrum
Robur; quo freti Turcas inuasimus acres.
Adsis, ò, placidúsque iuues, & cœpta secundes:
Vnde tibi æternum meriti soluantur honores.
Talia carminibus celebrant iuuenésq;, senésque
Alternis; resonátq; pijs clamoribus aer.
At bonus Eustachides, perfectis ordine sacris,
Ausonios, Gallósque duces, acrésque Britannos
Imperat acciri; lætaq; accumbere mensæ.
Complerant quam tosta suum, pecudúmq;, boúmque
Tergora; & e viridi liquentia vina Donysa.
At postquam ieiuna fames depulsa, sitisque est;

Et me-

Et meritas egit grates pius ore sacerdos
Astrorum regi, atque hominum, diuúmque parenti;
Bencius innexus crinem Parnasside lauro
Astitit; & citharæ percurrens pectine chordas,
Aeternas laudes, & facta ingentia cantat,
Delectósque duces, genus alto à sanguine Abrami:
Ante alios omnes Iosuem; Qui certa secutus
Iussa Dei, Isacidas Iordanem primus ad amnem
Duxerit, anteferens diuini fœderis arcam.
Ac tum flumen aquis latum compleuerat alueum
Et pronum rapidos fluctus voluebat in æquor.
Vixque adeo in primis vestigia fixerat undis
Casta manus seniorum oneri delecta ferendo,
Cum stetit in faciem montis (mirabile visu)
Intumuitque vadis superi pars fluminis; & se
Sustinuit veniens: pársque infera præpete lapsu
Defluxit fugiens, ripásque reliquit inanes,
Et siccum calcare solum dedit arida fundi
Glarea, quà fluidum cimbis iter esse solebat.
Nec prius omnipotens genitor decurrere pronas
Siuit aquas, populi series quam tota per alueum
Arentem ingrediens, posuit Iericuntis in agro
Castra, sub excelsis munitam mœnibus vrbem.
Vltima quæ tandem sexti post lumina solis
Arietibus nullis, nullo testudinis ictu,
Nec terræ ex imis vento erumpente cauernis,
Dum magno clamore virum, clangore tubarum,
Et flictu armorum totus circunsonat aer,

Procubuere

Procubuere solo subita collapsa ruina.
Pérque illam ingressi dant stragem, & funere mersant
Omnia; nec cuiquam victrix manus, iráque parcit.
Mox canit, vt sæuo vastauerit oppida bello;
Inque fidem, verbis, lachrymisque rigantibus ora
Inductus, celebrem Gabaona acceperit; vtque
Inde Palæstinas fidens inuaserit arces.
Quo trepidi terrore duces, populique potentes
Accierint magnas equitum, peditúmque cateruas,
Funditus Isacidas bello delere parantes.
Sed pater omnipotens, cui nusquam exercitus vllus
Obstitit, aut lectas potuere opponere vires
Regna suas, imbrem lapidum coniecit ab alto
Aere; & hostiles infregit grandine turmas:
Comminuitque acies: quas vt deleret ad vnam
Nuniades, medio se sol remoratus Olympo
Constitit, alipedésque repressit Luna iugales
Ipsa suos, cœli requiem mirantibus astris,
Et lucem insueti terra metuente diei.
Ergo ijs excisis legionibus, addit, vt omnis
A Casio ad Taurum, magnique Euphratis ad vndam,
Quà se se late regio pulcherrima pandit,
Cesserit Abramidum tum primum in iura, fidémque.
Hæc dum suauidico complectitur omnia cantu
Bencius, ingeminant lætum conuiuia plausum:
Et numeris Galli acclamant, Italique sequuntur.
Inde omnes læti consurrexere: diémque,
Quam longum, vnanimes per castra, vrbémq; vagantes

Inuiſere pij, ſi quos oppreſſerit acer
Morbus, & acceptum primo in certamine vulnus
Languentes molli cogat decumbere lecto.
Hóſque ope præſenti & verbis ſolatus amicis
Euſtachides, omni cura, ſtudióque ſalutem
Procurare iubet, ſe séque accingere cœptis,
Quæ reſtant: vrbem vt Solymam, ſanctúmq; ſepulchrũ
Seruitio eripiant, diraque tyrannide gentis.
His dictis ibat laudum ſpectator eorum,
Inſtiterant dura qui ſe exercere palæſtra:
Aut campi ſpatium celeri tranſmittere curſu.
Flectere equos, vibrare haſtas, attingere ſignum
Depulſa ex arcu, neruo ſtridente, ſagitta.
Immo etiam arentes dum ſol altiſſimus agros
Vreret, & magnos tenuaret feruidus amnes,
Intererat lætus, ſi qui ſuper æthera diſcum
Triginta iacerent æquantem pondere libras:
Spectabátque libens, ocreas quos reddere leues,
Et galeas terſa rubigine viderat atra.
Addebat ſe ſæpe etiam comitémque, ducémque
Cœtibus inſtructis iuuenum, qui comminus apros
Aggreſſi inuadunt, timidóſque ad retia ceruos,
Aut celeres Onagros, canibúſq;, & vocibus vrgent.
Interdum accedens, lætis hortatibus illos,
Qui contecti armis fluuios innare rapaces
Certarent, auſique eſſent tranſmittere fluctus,
Qua patet Aſcanius ſpatioſi gurgitis alueus,
Implebat: partúmque datis cumulabat honorem

Muneribus,

Muneribus, pulchræ quæ cuique cupidine laudis
Inflammare animos, & in hostem impellere possint.
Hos inter ludos, euentáque prospera rerum
Orta dies aderat, qua castris vellere signa,
Incœptámque viam miles procedere iussus.
Cum pius Eustachides primos in tecta vocari
Gallósque, Ausoniósque duces, fortésque Britannos
Edicit; cunctósque inter mox talia fatur.
Iandudum ò fortes, concordia pectora, fratres,
Sumpsimus optatæ quantum requietis, & otij
Sit sumpsisse satis. nunc nos insistere oportet
Cœptum iter, & sanctam Solymorum tendere ad vrbem.
Sed quoniam superanda manu multa oppida, multi
Prosternendi hostes, adeundique ante labores,
Nósque Palæstinis via longa excludit ab oris,
Consulite in medium, qua nunc ratione moueri
Castra per infidas gentes, populósque feroces
Expediat, quoque ipsa modo largissima victum
Pabula suppeditent, festiuáque copia frugum:
Qua sine militiæ nusquam non irritus vsus:
Non vires animi solitas, non membra tuentur.
Hæc pius Eustachides placido sic ore locutus
Consedit tacitus: reliquisque silentibus vnus
Attius heroum proles generosa potentum,
Euganeósque inter claræ regnator Atestis,
Surrexit: vocémque audax, atque ora resoluit.
Maxime Gallorum, soli cui detulit in nos
Imperium virtus belli spectata, domique,

Te

Te duce, ſiqua inſtant tantis incommoda cœptis,
Aeternum nobis parient in ſæcula nomen,
Famáque, depulſis Solyma de ſede tyrannis,
Exciet ad laudes nunquam moritura nepotes:
Pergamus. noſtris nil non ſuperabile dextris.
Quanquam etenim longámq; viam, duróſq; labores
Et morbos, dirámque famem impendere, ſitimque,
Ac varios cœli caſus, æſtúque, gelúque
Scimus, itérque hoſtes noſtrum obſeruare rebelles;
Attamen hæc, quæcunque animis præſtantibus vſi
Pertulimúſque alias, & nunc ventura feremus.
Forſan & euenient multo leuiora; metúmque,
Qui nunc noſtra acri pertentat pectora cura,
Succeſſus rerum felix oſtendet inanem.
Pergamus. Deus ipſe ſuos non deſerit vnquam.
Attius hęc animis longe præſtantibus heros.
Quem poſt principibus comes additus Europæis
Thatinus, cui Threicij mens nota tyranni,
Cogitat aſſidue fraudem; Non fallitur (inquit)
Qui ſe cunque Deo fidens committit, & vnum
Eſſe putat, cuius tutos nos dextera reddat.
Nec tamen eſt hominum generi prudentia fruſtra
Inſita; qua freti triſtes euadere caſus,
Et lapſas res in melius reflectere ſuerunt.
Quando igitur iam victi hoſtes Bithynide terra
Ceſſere, & campos nobis liquere patentes,
Ne bellatorum tot millia tentet egeſtas,
In geminas hinc iam partes exercitus omnis

Diſſociatus

Dissociatus eat. Lydos petat illa, Phrygésque,
Auriferumq; Hermum, pulcrásq; accedat Hypæpas.
Mox Lycia egrediens Selgę consîdat in aruis.
Hęc autem interius, magnę quà Dindyma quõdam,
Et cantu & buxo celebrabant orgia matris,
Atq; inter viridem Cybelon Phrygiásque Celęnas
Tendat iter recta; pérque arua feracia fines
Mopsopios, tractúsque adiens populetur Isauros;
Inque Lycaonię cultos se transferat agros.
Hinc autem coniuncti omnes iuga montis Amani
Conscendemus; & Antiochi de nomine dictam
Incolumes, pręeunte Deo, veniemus ad vrbem.
Vrbem auro ditem, fęcundámque vbere gleba.
Dixerat hęc Graius simulato pectore ductor,
Quo bellatorum disiuncta potentia se se
Frangeret, ac tandem penitus deleta tyrannum,
Quem metus angebat regni per turpe parati
Et scelus, & fraudem, formidine solueret atra.
Sed pater omnipotens, quo gloria tanta triumphum
Eustachidę pareret, clarúmque in secula nomen,
Seruatis vnà Gallorum Italúmque maniplis,
Heroum auertit mentem. nec callida quisquam
Consilia in pręsens animo dispexit acuto.
Ausonios igitur se se Boemundus, & acer
Tancredus iussere sequi, qua parte sinistri
Deflectunt montes Euxini ad littora ponti:
Eandem etiam secuere viam sua signa sequentes
Aulercique, & Lexobij, nec inertia Celtę

Pectora, frigenti quos flumine Sequana lambit,
At pius Eustachides, nec non Rhamundus, & Hugon
In terras flexere agmen, quas longa Propontis
Alluit, éque alto celsus despectat Olympus
Vertice, & hinc atq; hinc frigentibus irrigat vndis.
Iámq; adeo Sagarim properans Boemundus ad amnem
Venerat, & iacto muniuerat aggere castra.
Et noctem somnos ducens exercitus omnem
Egerat, atque oriens nondum fulgebat Eous
Effuso spargens sitientia gramina rore.
Cum vigiles sensere hostem descendere ab altis
Montibus, & turmas campis effundere apertis.
Raptim igitur ductorem adeunt, castrísq; propinquos
Esse monent Persas equites: qui scindere vallum,
Qui ferro delere pios conentur, & ipsas
Aggere disiecto fossas implere capaces
Innumeri: quos & valles, circúmque iacentes
Confertos capiant denso vix agmine campi.
Hæc vigiles vno ore duci: qui pectore somnum
Iandudum expulerat, rebúsque instabat agendis.
Ille igitur Tancredum ad se, Cimbrúmque ferocem
Accitos, mandat totis educere castris
Armatas equitum turmas, peditúmque cohortes.
Ite, ait, instructas acies ita sistite, vt amnem
Ponè habeant, ne terga hostes circundare possint
Impune, & dubia nostros concidere pugna.
A læua, dextráque equitum disponite turmas:
Cunctáque delectis, aliqua ne parte laborent,

Subſidijs firmate ſuis. hæc pauca locutus
Indomiti loricam æris, ſquamáſque rigentem
Induitur, ſuráſque ocreis includit ahenis.
Ac læuo lateri fulgentem accommodat enſem.
Enſem: quo Rholo Normanni nominis auctor
Regnantem in Belgis Catiulcum aggreſſus, auito
Et regno, & dulci ſpoliauit lumine vitæ:
Diſiecítque acies, & ſanguine miſcuit atro
Argennimque. Olnámq; amnes, Eriumq́;, Titumq́;
Exin armigero clypeumque, haſtámque ferendam
Fraxineam, galeámque dedit, cui vertice in alto
Amphitryoniades ferro, & face conficit Hydram.
Atque hæc dum properans ductor feſtinat Iapyx,
Goffredo in ſomnis, primæ ſub tempora lucis,
Aſtitit Ida parens, qualis cum vita manebat,
Errantem, & puerum claras excibat ad artes.
Quæ te tanta (inquit) dementia, nate, coegit,
Vt verbis adhibere fidem fallacibus auſus
Quiueris Auſonias abs te diſiungere vires,
Diſiectáſque equitum turmas, peditumq́; cateruas
Obijcere infidis ad cędem, & funera Perſis?
Non ducis hęc virtus: non diſciplina, nec vſus
Militię, quam magnus auus Carolusque, patérque
Euſtachius docuit, Morinum cum victor ab vrbe
Tecum vnà longe ſęuos auerteret hoſtes:
Cumque haſta Cattorum acies, regémque rebellem
Fudiſti, & ſpolijs redijſti diues opimis.
Surge age, & Auſonijs certam legionibus affer

Certus opem, quas Abdaridùm gens dira latronum
Insidijs positis iam funere mergit acerbo,
Ni tu quamprimum properes succurrere victis,
Turcarumque ausis immanibus ipse resistas.
Dixit: & in tenues abiens euanuit vmbras.
At pius Eustachides, monitis commotus amaris,
Excutitur somno subitus; stratisque relictis
Exurgens, animo, quæ sint ea visa, volutat:
Incertusque an pergat iter, quò tendere cœpit,
An vero expectet, fidus dum nuntius illinc
Adueniat, dubiáque animum formidine soluat,
Ingreditur supplex humili cum corde sacellum.
Hic precibus fusis, sacrisque ex more litatis,
Edocet Addemarum, genitricem vt viderit Idam
In somnis, abeunt toto cum sidera cælo,
Hortantem quamprimum Italis succurrere victis,
Diuisásque acies iterum coniungere in vnum.
Ille autem admirans, Non hæc insomnia, dixit,
Irrita; nec falsis alti regnator Olympi
Ludit imaginibus mentes animósque potentum.
Ergo omnes armari equites, peditumque maniplos
Ipse iube, & cunctos pugnam expectare paratos:
Ne nostras improuisus mox verberet aures
Nuntius; & frustra auxilium properemus opémq;.
Hæc illi inter se peragunt, ducibusque vocatis
Aere iubent fulgentem aciem considere campo.
Interea cælo stellis Aurora fugatis
Exurgens læto fulgore retexerat orbem:

Atque

Atque Itali, Gallique simul testudine facta
Conferti ordinibus stabant: hostémq; propinquum
Et clypeo, gladióque, Macedoniáque sarissa
Exceptura acies, densum porrexerat agmen
In læuum, dextrúmque latus: cui iunctus vtrinque
Ibat eques, Turcas sæua qui mente furentes
Frangeret, & longè solidis auerteret hastis.
Ergo in conspectum postquam venere piorum,
Implentes vallem diris vlulatibus, acres
Adduxere arcus manibus; solémque repente
Eminus expulsis obscurauere sagittis.
Non secus ac nubes, media cum æstate volantes
Eripiunt oculis subito cælúmque, diémque
Effusuræ atrum terris arentibus imbrem.
Ergo aliæ in clypeis, atque in fulgentibus armis
Hæserunt; aliæ nudato in corpore fixæ
Bellatorum equitum, peditúmq; hausere cruorem.
Tum vero Ausonij laxis incurrere habenis
Præcipites, hastásque aduersa in pectora acutas
Dirigere vnanimes: ceu cum furialis ab Euro
Impetus arentes veniens inclinat aristas
In Zephyrum, fugit ille abiens contraria donec
Aura cadit, mox exurgens lata arua procella
Verrit, & infesto secum trahit omnia nimbo.
Sic patrium decus Ausonios, & viuida virtus
Concitat, & recto sæuos petit impete Turcas:
Sic Turcæ sua terga fugæ conuersa dedere,
Atque hinc atque illinc campo cessere patenti,

Disiecti in geminas, turmis bipatentibus, alas:
Irritus in vacuas vt cesserit impetus auras:
Ausonidæ frustra cursus alióſque recursus
Dum conferti ineunt; lato nec in æquore cuiquam
Occurrunt, vallem miserè pereuntibus omnem
Implerint rigidis transfixi membra sagittis.
Tum Robertiades pugna commotus iniqua,
Sistite vos socij, nec inultæ dedite morti
Pectora, ait, medij dum, ceu generosa leonum
Massylum in syluis virtus armisque, dolisque
Obruta sæpe cadit, fugitiuo eludimur astu:
Nec datur in Turcas dextrarum viribus vti,
Dum se proripiunt celeres, neque pectora nostris
Pectoribus pugnando audent opponere; & vnum
Illud agunt, vt nos, cursúque æstúque fatigent.
Ergo alia ratione aditus tentandus, & arte
Pugnandum, quando nusquam locus vllus apertæ
Virtuti; dextráſque labor frustratur inanis.
Conuersis i castra fugam simulemus habenis
Nos quoq;: & hinc atq; hinc turmas sistamus equorum,
In latera vt liceat venientum inuadere, dum se
Effundit globus ille iterum, nostróſque sagittis
Eminus obruere, atque aciem perrumpere tentat.
Daunius hæc ductor. contra quem talia fatur
Robertus, Cymbri soboles Rholonis: An ergo
Venimus, vt Persas astu superasse fugaces
Dicamur? nostróque olim de sanguine natos
Hoc decus, hæc tanti maneat noua gloria facti?

Tum

Tum mihi vel tellus optem prius ima dehiscat,
Oceanúsque ingens fusis pater obruat vndis.
Quin potius, siquid superest virtutis auitæ,
Irruimus densi, tergóque instamus inerti,
Et sequimur quacunque abeunt, seu dextera, siue
Læua petant; etenim nunquam moriemur inulti:
Ni vitæ potius simus, quam laudis amantes.
Vos cornu à dextro densi committite pugnam:
Nos autem à læuo Persásque Arabásq; prememus:
Et primis misti ordinibus miscebimus omnem
Cæde aciem: aut victi morte occubemus honesta.
His dictis accensa arsit dux Appulus ira.
Nec mihi vita (inquit) tanti est mea, gloria quanti,
Quanti & honor claram per cædem & vulnera partus.
Immo hæc ipsa dies tergo ne, an pectore notæ
Hostibus in pugnam gentes descendere fuerint
Ausoniæ, Tancredus ait, testabitur; & me
Patribus indecorem non vnquam hæc vita relinquet.
Hæc illi inter se dum dant responsa vicissim,
Aspiciunt facto venientes agmine Turcas
Rursus, & effusum contra contendere cursum.
Non aliter, quam cum Boreas à cardine fluctus
Impulit, & motas in cælum sustulit vndas.
Illæ autem in Libycos scopulos, & littora vires
Effundunt: versæque retro franguntur, & omnem
Aspergunt circum spumis albentibus oram.
Ergo omnes quamprimum Itali, Boemundus, & acer
Tancredus, fratérque bonæ virtutis Hylelmus,

Ante aciem primi opponunt venientibus hastas.
Verum illi, patrio de more, Cydonia cornu
Eminus in mediam torserunt spicula turmam.
Dúmque pedem referunt, ceu consueuere, fugáque
Puluerulenta Italo Turcæ dant terga sequaci,
Excussus Solymanus equo, cui stridula cornus
Acta procul medios penitus transfixerat armos,
Tardauitque fugam, celerémque in tuta receptum,
Dum cuncti simul assistunt, aciésque iacentem
Erigit, inque fero trepidantem affusa reponit.
Postquam igitur solitis nullus locus artibus vsquam
Linquitur, & Turcis Itali miscentur, & armis
Arma inferre opus est, vulgo cæduntur vtrinque
Innumeri, cadit hic iaculo: cadit ille sagitta:
Confodit hasta alios, alios Balearica fundæ
Verbera, & excussæ bellantum in tempora glandes
Prosternunt passim, passim furit ensis, equúmque
Vrget equus, peditémque pedes, gemit obruta tellus
Corporibus vitæ iucundo lumine cassis.
Hernachus Andronem gladio per pectus adacto
Præcipitem deturbat equo: mox insilit audax
In Thermum, & claua galeam contundit ahenam.
Exanimes Tancredus humi Biciámque, Tamúmque
Deijcit, vtque leo crudeli concitus ira
Horrendum sæuit: mediúmq; per agmen equorum
Infertur: latéque omnes sternitque, fugátque.
Nec minus interea virtute insignis Hylelmus
Cæde madere manus, gladiúmque tepere cruore

Gaudet,

Gaudet, & in bello fratri se viuidus æquat.
Ille Lycaonium leto dedit Aegocerontem,
Exultantem animis, & reuocantem in prælia Turcas.
Ille Thoam, & claua percussum interficit ictu
Phradmonidem, Cilicum cui gens assueta rapinis
Paruit, atque vltro ducentem in bella secuta est.
Addidit huic geminos Bithynæ gentis alumnos:
Delicias matris, Crhomiúmq; & Dætora: quorum
Non formæ variatus honos, non ipsa loquentum
Vox diuersa sono patrias veniebat ad aures,
Tum quoque mors eadem nullo discrimine facti
Vulneris ad Stygiam demisit vtrunque paludem.
Concidit inde manu moriens Celtiscus eadem.
Celtiscus: cui non poterat flauentibus vndis
Diram auri sedare sitim Pactolus, & Hermus,
Dum populos opibus spoliat, dum vertit in vsus
Ipse suos quicquid rerum fœcunda creatrix
Lydia progignit, quicquid ditissima quondam
Complexa est sero sapientis regia Crœsi.
Ergo illum socij non protexere cadentem:
Non vrbes extinctum vllæ, non oppida flerunt.
At parte ex alia, Sagaris qua spumeus vnda
Inter saxa fluit, laxum curuatus in arcum,
Intulerat turmas Nannetum ductor equestres:
Et cædem ingentem ediderat: qua territus vltro
Fugit Arabs: vertit trepidantia terga Sabæus.
Ipse quoque in medios hostes se Daunius heros
Dum iacit, atque manus Persarum cæde cruentat,

Horsi-

Orsilochum perimit fixo in præcordia ferro.
Ast inter medios humeros fugientis Opheltæ
Immitem totis direxit viribus hastam.
Exijt illa furens latum per pectus adacta,
Vnde animam moriens calido cum sanguine fudit.
Et iam prima acies Turcarum exterrita fundi
Cœpta erat, inque fugam præceps conuersa ruebat,
Cum pugna ingenti fessis æstúque sitique
Instaurata acies equitum superaduenit; & se,
Qua globus instabat bellantum acerrimus, infert.
Hic Itali, primo stabant vt in agmine primi
Pugnantes, verso cecidere in prælia vultu,
Sanseurinus, & Vcoleon, & Maluetus: à quo
Ordine perpetuo gentis defluxit origo
Maluetiæ, & clarum claro de nomine nomen.
Quin etiam Regum Medorum à sanguine cretus
Cambyses gladio præstans, præstantior arcu,
Post quercum latitans Italos Gallósque sagittis
Innumeros prostrauit humi. traiecit Hylelmo
Pectora, Lutetio guttur, quem Sequana mater
Miserat in bellum, comitémque adiunxerat vni
Hugonti. Ille autem fidus comes hæsit Hylelmo,
Nec virtute animi, nec robore corporis impar.
Tum vero patefacta acies: turbatus & ordo
Ausonidum; campóque fugax equitatus aperto
Terga dedit Turcis: ac, ni dux acer Iapyx
Opponat se se fugientibus, ilicet hostis
Irruat Abdarides & victor castra reuellat.

Nanque

Nanque aderant primos inter Solymanus, & acer
Hermachus, & vastum pugnæ certamen obibant,
Vrgentes humeros fugientum, & terga prementes.
Non secus atque canes gemini cum forte leonem
Videre, aut sæuis frendentem dentibus aprum,
Accelerant gressum, & vestigia pressa sequuntur,
Et pedibus freti morsu clunemue, femurue
Attingunt, dubiíque timent, ne forte reflectant
Ora, atque accepto capiant pro vulnerre pœnas.
Sic illi à tergo turmas, aciémque prementes
Extremum dant quénq; neci. metus ingruit ingens
Omnibus, atque atro nigrescit puluere cœlum.
At Robertiades regnator Iapygis oræ
Corde dolens, iráque animum inflammatus amara;
Proh pudor, Ausonij, nostræque infamia gentis
Dedecora, haud vllis, inquit, delenda diebus,
Quo vobis animi? quo verba audacia tandem
Irrita cesserunt? en hæc promissa fides est?
En hæc polliciti, cum læti ad pocula vino
Plena ferebatis vestrum se quenque trecentos,
Atque etiam plures ausurum inuadere Turcas?
Nunc, o, nunc vobis tempus se se omnibus offert
Audendi, & laudem per splendida facta parandi,
  Hæc illum frustra iactantem, & funera passim
Edentem, & fractos reuocantem in castra maniplos,
Quando aliud, quò confugeret, nihil esse videbat,
Armatorum equitum circumstetit ala, nec vllus
Ausus adire virum, iactis petit vndique telis

Pugnan-

Pugnantem, summáque locum virtute tuentem.
Non secus atque leo, longis quem comminus hastis
Inuasere acres Libycis in saltibus Afri,
Atque hinc atque illinc densa cinxere corona,
Ilicet impatiens conceptam exardet in iram,
In mediósque ruens certum petit vnguibus hostem:
Et stragem infandam canibus (miserabile visu)
Dat turbans: discerpit equos: tela obuia frangit:
Et sensim in tutæ se subtrahit abdita syluæ.
Sic Robertiades, iræ quo concitat ardor,
Irruit, & Lycij stricto caput abscidit ense
Euryali; Gyndémque simul, patrémque Dolonem
Fundit humi: Tamyrimq;, Pharetáq;, Demodocúnque,
Et se tutantem clypei munimine Rhetum.
Dúmque adeo præsens animis, & viribus omnes
Sustinet, ac pectus ferus huc obuertit, & illuc,
Transfixum iaculo femur, & genua ægra trahẽtem
Sensit eum, quo fretus, equum certamen obibat,
Inque acies densas, inimicáque tela ruebat.
Ergo ille e media paulatim excedere pugna,
Et terrere hostem, & vestigia lenta referre,
Relliquiásque Italum in tutos reuocare receptus.
Interea pius Eustachides, quem fama morantem
Nuntia commorat tantæ sæuissima cladis,
Agmen agens equitum, Sagarim peruenit ad amnem,
Cum iam fusæ acies Italum palantia Turcis
Terga darent, clamórque feriret dissonus æthram
Vincentum, & passim crudeli morte cadentum.

Hic

Hic Italos numero turmisque recentibus auctos
Admonuit nigrum puluis glomeratus in orbem,
Gallos aduentare, sagittiferósque Britannos,
Atque insperatam victis latura salutem
Agmina, nec campo Persis cessura superbis.
Ac subito. venit, ecce venit Goffredus, & affert
Expectatus opem. tales toto æquore voces
Auditæ Ausonijs animos auxere: metúmque.
Incussere hosti; nec longum tempus; & acer
Aduenit Eustachides, vnáque interrita pubes
Leucorum, atque acres arcu iaculisque Britanni.
Et primi excussis cœlum impleuere sagittis,
Innumerósque dedere neci. nanque irrita nusquam
Missa in confertas ceciderunt spicula turmas.
Mox bonus Eustachides, Italis quo densius agmen
Instabat, metuendus equum calcaribus vrget:
Et Chlorei pectus funesta perforat hasta.
Voluitur ille cadens madida moribundus arena:
Atque Arabum accusat secum præsagia vatum.
E quibus ipse sibi longos promiserat annos,
Et sobolem innumeram, sceptrúmq; immobile regni.
Nunc autem primę succiso flore iuuentę
Occidit, & nullis formosa e coniuge natis.
Corripit inde manu gladium: cęditque, feritque
A dextra lęuáque omnes: fit vi via Turcas
Per medios: liméſque agitur latissimus; vt cum
Fertur in arua ruens niuibus liquentibus amnis,
Et prosternit humi sata culta: boumque labores:

Aut

Aut cum sublimi demissum ex æthere fulmen
Ingentes imis ruit ab radicibus ornos.
Iámq; omnes equites Parthorum, Arabúmq; repulsi,
Vertebant trepidi vestigia concita retro:
Cum se Turcarum ductor fugientibus vnum
Opposuit; repriménsq; fugam: Quò tenditis (inquit)
Quæ latebræ iam vos tutæ, qui deinde receptus
Accipient? tantum ne aliquis se præstat in armis,
Ipse suo qui vos vel nomine terreat omnes?
Ite, agite, o proles veterum rediuiua parentum,
Et mecum vnanimes armate in prælia dextras.
Ipse ego Goffredum collecto robore quamuis,
Quamuis & triplici pectus sibi muniat ære,
Aggrediar, pœnásque mihi persoluere cogam:
Quas meruit: dum regna armis attentat iniquis
Nostra, fidem pariter fallens hominúmq;, deúmq;.
Hæc ait, ast illi tantis hortatibus acti
In dubium pugnæ redeunt certamen: & vnà
Immisti Ausoniјs cælum clamoribus implent.
At bonus Eustachides ingenti concitus ira
Ense ferit Staphylum: cui Susis sceptra tenenti
E galeæ medio surgebant vertice flores:
Tum manibus cælum Typhon immanis, & asper,
Summus vbi clypeum fulgentem conglobat vmbo,
Inuadens, pictísque vomens e pectore flammas,
Deturbare Deos sublimi e sede parabat.
Deijcit illum igitur gladio per pectus adacto,
Labentémque ab equo verbis obiurgat amaris.

I. nunc,

I, nunc, & cœlum manibus discinde superbis
Improbe, & hæc Stygias tua fer memoranda sub vmbras
Facta, quibus magni regnum sublime Tonantis
Reclusum penitus voluisti euertere, cui nunc
Persoluens meritas pœnas pro talibus ausis
Aeternum miser æternis cruciabere flammis.
Dixerat hæc, Dryopémq; petens, vbi fibula baltheum
Aurea subnectit imas thoracis ad oras,
Transadigit ferrum, totúmque in viscera condit,
Damnatámque animam tenebris è corpore soluit.
Inde in Laogonum, Sipyli cui pascua parent,
Atque auro similes Tmolus premit arduus vuas,
Concitat acer equum: fugit ille exterritus, & se
Contegit in tergum reiecto vmbone, ferúmque
Protinus immissum duris calcaribus vrget.
At bonus Eustachides rapidis velocior Euris
Aduolat, & gladio per tergum in viscera adacto
Perforat ingentem clypeum, lumbósque per ambos
Vmblico propior recludit vulnere ventrem:
Vnguláque excussum miserè proculcat equorum.
Nec te humiles, Demuche, preces, nec forma, nec ætas,
Quamuis excellens primo sub flore iuuentæ,
Seruauere tuis: nam dum genua vtráque supplex
Flectis humi, veniámque oras, & brachia tendis,
Traiectus iaculo guttur cadis; & sola terræ
Purpureo moriens spargis madefacta colore.
Tecum etiam dextram percussus Amulius aurem
Ense ruit, dum tentat opem tibi ferre, ruénsque

Ilicet

Ilicet à læua fuſum vomit aure cerebrum.
Acta etenim ferri cuſpis per tempus vtrunque
Letali ſummos incidit vulnere neruos.
Hæc tanta Euſtachides dum funera feruidus edit,
Auſoniósque iterum fugientem cogit in hoſtem,
Regnatorem Aſiæ Solymanum aggreſſus Opheltes,
Conſilijs bonus atque æui maturus, & vni
Credere cui fuerat curas & pondera rerum
Cunctarum, ſeu bella forent, ſiue otia paſſim
Lætæ agerent vrbes, & amicæ commoda pacis.
Haud ego nunc auctor tibi ſim fortiſſime Regum,
Aduerſæ vt pectus fortunæ opponere tendas.
Mutatos viden' eſſe Deos? viden' omnia retro
Verſa? nec è noſtris conſiſtere in agmine quenquam
Et Gallorum acies, animiſque, & viribus auctas
Irruere? & telis complere recentibus arua?
Cedamus victi; montéſque abeamus in altos:
Relliquiáſque illic, ſuperant quæcunque, legamus.
Forſitan inſidijs regio magis apta, locúſque
Commodior nobis ſe ſe offeret: vnde repente
Vindictæ dabitur non inſperata facultas.
Dixerat hæc ſenior, cupiens auertere Regem
Ipſe ſuum, ſibi ne fidens ſe ferret in hoſtem
Comminus, & forti Euaſtchidæ congreſſus iniquam
Confereret pugnam, nec Dijs, nec viribus æquis.
Ille autem dubitans dictis ne auſcultet Opheltæ,
Fortunam an rurſus belli experiatur, & audax
Inſtaurare iterum turmas conetur equeſtres,

Præcipiti

Præcipiti Ladan ad se contendere cursu
Aspicit; isque adeo, postquam data copia fandi,
Eia age rumpe moras (inquit) Solymane, tuóq;
Si cupis incolumem seruare, & reddere matri,
Affer opem nato, telis quem plurima circum
Turba premit, sempérque recentior obruit hostis.
Nec potis est acri se se subducere pugnæ:
Quanquam multa virum leto dat corpora: & vltro
Prouocat egregia Gallos virtute feroces.
Ast vnum quis ferre parem se pluribus ausit?
Vix has illachrymans voces è pectore Ladas
Fuderat, oppressum cum nuntius alter, & alter
Rettulit Eustachidæ sæuis cæcidisse sub armis
Hyldrinum: signi dandi commissa potestas
Cui fuerat, gnatique sui concredita cura.
Hyldrinum, genus Odrysium; quo fortior alter
Non fuit, & pugnam qui tanta ex arte pedestrem
Ederet, atque acres violentius iret in hostes.
Auditis his è medio se se agmine Persa
Proripit anteuolans; &, me ne deserat (inquit)
Quisquis amat, saluúmque cupit natúmq;, patrémq;
Dixerat atque illum rapida velocius aura
Currentem, natique metu, tristique furentem
Ira, equitum turmæ actutum primique sequuntur
Persarum; quocunque vocat fors ipsa, parati
Et conferre manum victori, &, quicquid acerbi est,
Morte, pati, iuuenem possint vt reddere patri
Incolumem, spémque imperij seruare ruentis.

Non aliter, quam cùm sublimi e turre columbæ
Conspexere procul passis Haliæeton alis
Irruere infestum, & prædam captare volentem,
Densentur, coeúntque omnes, rapidóque volatu
Præcipites, quacunque viam secat ille, feruntur.
Sic globus Abdaridum furialibus ocyor auris
Infertur, qua visa magis crudescere parte
Pugna atrox, hic Hetruscum Solymanus Acestam
Deijcit instantem Persis: ferit Hermachus Vmbrum:
Vmber Hylan: Idæus Athyn: dat Helenora leto
Cincius: obtruncat dextram Corcutus Ibero.
Dúmque adeo inter se gladijs pugnacibus acres
Exercent, voluúntq; vices, nec iam pote quisquam
Vndique nitendo se se diuellere ferro,
Hortatur vox vna omnes Arabásque, Syrósque.
Este viri, Solymanus hic est, turmæque recentes
Persarum, quæ vos inimica à morte reducant.
Audijt Eustachides, laudisque accensus amore
Accurrit, Persámque graui videt ense metentem
Gallorúmq; Italúmq; acies; & feruidus, Hinc vos,
Vos hinc cedentes, vni mihi linquite tantum
Hoc certamen, ait, vindex Deus adsit: & olli
Debitus hic mactetur honos. & gloria facti
Sit sua; terrarum quæ diuulgata per orbem
Terreat infidas merita formidine gentes.
Hæc ait; & late patefacto limite, regem
In Persam fertur præceps. exterritus ille
Constitit: ac secum dubio cum pectore versat,

Pareat

Pareat an dictis, caróque ante omnia nato
Consulat, instantum modo quem subtraxerat iræ
Ausonidum, an rapta Eustachidæ ruat obuius hasta.
Hoc animus iubet excelsus, generosáque virtus,
Atque accepta recens euersi iniuria regni:
Illud amor patrius: sed qui stellantis Olympi
Nutu sceptra regit, mentem consistere in vno
Haud passus, manibus Goffredi addixit vtrunque,
Et patrem, & natum; nanq; hunc pietásq; pudórq;
Impulit, vt durum pugnæ certamen iniret,
Et cursu patrem præuerteret ipse morantem.
Tum vero furijs actus Solymanus amoris,
Quo generose ruis? cui nunc te te obijcis hosti?
Nate ait? & fodiens sæuis calcaribus armos
Vrsit equum: comitémque illis sese Hermacus addit.
Trésque simul petiere vnum: mediúmque reducta
Eustachidæ clypeum Solymanus percutit hasta.
Contundit claua galeam Ninus; Hermacus ense.
Ille velut summis in montibus aspera cautes,
Cui faciem Boreas, humeros diuerberat Auster,
Constitit immotus, ferrúmque exegit acutum
Per fauces, guttúrq; Nino; quo vulnere primus
Interceptam animam tenues efflauit in auras:
Inflexitque caput, ceu flos, cui durus arator
Vomere præteriens caulem perstrinxit adunco.
Nec mora. fulmineum conuertit in Hermacon ensem;
Quáque patens oculis admittit cassida lucem,
Egit, & à malis disclusit vulnere frontem.

 At pa-

At pater horrendum stridens, sæuissime prædo,
Qui regno, qui me natis florentibus orbas,
Perge, ait; atq; animam ferro tecum aufer eodem
Hanc quoq; : sed iustus quantum dolor, iráque possit,
Experiare prius; gladio sic fatus acuto
Irruit, & totum clypei septemplicis orbem
Deiecit, rigidiq; oris thoracis apertis,
Eustachidæ strinxit summo de pectore. at ille,
Alte sublatum subito dum surgit in ensem,
Et conum insignem galeæ ferit, atq; comantes
Spargit humi cristas, iterátque ferocior ictus,
Complexúsque virum capulo caua tempora pulsat,
Et consopitum geminatis ictibus alto
Deturbauit equo, terræque afflixit: & vna
Exhalantem animam, fluctúsque ex ore vomentem
Sanguineos, armis nudari iussit, humique
Stratum vulturijs prædam, canibúsque reliquit.

PETRI

PETRI ANGELII BARGAEI

SYRIADOS LIBER X.

ATTIGERAT *cursu medium sol altus Olympum:*
Cum trepidi Abdaridæ regem cũ prole peremptum
Deseruere omnes: nec sese credere castris,
Aggeribúsque suis ausi, liquere Latinis
Prædandum, quicquid rerum prædiues, opúmque

Attulerat secum Persarum exercitus ingens.
At pius Eustachides, postquam toto æquore fusi
Discessere hostes; terræue extincta dederunt
Corpora; nec superest quisquam, qui fortibus ausis
Infestum remoretur iter; de more piorum
Ausonijs, Gallisque suis crudelia passis
Vulneráq; & mortem socijs dat tempus humandis.
Nuntius interea magno per Auerna tumultu
Ima ruit: sęuisque implet terroribus Orcum.
Turcarum Regem pugna cecidisse cruenta:
Deletas ęquitum turmas: extinctáque secum
Aequoreas Sagarim deuoluere corpora in vndas:
Cœptum tendere iter Gallósque Italósque: nec vllum
Esse super; qui communem defendere causam
Possit, & à Solymis certam depellere cladem:
Ille furens, faciénsque alto conuicia cœlo;
Ite, ait, ò, maculę, regnique opprobria nostri,
Aligeri, tenebras terrę noctémque colentes;
Ite infelices: &, quos non abstulit ensis
Hosticus, atque atro suffusę felle sagittę,
Conficiat, quacúnque ibunt, ęstúsque, sitisque.
Hęc ille: at dira confestim ab sede ministri
Egressi, insolitos ima ex tellure vapores
Efflant: & flammas radijs ardentibus addunt.
Pręcipue quà se Męandrum extendit ad amnem
Lydia; & infesti fines attingit Isauri.
Post, vbi quarta diem cœlo patefecit Eoo
Aurora; atquę omnes armis animisque refecti,

Gallique, Ausonijque, sagittiferique Britanni,
Euasere tuos lęti Bitynia fines;
Męonięque oras inimico sole perustas,
Et nusquam arboribus dulces prębentibus vmbras
Ingressi, non fontis aquas, non vllius amnis,
Aut riui scatebras, quibus illi ęstúmque, sitimque
Sedarent, vndamue pigrę reperere lacunę
Stagnantem: cinis ater agros, atque arua tegebat:
Exusti in faciem campi: salebręque nigrantes
Montis, ab obscura picei caligine fumi,
Lędebant miserè peditum vestigia, equúmque.
Hic Vatum inuentis olim delusa vetustas
Credidit, in magnum magnę telluris alumnum
Fulmina de cœlo cecidisse irata Typhęum:
Atque illum ingenti depressum pondere terrę
E qua imo rapidas spirantem pectore flammas
In cinerem vertisse solum, montésque feraces
Męonię exesis lapidum euertisse ruinis.
Ipsa enecta siti, solisque ardore maligni,
Et duris attrita vijs iumenta cadebant
Exanima: & nimio linguis arentibus ęstu
Defecere canes passim: rabiéque furentes
Errarunt temere huc illuc; atrúmque venenum
Morsibus obscęni letalibus inspirarunt.
At grauidę matres, famę, sanctique pudoris
Immemores, passim lapidoso in tramite fętus
Abiecere suos, resoluto è ventre cadentes
Ante diem, & tristem turba spectante laborem,

Nec miserante tamen. quando metus acer in omnes
Effusus, sibi adesse vni se quénque monebat.
Iámque adeo campique omnes, & collis iniqui
Saxa, cadaueribus passim contecta iacebant:
Inque dies illis grauior regionibus aer
Excibat tetros ima e tellure vapores;
Torrebátque ardens sitientes Sirius agros:
Nec longe spes vlla vię, finisque laborum
Proximus, infirmas vires recreasset euntum,
Ni pius Eustachides ambas ad sidera palmas
Sustollens, tales fudisset pectore voces.
Summe pater cuius dextra, nutúque patentum
Terrarum ingentes tractus, cœlique cauernis
Astra affixa suis, pelagique infensa reguntur
Murmura, & obductæ coguntur in aere nubes.
Si sincerus amor, si spes fidissima, si nos
Intemarata fides hoc votum rite coegit
Suscipere, atque alacres precibus parere iubentis
Pontificis, cui sola abs te permissa potestas,
Obstructum cœli reserare, & claudere limen,
Affer opem, pater omnipotens, pereuntibus æstu,
Atque siti: & diras da tandem euadere terras.
Exustas terras, omnique humore carentes.
Nec te nostra minus moueant nunc vota, precésque,
Quam mouere olim Mosæ pia verba, petentis
Abramidum populis misere sitientibus vndam:
Quam mouit tuus ille tibi dilectus alumnus:
Cum rapidum medio in cœlo mirantibus horis,
Et terra

Et terra trepidante metu, consistere solem
Iussisti; & longæ fines producere lucis.
Sic fatus, lachrymis pectus madefecit obortis,
Eque imo tacitus duxit suspiria corde.
Audijt orantem terræ, cælique creator
Omnipotens; placidúsque oculos deflexit ad oras
Mæonias; quas Tartarei regnator Auerni
Vragus insolito succenderat impius æstu:
Astantémque sibi vicina in sede ministrum
Alloquitur. Nostri, ô solij fidissime custos,
I celer; atque illinc, Lydos vbi sulphur, & ignis
Vrit agros, & sole tepens exæstuat aer,
Monstra redire iube vastum Phlegethontis ad amnem:
Quæ nunc ex Erebi Stygijs emissa cauernis
Insedere viam; totóque ex æthere flammas
Ardentes iaciunt certatim in castra piorum.
Vade age fide vigil: populisq; petentibus imbrem
Desuper infundens, citus ipso in tempore nostram
Affer opem, & miseros præsenti subtrahe leto.
Hæc ait, & nutu totum tremefecit Olympum.
Ille abit. atque Notis secum per inane vocatis,
Præpete Mæonias lapsu defertur ad oras:
Impatiénsque moræ: fugite hinc, ait, impia cææ
Monstra domus; vestrásque vltro tellure sub ima
Exercete iras; animásque ad flagra nocentes
Ducite, vexatas rapidi feruoribus ignis.
Hoc iubet immensæ moderator maximus æthræ.
Dixit; & eiectis flagranti ex aere monstris,

Nubibus

Nubibus obduxit cælum, fusisque repente
Imbribus, ardentem releuare exercitus æstum,
Et sedare sitim, cœptúmque insistere quiuit
Sospes iter, terrę peragrat dum saxa perustę,
Séque ad Męandrum confert lętissimus amnem:
Innumeris amnem pagis, vicisque frequentem.
Quem penes incedunt virides armenta per herbas
Plurima; & vndantes ripas mugitibus implent.
Huc vbi peruentum; festo clamore salutant
Flumen; & irriguos vndis refluentibus agros,
Inque epulas, lętásque dapes armenta, gregésque
Errantes cędunt; densęque sub arboris vmbra
Expediunt Cererem; campis quę plurima in illis:
Tergáque diripiunt; verubus quę fixa salignis
Torruerant; & vina cadis liquentia fundunt:
Partim etiam gelidas demittunt corpora in vndas,
Et meminisse iuuat, quas cuique euadere iniqui
Contigerit Solis flammas; quámque inter eundum
Ferre sitim, & terræ cineres superare calentes.

At pius Eustachides postquam lux proxima cœlo
Exegit stellas; orbémque Aurora retexit,
Perfectis de more sacris; lætissimus olli,
Cuius ad arbitrium summus se accommodat æther,
Ingentes egit grates; supplexque petiuit
Erratis veniam, & propensum in vota fauorem:
Mox ad se vocat Heroes, ac talia fatur.

Venimus, ò proceres, Diuùm quæ maxima patri
Gratia, liquentes Mæandri ad fluminis vndas;

Atque

Atque in Pisidiæ lætis consedimus aruis
Hic nullæ munitæ vrbes, nulla opida, nullis
Castella in tumulis, nulla arx imperuia, nostrum
Quæ remoretur iter; passim loca consita densis
Arboribus; virides campi; frugúmque feraces:
Nec non & croceis halantes floribus horti,
Susceptos secum inuitant releuare labores.
Hic igitur, nisi vestra aliud sententia vobis
Suadet, & excelsi quamprimum ascendere Amani
Præruptas cautes, Cydniq́ue ad flumina ferri,
Censeo, dum se se frangat calor, vsque manendum.
Interea, nequid post terga hostile residat,
Tancredus Rogeriades, atq; Itala pubes
Ad prædatores Cilices, & Mœnia Tarsi
Hinc eat; atque vnà sæuos inuadat Isauros:
Vastet agros, gentésque omni regione rebelles
Eijciat; sanctósque aris instauret honores.
At Morini, duce Balduno, Belgæq́ue propinquos
Aggressi Armenios, redigant in iura fidémque
Callirhoem, & madidas Romano sanguine Cartas.
Tum quoscunque Melas, & proximus alluit amnis
Euphrates, armis cogat parere piorum.
Nec vereor, quin spem victoria certa sequatur.
Abdaridum nanque, extinctis tot millibus, vrbes
Exturbare parant summa de sede tyrannos.
Et tristi depressa iugo subducere colla
Iandudum; ceu fama refert prænuntia veri
Hæc pius Eustachides, longo quò lassa labore

Miles,

Miles, & infestis obnoxia corpora morbis
Curaret, lætisque animis, atque vbere victu
Redderet inuictas ventura in prælia vires.
Assensere omnes dictis, agrósque feraces
Pisidiæ legere, alerent qui castra piorum.
Ac, ne languerent oblata per otia: syluas,
Et nemora ilicibus passim frondentia densis,
Hic, vbi se crebris venatibus exercerent;
Donec iter cæptum præceps intenderet æstas.
At Siculi, Belgæque acres, sua quique secuti
Signa ducum, atque vnà iussæ regionis ad oras
Digressi, petiere illi te Coryce: cuius
Secessus quondam Graiæ coluere Camænæ;
Et te, Cidne, tuo qui serpis in æquora fluxu
Leniter; & tacitis campos præterfluis vndis.
Hi vero Arabios, ripáque Euphratis in alta,
Quæ posita est, populisque potens dominatur, Edeßam;
At reliqui proceres, Italique, acrésque Britanni,
Et Gallorum omnis exercitus, otia nactus
Libera, vicinas implet terroribus vrbes,
Et populatur agros; & concutit oppida bello,
Si qua manent immota suis custodibus; & se
Sponte Latinorum iussis parere recusant.
Atque hæc dum fiunt rumor celeberrimus oras
Aßyrias peruadit; & auribus insonat ingens
Inuicti Eustachidæ virtus, noménque, decúsque.
Qua fama impulsus geminæ regnator Hydaspes
Armeniæ, & Xerxis præclaro à sanguine cretus.

Iungere amicitiam cum tantò heroe perennem
Constituit; misitque, illi qui munera ferrent:
Argenti solidi massas, aurique talenta
Plurima; & intextas pretioso vellere vestes.
Quas inter fulgebat, vti iam lumine plena
Ipsa ignes inter resplendet Luna minores,
Purpureúmque, ingénsque, & nobile conopeum:
Vatis opus priscæ; quæ quondam oracula Persis
Reddere consuerat, de nomine dicta Sibyllæ.
Illa igitur tantam secli præsaga futuri
Pinxit acu vestem, & mira contexuit arte.
Extremas nam limbus obit circundatus oras
Aureus; & longo variantes ordine gemmæ;
Beryllus, pelagi faciem mentita virentem,
Chrysolitusque: acérque adamas; noctisque nigrantis
Discutiens tenebras claro splendore pyropus:
Dum flammas vomit, & rutilanti fulgurat igne:
Fecerat in summo texti admirabilis orbe
Omnipatens cælum stellis ardentibus aptum:
Complexu quod cuncta suo tegit vndique, & æthram,
Aeráque, Oceanúmque, & terras circuit imas.
Fecerat, & Phœben, Solémque, ignésque vagantes,
Per duodena suos contendere sidera cursus:
Alternant rerum vnde vices: & tempore certo
Intereunt, iterúmque suum referuntur ad ortum.
Sic Ver purpureum summos frondentibus vmbris
Vestierat montes: pratis induxerat herbas
Gemmantes; varijs ornarat floribus arua:

Et dulci

Et dulci volucres implebant auia cantu.
Quin & per syluas errare licentius altas
Horrentes apros, stimulisque potentibus actos
Ire lupos, animisque vrsos sæuire videres,
Inque mari, lacubúsque imis genus omne natantum
Ludere, flumineisque choros agitare sub vndis.
Nec minus vndantes segetes æstate recuruis
Falcibus agricolæ rapido sub sole metebant.
Ipsum etiam Autumnum dulces è vitibus vuas,
Arboribúsque suis iam mitia poma legentem,
Quæ venturæ hyemi, mensisque reposta secundis
Condirent grato Baccheia dona sapore,
Pinxerat, & tenui telas discreuerat auro.
Hic alij volucres in retia cogere; & ad se
Allicere, ac miseras viscatis fallere virgis.
Ast alij in vacuas laxare Halyæeton auras;
Pendentem rostro laceret qui Cirin adunco;
Et veteris pœnas sceleris memor exigat acres.
Nanque vbi sublimes supra volat ardua nubes,
Hic etiam in summas se fert Halyæetus auras,
Insequitúrque atrox; vbi Ciris ab æthere præceps
Effugit, & leuibus descendit in æquora pennis,
Hic quoque præcipiti delatus in ima ruina
Vnguibus à tergo discerptam euiscerat vncis.
At genialis hyems montes niue contegit altos;
Fluminàque, & fontes glacie constringit acuta;
Immites venatur apros; ad retia cogit
Fœcundos lepores; capreas e rupibus altis

Deijcit,

Deijcit, & ceruos cursu properante fatigat.
At varijs nemus omne canum latratibus horret;
Raucisonisque inflant venantes cornua bombis.
Inde agitant alacres iuuenum conuiuia cætus:
Inuigilant epulis, & vina liquentia potant.
Nec non & patrio choreas ex ordine ducunt
Immistæ pueris florenti ætate puellæ:
Quæ mox iucundum constanti fœdere amorem
Coniungunt; prolémque edunt in luminis oras
Innumeram; & faustis celebrant conuentibus vrbes
Quattuor in partes terræ diuiserat orbem:
Quas inter Tanais, Niliq́ue fluentis imago
Ibat; & æquoreas Nereus immiserat vndas:
Ammericémque omnem, quæ tunc ignota latebat,
Oceano Lygur emenso fortissimus heros
Recludit; venásque aperit prædiuitis auri.
Inde Asia in media turrim Nembrotus ad æthram
Extulerat; cælo vt tandem lachrymabile bellum
Inferret, Diuúmque patrem deuolueret astris;
Et se suprema cælestum in sede locaret,
Demens; qui tanto dignum se ferret honore.
Ergo operas omnes alti regnator Olympi
Implicuit fœdis linguarum erroribus; vnde
Subsedit turris moles infecta minacis.
Ipse autem Stygios misere detrusus ad amnes
Persoluit meritas tenebroso in carcere pœnas.
Parte alia multis bellantum millibus vrbem
Ductor atrox, ditémq; inhians auidissima prædam

Turba,

Turba, minabatur se funditus euersurum.
Et iam iam pressi longa obsidione, metúque
Horribili, ciues iussis parere parabant,
Inque potestatem sæuo se dedere regi:
Cum mulier forma insigni, & iuuenilibus annis,
Orba viro, sed quæ thalamum seruare pudicum
Sueta Deo vitæ reliquos sacrauerat annos,
Progreditur porta; cum sera crepuscula terris
Noctis inhorrentes secum adduxere tenebras:
Per mediósque hostes, & castra inimica superbum
Regem adit; ac vino tandem, somnóque sepultum
Aggreditur; strictóque audax caput ense recidit:
Et secum asportat niueo velamine tectum.
Illum autem è medijs ceruicibus exhalantem
Sanguineos amnes lacerum, truncumque reliquit;
Et sese ad ciues recipit generosa virago
Victricem; & spolijs cæsi ductoris onustam.
Ast olli è portis erumpunt vndique apertis:
Inque fugam vertunt dextris vltricibus hostes.
Parte alia Oceani, Rhenique, altæque Pyrenes
Finibus, intexto populos incluserat auro;
Inuictos bello populos, regésque, ducésque
Innumeros; quorum virtute, & fortibus ausis
Ipsa videbatur tellus Oenotria longe
Pellere barbariem, duróque exsoluere se se
Seruitio; atque vrbes positis ornare trophæis.
Corpore quos inter procero, atque ore verendus
Extabat Carolus humeris ter maximus altis;

Pipini

Pipini proles pietate ingentis, & armis,
Ipse armis tamen, & pietate ingentior ibat
Supra omnes; gentésque feras ditione premebat,
Illyricósque, & Vindelicos, Vnnósque feroces,
Extremóque sitos Europæ in littore Danos.
Olli se Cattus, nec non & Cantaber atrox
Dedebat victum; Lygerimque infractus ad amnem
Acer Aquitanus, Libyæque exterrita fasces
Submittens humilis ius, imperiúmque subibat.
Italiam mox intranti reclusa patere
Mœnia Ticini, ducique in vincula regem
Fecerat ætatis venturæ haud inscia Vates.
Ipse etiam solitos reddi mandabat honores
Pontifici; sedémque pius sternebat auitam.
Quo merito passim populo acclamante Quiritum
Audijt Augusti se nomine compellari.
Te quoque in arentem, Florentia dia, fauillam
Conuersam, Etruscos rabie populante Getarum,
Addiderat, quam mox animo miseratus amico
Idem heros, ciues in patria tecta vocabat;
Tecta opibus substructa suis; linquebat & idem
Regnandum Lodoico orbem; cui cura tuendi
Pontificis, facilisque dedit clementia nomen
Ferre pij; quanquam iuueni non ille nepoti
Turbanti Italiæ res, & stata regna, pepercit.
Mox iter emensus Scaldim referebat ad amnem
Compositis lætus rebus, maturus & æui;
Hic, vbi natorum generoso à sanguine nati

Inuicti heroes Morinos ditione tenebant;
Et quascúnque oras placido rigat amne Mosella.
Nec procul hinc virgo stabat; cui sanguis auitus
Addiderat cunctos formæ immortalis honores:
Progenies regum; & reges paritura potentes.
Imperio quorum felix Etruria se se
Attollens partâ florebat læta quiete.
Nec tu coniugio tam claræ Heroidos aucte
Ferdinande aberas, Thuscæ dux inclyte gentis:
Altorum soboles deducta ab origine patrum:
Inque sacro virtus Romæ spectata senatu
Sępius; insigni summam diademate frontem
Euinctus, dextra sceptrum regale gerebas.
At Gessoriacum media ostentabat arena
Heroem, fracti capulo qui comminus ensis
Térque, quatérq; caput percusserat hostis; humiq;
Strauerat indutum galea, & fulgentibus armis;
Aequatámque ausum secum committere pugnam.
Idem etiam claras Syrijs in finibus vrbes
Hostibus euersis, & magna cęde fugatis,
In libertatem victor reuocabat: & vltro
Christicolis Solymę portas pręebebat apertas.
Hac pius Eustachides lętatus imagine rerum,
Armenio grates ingentes (inquit) Hydaspi
Vos agite; & dextrę dextram coniungite nostram,
Qua pote; & haud vnquam tanti fore dicite amici
Goffredum immemorem, & secum memorabile munus,
Quo se cúnque feret, ceu magni pignus amoris

Laturum;

Laturum; gratique animi rata signa daturum.
Hęc ait, & donis auctos discedere iussit.
At Galli, quos cunctarum penuria rerum
Vexarat, miseréque ingens afflixerat æstus,
Exercere dapes festas; pedibúsque choreas
Plaudere, virginibus misti per compita; votique
Immemores suscepti animum oblectare sedendo.
Quin etiam proceres ipsi, firmissima belli
Fundamenta pij, vitæ dulcedine moti
Illius, æstiuos luxu fregere calores.
Forsan & obliti pariter decorisque, suique
Hærerent, traherentque datum per talia tempus
Otia; ni cœli magnis delapsa cauernis
Ida parens, natum in somnis affata moneret.
Nate oculis, vitáque mea mihi carior ipsa,
In terris olim, cum vita, oculisque fruebar,
Non hic vt sedeas, atque omne inglorius æuum,
Delitias inter molles consumere pergas,
Progenuit pater Eustachius; nec gloria gentis
Illa tuæ, terræ totum diffusa per orbem.
Nec pater, æthereis qui solus regnat in oris,
Euocat Hesperias sub te ductore cohortes
Ad lucos, ad agros, ad pascua culta Syrorum;
Verum, vt depulsis Solymæ de sede tyrannis,
Euersas aras, euersáque templa reponas:
Quæ mox Christicolæ, leti formidine dempta
Inuisant; sanctóque acclinent genua sepulchro.
Surge, age: iam satis est cunctis legionibus oti.

Nate datum; nihil est quod te remoretur euntem
Ad Casium; & flumen celebri cognomine Orontem.
Dixit; & in tenues abiens euanuit auras.
At vero Eustachides monitis obmutuit amens
Auditis: totóque repente è pectore somnum
Expulit; &, stratis ingentia membra relictis,
Attollens cælo palmas cum voce tetendit.
Summe pater; qui cuncta vides; qui cuncta gubernas;
Quíq; hominum mentes scrutaris; & intima cordis
Perspicis; & cælum, & terras peruadis, & vndas:
Non ego desidiæ turpi me soluere culpa,
Deliciisq; animum languentem, & mollibus vmbris
Excusare ausim: nil iam mihi deleat vnam
Te penes hanc labem; nisi quæ tam sæpe miserta est,
In te peccantum placidi clementia cordis.
Afflictæ quanquam cupientem incommoda gentis
Demere, & ad cæptos vires recreare labores,
In tantam potuit regio deducere fraudem
Fertilis; & cunctis longe ditissima rebus.
Sic ait. & properans fulgenti accingitur ense.
Ac iam cæruleis caput aureus igniuomum Sol
Extulerátque vndis; totóque illuxerat orbi;
Vndique cum proceres ad se fortissimus heros
Euocat; & placidus verbis affatur amicis.
Effluxere dies tandem, quos Sirius ardor
Efficit infestos hominum generi; atque ferarum,
Tempestásque anni iandudum, & mitior aer
Nos monet, o proceres, vt, quò res vrget, eamus.

Regnum

Regnum euersuri Turcarum immane, Deóque
Oblaturi animas pro libertate piorum.
Ergo vbi quarta diem miseris mortalibus almum
Eoo exurgens patefecerit æquore Titan,
Et dederit sonitum sacris tuba clara peractis,
Signa manu (si sic placitum) sua quisque reuellens
Pergat iter cœptum: & Selgæ sata culta relinquat.
Hæc pius Eustachides; procerum quibus inclytus ordo
Assensit, certámque suis præfixit eundi
Quisque diem: quam, cum primum lux quarta reduxit,
Incessere omnes, vultúque animóque fatentes
Ire iter inuitos, dulcésque relinquere terras:
Quarum fœcundis digressi à finibus, aspras
Peruasere tuas tandem, o, Pamphylia, valles;
Quósque latrocinijs saltus infamat Isauræ
Incola, & ad prædas solers, & furta Lalassis:
Atque Lycaoniæ felicia rura: vetúsque
Diues opum, diues cerealis mergite culmi
Iconium; sed tum vacuis ignobile visu
Aedibus: & nullo penitus custode relictum.
Quando quidem rerum fama perterritus hostis
Cesserat aufugiens; se séque in montis Amani
Condiderat latebras; totásque exhauserat vrbes.
Ergo vbi inaccessas rupes, præruptáque Tauri
Saxa vident instare sibi, & contermina cœlo,
Quæ superent, acti per mille pericula rerum,
Cœperunt primum taciti miserescere, sortis
Quisque suæ; & tantos animis damnare labores.

Talia cum tenebris erebi digressus ab imis
Cerneret; atque locum nactus, tempúsque nocendi,
Militis in faciem se se conuertit Alastor
Ignoti; & multa cum libertate loquentis.
Isque adeo turba in media; Quò tendimus (inquit)
Angustum per iter? iam nos hostilibus apta
Insidijs nemora excipient, vallésque profundæ;
Quæque adeo nos hic, ingens vbi copia frugum
Esse solet, victus iam iam penuria vexat,
Ingressos steriles saltus, atque inuia Tauri
Tesqua, vel horrentes baccas, lapidosáque corna
Coget, & euulsis tristes radicibus herbas,
Extimulante fame, pronos depascere: quanquam
Hæc quoque inaccessæ cautes, scopulique negabunt
Sufficere immanes, cælóque, erebóque minantes.

Hæc ille afflato fundebat pectore; & atra
Implebat cunctos formidine. nam simul illas
Excepere alij voces: nec fingere vultum,
Nec lacrymas possunt oculis retinere fluentes,
Et sensim exortus rumor per castra vagatur.
Vt cum Carpathium Zephyri spirantibus auris
Leniter æquoreas paulatim exsuscitat vndas
Mox vbi nimbosi dirupto carcere venti
Ingeminant, cælo tumefactum attollitur æquor
Altius, & vastos voluens ad littora fluctus
Miscetur totum, fundóque exæstuat imo.
Sic sermo in vulgum crebrescere suetus, & horror
Miscet agens animos; omnésque excita repente

Seditio

Seditio Gallos in mentem impellit eandem.
Pisidiæ hic partim, Phrygiæque reuisere terras
Partim autem ad Cilices, Tarsiq; ad mœnia suadent
Flectere iter, quo Carpathium dare vela per æquor
Possint; & terris Europæ adnare propinquæ.
Iamque erat, vt signis raptim tellure reuulsis,
Conuersus fugeret Gallorum exercitus omnis,
Irritaque aërijs mandaret vota procellis.
Sed pius Eustachides, vnaque interritus ordo
Heroum trepidis superaduenit: Et, noua quæ vos
Cœpit, ait, pauidos ignauia? quis furor, aut quæ
Inuasit tam dira animos dementia vestros?
Emensi qui tot montes, tot iniqua viarum
Strata, sitim, durámque famem tolerastis, & æstus,
Frigoráque: atque altis munitas mœnibus vrbes
Cœpistis: Turcásque manu fudistis adorti:
Nunc iuga, & abruptos saltus timeatis Amani:
Quos toties ausi pedibus superare Quirites
Eiecere suis Parthos è sedibus; & se
Victores victum statuere Euphratis ad amnem?
Non pudet ad patrios fines, terrásque reuerti
Indecores? en hæc summo promissa fides est
Pontifici? Christóque Deo deuota voluntas?
Ite, agite, & vestris narrate parentibus; hic vos
Deseruisse duces, & belli nobile cœptum;
In manibus postquam residens victoria vestris
Vertice calcato Tauri transuexit ouantes,
Et Solymam clausis auulsa repagula portis

Regnandam insolitâ Gallis virtute dederunt.
His dictis compressi animi, tacitúmque per agmen
Murmur ijt, qualem syluarum audire susurrum
Sueuimus; vt primum tepidi leuis aura Fauoni
In nemus incumbens frondes mouet; æquora qualem
Cærula, cum motæ crispantur leniter vndæ:
Et spissę fluctus sensim illiduntur arenæ
Dant sonitum: pluuijs vel concitus imbribus amnis.
Hęc eadem proceres alij per castra vagantes,
Dum turbam increpitant; Italos rex Daunus amicis
Affatur verbis, laudúmque inflammat amore.
O socij, quorum virtus testata parentem
Sępe meum potuit claris decorare triumphis;
Vos mecum sueti durós perferre labores,
Dalmaticas rupes, atq; Acroceraunia duris
Calcastis pedibus, victricia signa sequentes.
Vos animis vestris, vos assuetudine freti
Bellorum, semper vobis loca cuncta putastis
Peruia; & armatis nil non penetrabile dextris.
Eia age; dum reliqui Tauri iuga summa verentur
Scandere: & in Syriæ se se dimittere campos,
Festinate viam; primique inuadere durum
Montis iter, lętique altas conscendere rupes:
Audete, o, socij: vósque hic ostendite dignos
Inclyta quos Itali patres ad bella crearint.
Forsan & hęc, nobis quę nunc prerupta videntur,
Mollibus in pratis fessos acclina fouebunt,
Accipiéntque humiles valles, atq; æquora campi

Cultas

Culta; vbi se cœlo vertex altissimus infert.
Vix hęc ediderat, ferri cum signa repente
Vidit, & vnanimes motis succedere castris
Aduersam in rupem, & montis iuga celsa comantis.
Ausonias, & lętos superare angusta viarum
Ardua; non aliter, quam si loca sueta quadrigis
Usque teri, calcanda forent; quos agmine ab ipso,
Vt primum impauidos Galli videre per altum
Tendere iter, vertère aciem, cursuque perenni
Pensantes facinus, montis cœpere salebras
Scandere certatim, nullósque ex inde labores
Ferre recusantes, se summo in vertice tandem
Inter oliuiferos colles, & mollibus vlmos
Vitibus intextas, vallésque, agrósque feraces,
Horrentésque vmbras sistunt; lętique laborum
Despiciunt celebres vicos, vrbésque Syrorum:
Optatásque diu terras vno ore salutant,
Inde animo, vultúq; alacres facto agmine, ad amnem
Perueniunt; ętas dixit quem prisca Typhonem,
Occiso serpente illic vi fulminis; vnde
Erupit fons excisa tellure perennis.
Posteritas sedenim benefacti haud immemor eius,
Constrauit flumen primus qui ponte, supérque
Fecit iter tutum, dici de nomine Orontis.
Iussit; & artifici grates hac voce rependit.
Stabat adhuc Pario pons marmore fultus, & inde
Hinc atque hinc geminas venientibus ostentabat
Pręsidijs vinctas Turcarum ingentibus arces.

Hic

Huc præmissi equites delecta e pube Britanni,
Lexobijque simul captas euertere tendunt:
Londini ante omnes proles generosa Cononis
Goscellus; primo malas cui flore iuuenta
Vix tum etiam signans addebat frontis honores
Egregios: robúrque ingens spirabat ab ore.
Ille igitur quanquam ruerent à vertice turris
Tela, trabes, lapidésque graues, longeq; volantum
Densa sagittarum nubes inuolueret vmbra
Bellatorum aciem, rupto tamen obijce portæ
Occupat ingressum pontis; primósque trucidat,
Et turrim aggrediens obstantia claustra refringit;
Liminaque impacta perrumpit dura bipenni,
Et valuis piceos bipatentibus inijcit ignes.
Ast illi flammæque metu, cædisque propinquæ,
Præcipites se se è summis iecere fenestris
In flumen; rapidóque absorpti vortice, præsens
Dum vitare putant letum, reperere sub vndis.
At Belgæ, clypeata phalanx, hortante magistro
Iam medij, iámque extremi munimen adorti
Pontis, in aduersam Turcas immane frementes
Propulerant ripam: & flammata mente furebant.
Interea properans Gallorum exercitus amnem
Transmittunt: ripisque ipsos ex omnibus hostes
Deijciunt: cogúntque fugæ dare terga, nec ante
Consistunt, quam pugnantes ad mœnia magnæ
Consedere vrbis: quam cum Rex ipse Seleucus
Conderet, in patrem signis insignis amoris

Antiochi

Antiochi iussit patris de nomine dici.
Sed luco appositam Daphnes, vbi festa frequentes
Finitimi circum pagi celebrare solebant
Annua, conuentu in magno, dixere Epidaphnem.
Vrbem opibus ditem: fæcundámque vbere glebæ.
Prole virum celebrem: & munitam mœnibus altis.
Quæ circumiectu populos complexa quaternos,
Sustulit in cœlum quondam caput: & sibi magnum
Imperium Syrijs felix asciuit in oris.
Tum quoque barbarici sedes firmissima regni,
Vinctáque præsidijs Turcarum ingentibus, vltro
Obiecit se se Gallorum interrita dextris,
Nanque illic virtute ingens, bellóque gerendo
Clarus, & Arsacidum generoso à sanguine cretus
Hassanus Belserciades regnabat; & vrbem
Parentem imperio magna ditione premebat.
Filius huic fuerat iuuenili ætate superbus,
Nomine auum referens; Turcas pulcherrimus inter
Corpore, & Hesperijs atrox legionibus hostis.
Ante annos animo bellax, ac laudis auitæ
Aemulus, atque virens Syriæ flos pubis; & idem
Hassani decus egregium; & spes sola parentis;
Tantique imperij certus successor, & heres:
Si populi votis, placidas Deus applicet aures.
Ergo vbi victores flumen transisse Latinos,
Abdaridásque suos pontem, quo magnus Orontes
Iungitur, & medio ripas disterminat alueo,
Deseruisse videt; positisque ex ordine castris

Attentari

Attentari additus: scalisque in mœnia posci;
Et numero vinci Turcas putat; atque piorum
Posse infringi animos, pugna in certamine si quis
Tantorum procerum media succumbat arena;
Et patrium Abdaridis rediisse in pectora robur,
Expressa tandem fateatur voce; nec vsquam
Esse vllum, quem Persarum non feruida virtus
Proterat; & victum campo sibi cedere cogat;
Arripit arma igitur; captúsque cupidine laudis,
Euocat Hipparchum; quicum consueuerat vno
Esse dies, partémque etiam consumere noctis,
Et simul in densos nemorum contendere saltus;
Seu sæuos venetur apros; seu comminus vrsos
Inuadat; seu vera manu, seu ludicra tractet
Arma domi; & se se præsentis imagine belli
Oblectans, animum pugnarum inflammet amore.
Tum quoque confisus veteris virtute sodalis;
 Ipse vides, Hipparche, quibus legionibus (inquit)
Circundet nostram Gallorum exercitus vrbem;
Et latè populetur agros; finésque Syrorum;
Dum nos è muris dites spectamus agique,
Et ferri hinc illinc prædas, proh dedecus ingens,
Qui, quasi molle pecus, circunuallemur inertes,
Atque ignominiam taciti, turpésque feramus,
Quam ponte amisso pugnando accepimus; haud me
Progenitum rear Arsacidum de sanguine regum,
In pugnam ni quem ipse vocem. stat damna laboris
Hesterni, & tantę virtute rependere cladis,

Ne sibi

Ne sibi cum Prhygibus bellandum, Arabúmq; fugaci
Gente putent; vbi nemo ausus se credere campo est.
Et Marte æquato solus concurrere soli.
Hinc ollis etenim felix audacia creuit:
At nostris depulsa sui fiducia longe
Cessit, & infringens mentes ac pectora terror,
Turpiter exulibus Gallis dare terga coegit.
At me vel magnus submergat gurgite Orontes
Ante suo, & cæcis Casius conuulsus ab Euris
Obruat, infernisque prius Deus afferat vmbris,
Quam metus à cæptis animum deterreat altis,
Vlláque degeneris cuiquam dem signa timoris.
Ire animis illum contra mens ardet, & vnum
Protinus in pugnam clauso deposcere campo;
Vidimus effracto quem fortiter obijce pontis
Aduersam in ripam ferro depellere nostros.
Hæc ille, & flammas oculis effundere visus.
Tum vero Hipparchus, tantis perterritus ausis
Substitit, atque illum placidis auertere dictis
Quærit ab incæpto. Iuuenum fortissime, quis te
Abneget Arsacidûm præclaro à sanguine cretum?
Cuius in ingenti virtus se pectore tanta
Efferat, vt cunctos facinus memorabile in annos
Aggrediare manu iam nunc, tantóque periclo
Obijcias caput ipse tuum, próque omnibus vnus,
Pro quo vno fas est omnes succumbere leto,
Præcipites te te in vita discrimen apertum:
Quin potius dum per pagos, atque arua vagantes

Con-

Conuectant prædas, belli nos furta paremus,
Excipimúsque locis, feßósq; errore viarum
Ense trucidamus, trahimúsque in vincula captos?
His dictis acres audax Belsercus in iras
Exardens, Tu vero (inquit) furtísque, dolísque
Utere, & insidias castris molire latentes,
Si tantum vicisse hostem tibi rere decorum.
Me deceat medio versantem in turbine leti
Ostendisse palam, quantum virtute, manúque
Arsacidùm præstet proles generosa Latinis.
Dixit: & antetulit gressum: portísque reclusis
Exijt; illum autem iuuenum comitatur euntem
Lecta manus; laterique comes fidissimus hæret
Hipparchus: quanquam verbis male pressus amaris.
Interea præmittit agens in castra piorum;
In pugnam ex illis aliquem qui prouocet æquam;
Guscellum ante omnes: cuius memorabile nomen
Sustulit ad cæli fulgentia sidera virtus;
Præsidium postquam Turcarum è ponte fugauit,
Et multo ingentem tepefecit sanguine Orontem.
Quæ simul ac proceres animísq;, atq; auribus omnes
Accepere suis; tectúmque micantibus armis,
Ora nisi, & pulchram nudaret casside frontem,
Stare hostem, &, secum media qui pugnet arena,
Expectare vident, & multo puluere campum
Miscere, atque aliquem de se promittere tantum
Mirantur, primæ qui nondum euaserit annos
Aetatis, vixque ora gerat modo tonsa iuuentæ.

Consurgit pubes igitur generosa piorum;
Exsortémque dari sibi quisque exposcit honorem.
Cecropidum princeps Tyrrheno à sanguine Medix:
Et dux appositus duris Ursanius Vmbris:
Et Biturix Arpinus; & iisdem æqualis ab annis
Vulsinij, Ciminique lacus regnator Halesus:
His & Atestinus Venetæ flos Attius oræ:
Oromedónque ferox: & contestata Vitelli
Magnanimi virtus; nec non, cui nobile paret
Vrbinum, gelidique rapax fluit vnda Metauri,
Vbaldus; se se vltro addunt; pugnámq; petentes,
Quisque sibi, reliquis preferrier omnibus optant.
Poscit idem clari proles generosa Cononis
Guscellus: centúmque alij, quorum inuida nomen
Occulit, & densis inuoluit fama tenebris.
Guscelli sed enim Leuco iustissima visa est
Causa duci, quando illum vnum selegerat hostis
Pre reliquis, quicum media pugnaret arena.
Ergo letus abit tanto è certamine victor;
Delatúmque sibi tacitus gratatur honorem:
Et se principibus tantum debere professus,
Quantum si vitam longum producat in æuum,
Próque illis subeat terráque, maríque pericla
Omnia, non vnquam gratus persoluere possit.
Exilit; & corpus fulgentibus induit armis:
Tum conum insignis galeæ, cristásque comantes
Aptat nequicquam capiti; tum cæde madentem
Hesterna lateri properans accommodat ensem.

Mox

Mox saltu conscendit equum, clypeúmque sinistra,
At dextra ingentis robur graue sustinet hastæ.
Interea dimensi agrum Turcæque, pijque
Addiderant clauso compacta repagula campo:
Et quas auderet nemo perrumpere leges
Pertulerant, Nequis nutune, aut voce, manúque
Victori, aut victo faueat: neue audeat alter
Alterius dare vulnus equo; fraus omnis abesto:
Propositum donec laudis certamen initur;
Et parit alterutri victoria læta triumphum.
His ita compositis ductorum ex ordine primi
Hinc atque hinc placito iunxerunt fœdere dextras:
Inque vicem strinxere fidem, quam frangere nulli
Non immane nefas, vetitúmque ante omnia Persis.
At pater in pugnam Euscellum affatur euntem.
Nate, tuæ spes summa domus, si gentis auitæ
Immortalis honos vnquam, si viuida virtus
Ad decus egregium stimulis ardentibus egit,
Optantem heroes factis anteire potentes,
Nunc tu, quandoquidem tempus se se obtulit vltro,
Quo te de nostro testeris sanguine natum,
Diffundásque tuum ventura in sæcula nomen,
Fac referas victor tanto e certamine palmam.
Quod facies, si, nate, animum ratione, manúsq; u
Arte reges: satis est cunctando vincere: nunquam
Synceram peperit virtus temeraria laudem.
Hæc ille: & monitis instructum talibus illuc
Ire iubet, quo monstrat iter fors læta, Deúsque

Nec

Nec mora: progreditur procerum comitantibus armis,
Atque alacer clausi se sistit in æquore campi.
Tum tuba ter signum pugnæ dedit ære canoro.
Quod simul auditum est; diuersa è parte ruentes
Prosiluere ambo; mediijque in gramine prati
Alter in alterius thoracem intentus ahenum
Infregit magnis directam viribus hastam
Fraxineam, truncúmque manu proiecit in hostem.
At Belfercus equum freno retinere ruentem
Non potuit; nánque ille semel calcaribus actus,
Correptóque ruens spatio, non constitit ante,
Pectore quam toto commissa repagula valli
Perculit: & fractos inter clathrósque, trabésque
Lapsus humi dorso sessorem excussit ab alto.
Qui simul ac terram tetigit: pedes obuius vltro
Exilit; & dictis Goscellum appellat amaris.
Non tua me virtus, sed equi temerarius ardor
Strauit humi, quo te incolumem subducere leto
Instanti turpis possit fuga. dixit, & vnà
Iligno totum protexit stipite corpus;
Stipite; qui scrobe telluris defixus in alta
Stabat, & ingenti firmabat robore clathros.
Ergo illinc solidi tectus munimine trunci
Nunc crebros adigit clypeo, nunc accipit ictus,
Et fors omne datum frustra per talia tempus
Consumpsent, neutérque è pugna victor abisset,
Impatiens ni forte moræ Goscellus, & iræ
Desiluisset equo, & peditem pedes ipse petisset:

Parque pari pugnam inceptam congressus obiret:
Et prior incurrens validis cum viribus ensem
In clypeum librat subeuntis comminus hostis;
Et, quanquam solidi formatum ex ære metalli,
In geminas partes iterato dissipat ictu.
Vt quondam in summo lignator vertice Pindi
Impacta findit quercúmue, ornúmue securi.
Ille autem, leuis spoliatus tegmine parmæ,
Irruit insurgens contra: séque inter adorti
Corpora robustis simul implicuere lacertis;
Luctatique diu, tandem cecidere, solúmque
Prostratus tergo pressit Belfercus: & vna
Goscello victum dum se negat, atque reuulsa
Casside traijcitur duro caua tempora ferro,
Ingentémque animam tenues exhalat in auras:
Hipparchus, quem turbandi certaminis vnus
Iandudum stimularat amor, præcépsque cupido
Impulerat, iusti leges contemnere, & æqui,
Letifero celerem cornum iaculatus ab arcu
Victori penitus fauces, iugulúmque Britanno
Perforat: & fulua reuolutum extendit arena.
Non secus ac platanum, quam læta in valle virentem
Educat agricolæ studium, rigat humor aquai
Liquidus, e summo decurrens margine cliui:
Circum autem instabiles impellunt flatibus auræ.
Illa coma effusa suas pulcherrima floret,
Ostentátque nouæ decus immortale iuuentæ.
Quod si forte acri stridens Aquilone procella

Desuper

Desuper incubuit, fossa cadit eruta, humique
Extirpata iacet: iuuenem sic Persa Britannum
Surgentem à cæde morti dimittit iniquæ.
Subijcit & facto immani verba aspera. Nunc tu
Victor cum victo Stygias te confer ad vmbras;
Nequis præterea cæsum se iactet eadem
Esse manu, qua Turcarum spes concidit omnis,
Et fuso Arsacidum maculata est sanguine tellus.

PETRI ANGELII BARGAEI

SYRIADOS
LIBER XI.

HIC procerum intentas subitus dolor, iráque mentes
Occupat; & tanti memoranda iniuria facti
Præcipites agit in Turcas; primique Britanni
Corripiunt vastos arcus: celerésque sagittas:
Recludúntque enses: patefactóque aggere campi

Procurrunt

Proccurrunt Itali, & Gallorum interrita pubes.
Nec minus Abdaridæ diuersa e parte ruentes
Obijciunt se se, vocésque ad sidera iactant.
It cælo clamórque virum, clangórque tubarum,
Telorúmque ingens totum tegit aera nimbus.
Autumno veluti cum lapsæ ex arbore frondes
Arentes, liquere hyemis sub frigora, ramos,
Et terræ texere solum; si vertice ab alto
Incubuit Boreas in syluam, & turbidus Auster
Aduerso rursus veniens à cardine flauit;
Nunc huc, nunc illuc se se per inane volutant:
Miscentúrq; vnà, & temere agglomerantur in orbem.
Primus ibi Hipparchus, cædis qui solus iniquæ,
Et sceleris, fraudisque audax processerat auctor,
Dum circumfusos comites hortatur, & vrget
Turbidus in pugnam, & stricto ferit obuius ense,
Quemcúmque ante alios belli furor impulit ardens,
Sopitus cecidit magno sub pondere clauæ.
Hunc Lyrcus, fratérq; Labrax, Drymónq;, Coraxque
Exanimem cecidisse rati, quò corpus inane
Obscænis lauiandum auibus, canibúsque relinquant,
Et quocunque modo domini vlciscantur adempti
Interitum, pedibus traxere in castra reuinctis.
Nec procul inde auidum pugnam confundere Lydum
Cambletem Biturix, acto in præcordia ferro,
Sternit humi, mensa suetum discumbere herili,
Belsercúmque vnà risu oblectare, iocisque,
Et tempestiuis horas insumere cænis:

Et tamen expertum belli, gnarúmque laborum.
Inde inter primos versantem, & dura cientem
Prælia Tigritem splendenti percutit ense:
Et galeæ in tergum caudam fundentis equinam
Perfregit conum, & frontem confixit: at olli
Offudit cæcas oculis nox atra tenèbras.
Concidit & magno tellurem pondere pressit:
Cui collo ex alto pendentem in pectora torquem,
E solido conflatum auro, rapturus Aturrus
Incola Burdigalæ; raptu qui viuere suetus
Esset, & occultis vitam traducere furtis,
Accurrit properans: ac dum se inclinat, vt aurum
Auferat, & præda cupidus ditescat opima,
Detexit lumbos; &, quà coniungitur ossi
Spina sacro, Sasalis mucronem in viscera condit,
Per mediúmq; adigens vmblicum, è vulnere tristem
Extorsit vitam, & tenues dispersit in auras.
At Sasalim florentem annis, & corporis auctu
Ingentem, & Thracum prognatum à sanguine regum
Daunius incurrens medium transuerberat hasta,
Setosus mammas thorax vbi diuidit ambas:
Ille cadit, pedibúsque leues diuerberat auras
Non secus, atque alnus fluuij, putrisue paludis
Nata ad aquam, & celsis euecta ad sidera ramis,
Cum ruit, agricolæ dura succisa securi,
Et iacet informis, donec currúmue, ratémue
Circumiens, hominum notos formatur ad vsus.
Hic etiam auxilio subeuntem, & dira frementem

Beliadem

Beliadem aggressus, stricto ferit arduus ense,
Egregium forma iuuenem: quem mater Iebba,
Descendens summis à verticibus Carmeli
Huc, vbi vir flammis tenues mollibat arenas,
Fusuras vitreos riuis vndantibus amnes,
Edidit in lucem limoso in margine Beli.
Qua propter puerum grati dixere parentes
Beliadem, patris memorem, matrisque futurum,
Ni vitam Ausonius iuuenilem abrumperet ensis:
Quo caput in geminas partes bellator Iapyx
Disiciens, rapidi fas est, ait, horrida Orontis
Ripa tegat; Belus quem iam piger amnis in auras
Extulit ætherias, tanto vt morerere sub ictu.
Talia dicentem iacta petit obuius hasta,
Hassani qui se Cypria de pellice natum
Crediderat Gemmes, lecto suppostus herili
Per fraudem, & prolem regno exclusurus ab alto
Legitimam: si forte dolos, & vota secundent
Astra, & regnorum semper Deus vnicus auctor.
Verum aliter superis visum: nam fraxinus acri
Illius acta manu, præteruolat irrita regem
Ausonium, & stridens pectus transfixit Amastri
Armigeri; Stephano Senoni quo gratior alter
Non fuit, & tacitæ cui crederet intima mentis
Arcana, & curas animi fidentius omnes.
Quo moriente, Senon tristes exarsit in iras:
Per mediósque ruens, Nec tu lætaberis (inquit)
Hoc errore tuo: neque me mea dextera fallet

Dixerat, & Gemmem commissa cæde superbum
Sæuus adit; dextrúmque oculum configit acuta
Cuspide: quæ penitus fixo stetit hausta cerebro:
Reclusitque animi latebras, cacósque recessus.
Ille cadit, regnique omnem spem morte relinquit.
Commissum interea magnis terroribus affert
Clamorem, ac totam peruadit fama per vrbem,
Cunctorúmque aures atra formidine replent
Confusæ voces, atque illætabile murmur;
Belsercum egregiæ iuuenem virtutis, & vnà
Inuictum bello Gemmem cecidisse peremptos,
Et ruere ad portas vrbis facto agmine Gallos:
Victorésque manu sæuam committere cædem,
Et furere, & scalas ad mœnia ferre paratas.
At rex Hassanus, quanquam tot funera mentem
Turbant, & subito pectus dolor occupat ingens,
Accurrit properans tamen, & se in tuta ferentes
Increpat. O miseri tantus quis pectora vobis
Insinuat pauor? & proiectis turpiter armis
Quos fugitis? duro ne illis è marmore corpus?
Aut ferri ex acie? vestrarum respuit ictus
Hastarum? cur tela manus, cur tempora cassis
Armat? & obductus vobis ad pectora thorax?
Eia, agite; & mecum victorem inuadite Gallum.
Aut hodie mortem natorum vlciscar acerbam;
Auferet aut idem vitam mihi fatifer ensis.
Dixit, & e portis præceps erumpit apertis:
Atque vnà secum Orchanes: cui viuida bello

Dextera,

Dextera, & agrestes robusto in corpore vires;
Setosúmque chalybs pectus tegit: ærea frontem
Cassida: tum clypeus læuum latus: at manus hastam
Dextra gerit solidam: clauæ graue robur in armos
Pendet equi; & femori pugnax accingitur ensis.
Iique vbi se fudere foras, lectique secuti
Tota ex vrbe duces, & bello assueta iuuentus,
Inuasere pios Turcarum euersà fugantes
Agmina, & immiti strages, & funera ferro
Edentes, campi spatium quocunque patebat.
Hic Petalus Treuir, fugientem sæuus in hostem
Dum furit impune, & facta iam cæde superbit,
Fraxinea Hassani medius transfigitur hasta.
Huic comitem Orchanes perfossum cuspidis ictu
Ire iubet Pansam, Pansæque adiecit Agronem:
Illyricos inter rerum cui summa potestas
Cum foret, & regni regeret moderator habenas
Ipse vnus, patria Gallis seruire relicta
Maluit, & famam sumptis sibi quærere ab armis.
Nec mora. Bellouacus cadit Antymus: & cadit Agnon:
Antymus Herculea contusus tempora claua,
Ambarides Agnon Porsæide cæsus ab harpe;
Iámque simul Gallique omnes, versique Britanni
Terga dabant, victórque hostis per aperta ruebat,
Cæde tepefaciens, qua qua patet æquore campus:
Cum pius Eustachides rapta volat obuius hasta:
Inque aciem confertam equitum defertur, & ipsi
Perforat Harpagio ferrata cuspide pectus:

Harpagio,

Harpagio, quem frondiferis Pamphylia Syluis
Eductum, docuit se se immiscere rapinis,
Exercet quascunque Cilix, & raptor Isaurus.
Unde altas iam nactus opes, fidósque sodales
Oppressit Tarsum per fraudem, & Rhoson, & Isson.
Bithyna sedenim postquam sunt vrbe potiti
Christicolæ, & Medi pugna cecidere cruenta,
Inque dies magis atque magis diffideret armis
Ipse suis, populique iras odiúmque timeret,
Hassano laturus opem, Cydnúmque, Sarúmque
Liquit, & augentem multo sua littora limo
Pyramon, ac portas cœlo se æquantis Amani.
Hoc tamen auxilio regem tum iuuit amicum,
Eustachidæ in se se quod telum auertit, & illum
Protinus occumbens stygijs submouit ab vmbris.
At ferus Orchanes, immani vulnere pectus
Confossum aspiciens, non iam perterritus hæsit,
Sed stricto Eustachidæ galeam ferit arduus ense,
Ulturus socium: nec fors deceptus abisset,
Ni clypeum ingentem plagæ supponeret heros,
Corporéque exiret telum, vitaret & ictum.
Decidit in summum sæui tamen impetus ensis,
Nudauitque genu, fuerat quo tegmine tutum.
Tum vero Eustachides ira inflammatus amara
Altior insurgit, gladiúmque obliquat acutum
In latus, & medium, quanquàm fulgentibus armis
Contectum, & triplici munitum corpus ab ære,
Disiicit in geminas vno modo vulnere partes.

Vmblico tenus vna cadit: sedet altera dorso
Fortis equi: latique trahens per gramina campi
Viscera, præcipiti cursu defertur in vrbem:
Informe, horrendum, & visu miserabile monstrum.
Hic vero Abdaridis humilis trepidantia rursus
Sternit corda pauor, pugnámque relinquere cogit:
Tergáque vertentes spatium producere vitæ.
Ipse etiam Belserciades Hassanus in vrbem
Inuitus rapitur: tum primo in limine turba
Opprimitur fugiens, vitámque exhalat in auras,
Dum portæ se quisque volens inferre patenti
Occupat ingressum, & magnis clamoribus intro
Primus abit, nisúque animam diffundit anhelo.
Accurrunt igitur trepidi, qui claudere portas
Festinent, introque vetent irrumpere Gallos.
Ceu quondam agricolæ, pluuia si forte recenti
Aequarint summas torrentia flumina ripas;
Quæ iam diluuiem pratísque, agrisque minantur,
Ingentes lapides, vmbrosísque eruta syluis
Robora, & excisas annoso stipite quercus
Aduoluunt, callésque omnes, aditúsque viarum
Occludunt, totóque fugant e pectore somnum:
Incustoditus nequa vagus effluat amnis,
Et se se in segetes, campósque effundat apertos.
Cardine sic illi conuerso ad limina valuas
Obnixi impellunt humeris, multósque suorum
Excludunt, atráque omnes in morte relinquunt.
Quorum alij ferro immiti cecidere perempti:

Ln ra-

In rapidum iecere alij se flumen, & vndis
Demersi, Stygiæ ripas petiere paludis.
Occultæ paucos latebræ, notique recessus
Montis, & obscuræ valles horrentibus vmbris
Seruarunt, dum tecta fugam per lustra capessunt,
Et sua subducunt instanti corpora leto.
Ast Itali, Gallique duces, acresque Britanni
Vlti hostem, quanquam primas nox atra tenebras
Excierat, terrásque suis obtexerat alis,
Goscellum mesti strato imposuere pheretro,
Susceptúmque humeris flentes in castra tulerunt.
Quem super illachrymans genitor procumbit, & imo
Corde ciet gemitus, tandémque his vocibus hiscit.
Nate mihi è primo sublatus flore iuuentæ
Occidis; & rerum versantem in turbine patrem
Deseris ipse tuum: plus, heu plus scilicet vno hoc
Vixi ego, nate, die, vitæ quam posceret huius
Vsus, & emeritæ requies postrema senectæ.
Debueram caput hoc morti, cum me tua virtus
Felicem cœlo æquarat; cum facta triumphis
Digna ferebantur passim: nec perfidus hostis
Fas omne abrumpens, telo mactaret iniquo
Victorem, & regis surgentem à cæde superbi,
Aeternúmque decus palmæ immortalis adeptum.
Nunc, sine te, quicúnque dies, Goscelle, supersunt,
Exigere, atque graues belli tolerare labores
Cogar, & ingratæ posthac accumbere mensæ.
Hoc tamen in luctu lætor, quòd sanguine fuso,

Protinus

Protinus euectum Solymæ cælestis ad arces
Et cupio, & spero: nostras vnde arduus oras
Despicis, & cœtus inter versaris ouantes:
Qui verum ob cultum pugnando vulnera passi
Aethereas sedes terris petiere relictis.
Aurora interea toto fulgentia cælo
Sidera depulerat, montésque afflarat anhelis
Phœbus equis, lati retegens super æquora campi
Corpora cæsorum, atque ingentes stragis aceruos:
Cum pius Addemarus candentem indutus amictum
Selegit procul vrbe locum, ac de more piorum
Sparsit rore sacro, & pura circumtulit vnda:
Conceptisque Deum verbis in vota vocauit.
Hic, qui præterita sublati cæde iacebant
Effossæ mandantur humi; princépsque sacerdos
Illorum enumerans laudes, vocat ore beatos,
Queis hoste in medio pulchram per vulnera mortem
Oppetere, & se se stellis inferre cruentos,
Contigit, ante ipsum diuúmq; , hominúmq; parentem.
Has inter lachrymas, sacris iam rite peractis,
Goscello ingentem nigro de marmore mandat
Eustachides fieri tumulum: sed opima columnæ
Belferci regis iusto in certamine victi
Aduersæ figit spolia; & rem carmine signat.
Goscellus victor victo hoc de rege tropheum.
Omnibus his adijcit meritæ spectacula pœnæ.
Nánq; ipsum Hipparchum, primus qui fœdere fracto
Goscelli occultam direxit in ora sagittam,

Ante vrbem adductum, iubet in diuersa quadrigis
Differri, & toto raptari viscera campo.
Interea magnos Nerei Sol lapsus in amnes
Corruit: & densis obducens cuncta tenebris
Stelliferi summum patefecit limen Olympi.
Tempore quo Diuùm cœtus conuenerat omnis,
Vt patrem, regémque hominum festinus adiret,
Et ferret sua quisque leues mandata per auras,
In terris quæcunque imis peragenda darentur.
Astitit hos inter tenebrosa à sede nigrantum
Vragus, horrentis custos infandus Auerni.
Quem procul aspiciens hominum, rerúmque repertor
Vnde, ait, ipse tuos gressus agis Vrage? at ille
Respondit. Terras adij, pelagíque recessus,
Omnia circumiens, prædas vt diues opimas
Vndíque quæsitas in Tartara conuectarem.
Tum pater omnipotens: num quem terræ (inquit) in orbe
Goffredo magis esse vno pietatis amantem,
Et nati præcepta mei, ritúsque tuentem
Vidisti? quos ille animo, quos ille labores
Corpore sustineat, Solymam quo liberet vrbem
Seruitio infando, templisque reponat honores
Ipse meis, Turcásque alias depellat in oras?
Subijcit his Erebo pestis digressa profundo
Vragus. Haud equidem miror, rex maxime, si quem
Ipse tua fultum munis ope, cuique secundæ
Res, & vota fluunt, vnum modo pectore toto
Te colit, atque aras multo tibi thure vaporat,

Ac cœli

Ac cœli proceres precibus ſine fine fatigans
Perſtat in officio, & Solymæ fidenter ad vrbem
Pergenti, non vſquam animi mens fluxa vacillat.
Sed ſi forte tuas vires ſubtraxeris, & me
Siueris improuiſum aliquod legionibus illis,
Ipſe quibus præeſt, iam nunc infligere vulnus,
Finibus extemplo Syriæ, rebúſque relictis
Ad Morinos tibi diffiſum remeare videbis.
Hæc ille. At contra diuûm pater, atque hominum rex,
Vade age, cunctorum, qui nunc mea caſtra ſequuntur,
Experiare animos horrenti algúque, faméque;
Aduerſiſque vnà rerum ſucceſſibus; ipſos
Bellatorum animos à tanto auertere cœpto
Nitere, & in populos peſtem diffunde, luémque:
Et pereat, retroue abeat, qui nomine noſtro
Prætexit fraudem, & dominandi fertur amore;
Hi fines tibi præfixi ſtatuuntur. at vltra
Ire veto. Sic effatus terrámque, polúmque
Aetheráque immenſum vultu tremefecit, & vndam,
Ille autem procul abſceſſit, Daphnémque petiuit:
Vnde olim reſponſa ſuis edebat; & omnium
Implebat fallax dubijs ambagibus aures.
Huc ſe demiſſus conſueta in ſede locauit
Obſeruaturum tempúſque, atque apta nocendo
Momenta, & lapſis ſparſurum incendia rebus.
At proceres, poſitis portarum ad limina caſtris,
Incluſos Turcas denſa obſidione premebant.
Quanquam illi auerſæ digreſſi è mœnibus vrbis

Palantes

Palantes Gallos, prædámque in castra ferentes
Interdum insidijs obtruncauere locatis.
Has inter clades, durique incommoda belli
Mutua, iam mensis processerat vnus, & alter,
Et circum horrificis Aquilonibus arua rigebant:
Non vllæ arbõribus frondes, non gramina campis
Vlla superfuerant: glacies astrinxerat amnes:
Brumáque durata passim niue texerat arua:
Et circum vastatus ager, direptáque latè
Castella atque hornis exhaustæ frugibus vrbes,
Afflictis alimenta dabant haud vlla Latinis.
Iámque fames totis incesserat improba castris:
Nec laceræ vestes pluuiam, nec frigora noctu
Marcentes poterant pelles arcere; nec vsquam
Tectum erat, à gelidis se se vt defenderet Euris
Miles, & optato recrearet membra sopore.
Quæ simul atque hyemis vis ingruit aspera terris,
Vragus aligeros dirorum à sede nigrantum
Euocat: illi adsunt præsto, morbósque, famémque
Augentes, qua quisque potest in pectora se se
Inserit, atque animos agitans vulgique, ducúmq;,
Suadet ab inceptis quamprimum auertere mentem,
Et desperatis penitus diffidere rebus.
Ergo alij, dum dira fames, & pestis in omnes
Grassatur, taciti cœtus, atque ipsa piorum
Castra relinquentes Lydos petiere, Phrygésque,
Vicinos alij portus: liberrimus vnde
Detur in Ionias vndas, & littora cursus,

Tum

Tum pius Eustachides, cui res aduersa dolorem
Ferret, & ex oculis lachrymas exciret amaras,
Concilium propere cogit procerúmque, ducúmque,
Sciturus, dubijs quid quisque in rebus agendum
Censeat; vnde aliquam castris ferat ipse salutem.
Hic igitur Thracum ductor, quem Graius Alexis
Miserat, vt tantis per fraudem obsisteret orsis,
Consessu è medio surgens, hæc ore profatur.

Non equidem, ò, proceres, vestris me viribus vnquam
Indubitare sinet virtus clarissima, qua vos
Tam longum superastis iter; strauistis & hostes
Innumeros; summisque sitas in montibus arces
Exæquare solo freti potuistis; & vna
Præcipites vndis tranare tumentibus amnes;
Nec, siquid vestris aduersum contigit ausis,
Continuò iubeam tantis diffidere cœptis,
Et quasi deuictos hosti concedere palmam;
Sed quoniam hibernis cum tempestatibus, & cum
Imbribus, ac niuibus, glaciéque rigentibus oris
Pugnandum est, vulgéq; ingens pestísq;, faméśq;
Absumit miseros, nec spes datur vlla salutis,
Dum fessi ad ripam rapidi versamur Orontis,
Inque dies hostis regionem, vrbémque tuetur
Auctior, ingentes animos, cui prospera rerum
Euenta addiderint, quorum vi non modo tutam
Esse putant vrbem, sed aperto inuadere marte
Castra parant opibus Persarum ingentibus aucti:
Cedentes vltro nos in vicina feramus

X Hyberna:

Hyberna: & cœli tractum fugiamus iniquum:
Dum terris desæuit hyems, & frigora Cauri
Spirantes, nostris prohibent assultibus hostem.
Nanque, ita corporibus, somnóque, epulisq; refectis,
Cum primum incipient tepidi spirare Fauoni
Flamina, & incultis herbescere gramina campis,
Forsitan auspicijs longe melioribus urbem,
Quæ modo nos portis infesta excludit, & arcet;
Cum se rettulerint alacres in castra manipli,
Continget faciles captam expugnare per artes.
Interea, nequis duros vitare labores
Me putet, & pro re communi haud velle periclis;
Quæcunque est, quæ restat adhuc, exponere vitam,
Seu vos hic studium cœptæ obsidionis ad urbem
Detineat, lætos seu vos hyberna receptent,
Certum est Threicias iam nunc excurrere ad oras:
Vt quascunq; equitum turmas, peditmúq; cohortes
Delegit nuper Graium regnator Alexis,
Adducam quamprimum ad vos: quibus amnis Orontes
Territus auxilijs, fastúsque, animósque superbos
Exuat: atque iugo collum submittat aheno.

Hæc dux Odrysius. contra quem talia fatur
Eustachides. His me castris incommoda nunquam
Dimoueant: vel se totam diffundat Orontes
In vallem: & Casius terris subsidat apertis.
Tu vero, quascunque libet te confer in oras.
Prouidus, & nostræ tangat te nulla salutis
Cura. etenim Deus usque suos tutatur, & illos

Non

Non æstus, non frigus iners, non lædit egestas,
Non acies confertæ hominum, non alta retardant
Mœnia, nec summas æquantia flumina ripas,
Quominus inceptis instent constanter, améntque
Ignibus in medijs potius dispergere vitam
Impauidam, quam degeneris dare signa timoris
Vlla; vel à magnis desistere turpiter ausis.
Hæc bonus Eustachides: sed Thracum ductor, & vnà
Dux Senonum simulans morbo tentarier acri,
Atque ipse abiectis clam Carpentarius armis,
Vnus, inexhausto plures qui robore fuerat
Contra stare hostes, victórque excedere pugna,
Regia progenies, magnorum & germen auorum,
Obliti decorísque sui, laudísque suorum,
Arripuere fugam: castrísque abiere relictis:
Et socios tanto liquere in cardine rerum.
Tum vero procerum tantorum exempla secuti
Innumeri, queis militiæ labor, & metus acer
Fregerat hostilis, solidósque inciderat omnes
Virtutis veræ neruos, liquere sodales,
Quisque suos, facti immemores, votique fidéque.
Vsque adeo capiunt animos obliuia nostros,
Et penitus nulla est alienæ cura salutis,
Si quando impendet capiti commune periclum.
Vt, fumo cum pastor apes exegit amaro,
Dulcia lecturus mella ex aluearibus, illæ
Destituunt trepidæ cellas; & rege relicto,
In diuersa abeunt, fusæque per arua vagantur.

Hic igitur reliqui proceres precibúsque, minisque,
Quisque suos, retinent, pœnásque, & prœmia cuiq;
Proponunt, &, quæ possunt, alimenta ministrant.
At Robertiades congesto è cespite primos
Ausonidum alloquitur, verbisque hortatur amicis.
Ferte viri: & duros animo tolerate labores,
Et mecum aduersis opponite pectora rebus.
Ille Deus, cuius causam suscepimus, ille
Præsto aderit laturus opem, si fortiter ausis
Instare, & duri perferre incommoda belli
Viderit vnanimes, quæ nunc his maxima terris
Perpetimur; neque enim tantis insistere cœptis
Inuisos hominúmque patri, diuúmq; putandum est.
Nos ille incolumes per tot discrimina rerum
Duxit adhuc; idémque manu superare potentes,
Innumeróśque hostes dedit; & vel nomine tantum
Insolitum Arabijs terrorem inferre, Syrisque,
Præcipitésque sua Turcas depellere sede:
Et nunc, quòd glacie valles infesta niuali
Detinet, & rara est cerealis copia victus,
Vináque deficiunt, plenæque obsonia mensæ,
Creditis à nobis mentémque, animúmq; benignum
Auertisse Deum? tales plerunque per artes
Pertentare fidem solet ille, & nosse suorum.
Nec tamen extremis agitatos casibus vnquam
Deserit; at, quod vos experti sæpius estis,
Improuisus adest, & opem pereuntibus affert.
An vos, ò, miseri tutam per tela, per ignes,

Pérque

Perque acies medias, inimicáque castra putatis
Inuenisse viam certa sine numinis aura?
Et tandem incolumes penetrasse ad flumen Orontis?
Non nostræ hoc vires; non victæ ignauia gentis
Effecit; legióue magis numerosa piorum.
Maior agit virtus; maiorque potentia nostra hæc
Cœpta iuuat; quam cui possint vel Bactra, vel Indi
Impune armatas opponere in agmine dextras.
Huic ergo, ò, socij, si iam confidimus vni,
Nil desperandum tanto duce, & auspice tanto.
His dictis curas, tristésque è corde parumper
Amouere metus: sed enim penuria victus
Quottidie magis, atque magis funesta premebat
Non modo confusam passim ac sine nomine plebem,
Verum etiam auctores belli, procerésque, ducésque
Communem impulerat iam desperare salutem,
Qua fama rex Hassanus commotus amicos
Quorum consilio niti consueuerat, ad se
Conuocat, & lætus fidas sic fatur ad aures.
Quod fore prouidi iam tum, cum tantus in armis
Obsedit nostram Gallorum exercitus vrbem,
Ecce malis perit ipse suis, morbóque, faméque,
Frigoribúsque hyemis vexatus, & imbribus atris:
Iámque adeo ad paucos equites, peditésq; redactus,
Si quicquam veri iactæ prædicere sortes
Consuerunt, parat ille fugam, seu totus in ijsdem
Hæret adhuc castris, veritus ne forsan euntes
Ilicet inuadam, & vertentes terga trucidem

Quod, nisi quis se sic opponat casúsque, Deúsque
Ipse mihi, & tantam inuideant fata aspera laudem,
Perficere est animus, cum primum Aurora resurgens
Altera flammifero rubefecerit æthera vultu.
Nánque ad perdendos ingenti clade latrones,
Inuasere manu qui regna aliena, suisque
Audent extorrem Mecmethum expellere templis,
Finitimæ legere vrbes, atque oppida turmas.
Quæ simul aggressæ primæ sub tempora lucis
Irruerint, nos è portis facto agmine apertis
Erumpamus; & vnanimes in castra feramur
Vndique fusuri signis victricibus hostes.
Nunc autem, quoniam taciti speculemur oportet,
Securi ne sui maneant, an castra relinquant
Confisi tenebris, noctisque silentibus vmbris,
Ecquis erit vestrum, qui se committere nocti
Audeat obscuræ, penetrétque in castra latronum
Præmia laturus generosi ingentia facti?
Illi ego Sidonio tinctas bis murice vestes
Largiar, & solido loricam ex ære rigentem.
His donis accedet equus candore niuali,
Quem mater generosa Cilix, vbi Cydnus Amanum
Dissecat, æthereas in luminis edidit oras,
Per rupes assuetum altas intendere cursum,
Armorúmque adeo strepitus horrescere nullos.
Hæc ille. & dictis cuncti assensère silentes,
Nec quisquam tamen est ciuis, milesue repertus
Auderet dubijs qui se committere rebus

Præter Amasiadem Phormum; cui sector Iberus
Diues agris, diues positis in fœnore nummis
Malcus erat genitor; veteri qui lege relicta
Mosis, ad Abdaridæ turpis se transfuga ritus
Contulerat; Turcásque inter compleuerat ædes
Argento, atque animum fastu cumularat inani.
Ille igitur surgens. Nihil est (ait) inclyte ductor,
Quod tu tam large mercedem, & præmia cuiquam
Egregium ob facinus te polliceare daturum.
Ipse etenim, nec dona moror, speculator abibo
Quo tu cunque iubes: vel si mihi & ipsa potentum
Sint adeunda ducum tentoria: nec metus vllus
Nec duri retrahat facies inimica laboris,
Ne castra explorem: tum, si res postulet, ipsis
Occurram auxilijs, dux vt, monitórque viarum
Vsque adstem, & certo cunctos hic tramite sistam.
Tu vero tantum ob meritum, rex magne, daturum
Polliceare mihi, modo quem Goffredus acutum
Per medium Orchanem, mirantibus omnibus, ensem
Exegit, totúmque metu tremefecit Orontem.
Talia magniloquo tumidus fundebat ab ore
Phormus: & insuetum lateri poscebat honorem
Ipse suo: quem nemo ausus sperauerat ante.
Tum sic Hassanus; cœlúmque, & sidera, & ipsum
Testor Halyn, fore nullum alium, cui deferat ensem
Goffredi manus hæc, & tam memorabile factum
Deletura animo nulla vnquam obliuia nostro.
Hæc ait. & spolijs, armisque recentibus ornat

Ausonium in morem. parmam fert læua nigrantem:
Aere caput tegitur; rigido latus ense tuetur:
Dextra gerit iaculum, tergúmq;, & brachia fuluę
Pellis obit detracta lupæ. Sic comptus ab vrbe
Egreditur, qua pons longe porrectus ab amne
Saxeus, ad Canię decurrit limina portę;
Atque interiectę crebris vada pigra paludis
Arcubus amplectens Turcisque, Arabisque patebat
Liber, & haud vsquam premerent quem castra piorum.
Tempus erat, primę quo pars decedere noctis
Incipit, & vigiles abeunt statione relicta.
Succedúntque alij, cum se Boemundus, & vnà
Aulercę pubis ductor Robertus agebant,
Exploraturi, num quę custodia pontem
Seruaret, posset ne capi vel fraude, vel armis.
Dúmque oculis circumspiciunt, & cuncta pererrant,
Et strepitus intenti omnes, & murmura captant
Auribus, ecce vident extremo ab limite pontis
Discedentem ad se recta contendere gressum.
Tum vero socij fidas Boemundus ad aures
Affatus, Venit hic, inquit, speculator ab hoste
Hassano, aut spolijs nostrorum vt onustus in vrbem
Mox referat se se: sed nos è tramite ad amnem
Deflectamus, & occulti obseruemus euntem;
Donec nos abiens paulum post terga relinquat,
Atque intercepto nusquam fuga libera detur.
Sic ait. & dicto citius secessit vterque
Ad flumen, cælo, atque vmbris contectus opacis,

Et se

Et se se in cæcis taciti occuluere latebris.
Ille autem obscuræ per amica silentia lunę
Incedit fidens animi, ignarúsque futuri.
Cumque viæ spatium properè progressus abesset,
Quantùm aliquis iactu volucris comprenderet hastę,
Exiluere ambo, & curuos liquere recessus;
Non secus ac par acre canum, cum forte cubili
Excitum strepitu leporem, ceruumue sequuntur:
Inque nemus, vallemque vrgent; fugit ille, sibique
Prouidus Eoos cursu præteruolat Euros.
Sic Phormum dux Aulercus, sic Appulus heros,
Instantes tergo, & vestigia pressa sequentes
Cogebant rapidum longe contendere cursum
A ponte, & summos à læua inscendere colles.
Coniecto sed enim Daunus per inane veruto,
Ilicet hinc, atque hinc perstrinxit vulnere suras,
Tardauitque fugam; verbisque affatus acerbis
Vel iam siste gradum, vel, tu hic moriaris, oportet,
Hasta, ait, hac nostra medium per pectus adacta.
Constitit ille tremens, fuditque has ore loquelas.
O, quicunque estis, vitam hanc seruate, satisque
Sit notas clausisse vias ingentibus ausis:
Et me constrictum vinclis in castra piorum
Ducite. non erit hæc vobis clementia fraudi.
Nanque pater Turcas inter ditissimus omnes,
Cui iuga bis centum proscindunt rura, domique
Argentique ærisque grauis graue pondus, & auri
Defossum tellure iacet, nec regia vestis

Deest,

Deeſt, & odorata flagrant laquearia cedro,
Protinus ingenti redimet mercede; libénſque
Theſauros, queis me ſeruet, recludet auitos.
Subijcit his Italum ductor: quis tanta recuſet
Præmia, & oblatam demens contemnat opum vim?
Interea flumen dic quæ te cauſa coegit
Traijcere, & ſeræ ſolum te credere nocti.
An forte, vt ſpolijs noſtrorum indutus opimis
Diues ad Haſſanum redeas? an caſtra piorum
Ingreſſus ſpeculere fugam, bellúmue paremus?
Tunc ille, ex imo ducens ſuſpiria corde,
Ipſe equidem vobis (inquit) ſine fraude recludam
Omnia, nec patriæ faciet ſpes vlla iuuandæ,
Quominus effundam veras è pectore voces.
Egit ad audendum tanta hæc rex Perſa, petenti
Qui mihi Goffredi dono promiſerat enſem,
Cum primum vos exciſos vltricibus armis
Strauiſſet, toto permiſcens funera campo.
Subriſere duces. mox illum Daunius heros
Affatur. magnum eſt munus, quod amice, cupiſti,
Sed grauius quam ferre queas. verum quibus ille
Auxilijs fretus de ſe promittere tantum
Audet? an exciſas vires ita credit, opéſque
Gallorum, vt quicquid ſupereſt, euertere ab imo
Ipſe velit, tantúmque vnum ſe poſſe reatur?
Phormus ad hæc, non ille quidem ſpe motus inani
Hæc fore confidit, nam cum nox poſtera toto
Incipiet ſecum tenebras abducere cælo,

Ingentes

Ingentes equitum turmæ, peditúmque manipli
Finitimas nuper pubes collecta per vrbes,
Improuisi aderunt à tergo in castra ruentes,
Cum latè serpens fessos sopor irrigat artus.
Sic mandat, fieríque iubet dux ipse Bagoas,
Hassani comes, & consanguinitate propinquus:
Ille quidem florens annis, animísque superbus,
Cuius in effrena reliqui virtute quiescant.
Et sperent se posse omnes delere Latinos.
Sed mihi iam manibus duros innectite nodos,
Et quocunque libet vobiscum abducite vinctum:
Vt, nisi veridicas expressi è pectore voces,
Cogatis meritas leto persoluere pœnas.
Immo, ait Aulercus ductor, ne vera locutum
Resciscat rex Hassanus, pœnámque reposcens
Delictum ob tantum, laqueo collum implicet, & te
Ante oculos populi ligno suspendat ab alto,
Nunc morere, & præsens tanti cape præmia facti.
Hæc ait, atque preces alias iterare paranti
Abscidit ense caput: spoliísque, atq; omnibus armis
Exutum canibus lacerandum, auibúsque reliquit.
His actis ambo rediere in castra sub ortum
Auroræ; inque vnum Gallis, Italisque coactis
Principibus, memorant illa quid nocte sit actum:
Quæque adeo audierint instare pericula ab hoste
Externo; & procerum, quæ sit sententia, poscunt.
Omnibus idem animus tacitis educere castris
Armatas equitum turmas, peditúmque cohortes,

Cum

Cum primum terras nox atra innoluerit vmbra,
Atque improuiso venientem inuadere turbam.
Exciuere igitur castris ex omnibus illos,
Quos neque dira fames, neque sæua absumere pestis
Quiuerat, aut clades bellorum abolere receptæ.
Iámque Atlantiaco Sol merserat æquore frontem,
Cum lectæ coiere acies, tenebrásque per altas
Arripuere viam, quà ripam extendit Orontes
In longum, & mediam disterminat agmine vallem.
Et quoniam septem de tot iam millibus alæ,
Atque equites alam centeni quamque secuti,
Vix reliqui fuerant, bellum qui sponte cierent,
Insedere locum, cuius latus alluit amnis
A dextra, læuáque suis intercipit vndis
In vallem porrecta palus; mediúmque relinquit
Planitiem angustam, breuibúsq; excursibus aptam.
Nec mora. Turcarum properans equitatus easdem
Ingreditur fauces, cum vix ex æquore surgens
Auroram cæli portis exciret apertis
Maturat quæ stella diem prænuntia Solis,
Et passim gelida consperceret arua pruina.
Ac iussi celerare gradum sine lege ruebant
Ad cædem, & prædam, quo spes male sana vocabat.
Ergo vt in insidias medij venere paratas
In tutum vnde illis nusquam fuga certa dabatur,
Compressere vnà gressum, subitóque pharetris
Eductas grauidis neruo imposuere sagittas,
Inque hostes densæ fuderunt grandinis instar,

Cum

Cum præceps in tecta ruit; sed vulnera nulli
Inflixere pio, clypeis, aque ære repulsæ.
At non Ausonij, non robora lecta Britanni,
Obuia non Galli Turcarum in pectora frustra
Direxere suas innixi viribus hastas.
Sed veluti totidem coniecta è nubibus atris
Fulmina, deijciunt fracto nunc stipite quercus,
Nunc scopulos, altásque ruunt à culmine turres,
Sic illi, hostiles docti perrumpere turmas,
Deturbant ab equis alios, alióſque trucidant
Exacto penitus duro per viscera ferro.
Densentur turmæ, medijque vrgentur, & ijdem
Protrudunt primos, primique in terga ruentes
Inuoluuntur equis venientum, atque agmine pressi
Expirant animas obscura morte diremptas.
Ergo, vbi se angusto conclusum calle Bagoas
Vidit, & haud quidquam numerum prodesse suorum,
Ad læuam deflexit iter, fluménq; petiuit;
Vnde ruens alam Gallorum inuasit apertam;
Amissósque redire animos in pectora victis
Cogit, & inceptæ rursus confidere pugnæ.
Hic cadit accepto letali vulnere Talus
Bellouacus; cadit & clara virtute Neanthes
Lexobius, Leucóque duci gratissimus Agnon.
Ipse quóque obliqua ceruicem cæsus ab harpe
Labitur. Ambarros inter notissimus Amphis:
Ancipitis dubijque Amphis sermonis amator,
Sed non incertæ sumptis virtutis in armis.

Et iam iámque acies Belgæ ducis, obruta densis
Hinc atque hinc equitum turmis se vertere retro
Cœperat, atque hosti fugiens dare terga sequaci:
Oromedon cum ductor agens in prælia gentem
Cenomanum, fusis superaduenit; & ferus hostes
Aduerso proturbat equo; dat Carsona leto,
Exultantem animis; qui se se e matre ferebat
Hyrcana, & claro Cambysæ à sanguine cretum.
Transadigit Laro fauces, mediúmque Cynulco
Diuidit ense caput, tum Sinam in bella vocantem
Agmina, & angusto miscentem funera campo,
Sternit humi, miserámque simul sine nomine plebem
Ense metit, cadit illa ruens, ceu falce recurua
Gramina secta cadunt, cum prata virentia tondent
Agricolæ, & plenis stipant fenilibus herbas,
In seram quæ læta boum sint pabula brumam.
Nec multo post in pugnam se contulit acer
Tancredus (Cilicum populis nanque ille subactis,
Rettulerat se se properans in castra piorum)
Nec non & belli fulmen fortissimus heros
Daunius; & dextræ notus virtute Vitellus;
Consilijsque potens, armisque acerrimus Vmber
Vbaldus, cuius proles generosa Metauro
Imperat, & populis ad se dat iura vocatis.
Additus his Medix, vnáque Vrsanius ibat,
Inque hostem intenti vultúque, hastisque ruebant:
Non secus, atq; repens Aquilonum à vertice turbo
Cum forte incubuit terris, coeuntia differt

Nubila,

Nubila, & instantes toto fugat aere nimbos,
Infandam ruri stragem, syluisque minantes;
Heroum sic Ausonidum manus agmine facto
Comminus aggreditur Turcas, passimque supinos
Fundit, & immiti transfigit pectora ferro.
Argymnum Medix puerum puer impiger hasta
Traijcit, ad mensam suetum dare grata Bagoæ
Pocula, & in bellum galeam præferre comantem.
At bonus auxilio venientem Vrsanius Agrim
Interimit, gladio medium per pectus adacto.
Andrantum Vbaldus, dirúmque Agamanta Vitellus,
Attius Afrorum ductorem gentis Oniscum,
Séque parem primis nota virtute ferentem,
Et Charris regnantem acer Tancredus Abollam.
Ipse tamen retinétque suos, subigitque Bagoas
Stare loco, & telis inuictam obuertere frontem.
Omnia sed frustra tentanti, & nota cienti
Nomina, fulmineo medium dux Appulus ense
In thoraca ruens immani vulnere pectus
Discidit, & vitæ latebras patefecit opertas.
Ille ruit, sonitúmque grauem super arma dederunt.
Tum vero conuersa acies inimica refugit;
Atque alios lacus ipse, alios absumpsit Orontes,
Exitium miseri dum forte euadere præsens
Nituntur, dubijsque putant se posse salutem
Pugnando amissam, nando reperire sub vndis.
Sed plures procerum tantorum interrita virtus
Sustulit; & ferro turmas prostrauit acuto.

Postquam

Postquam igitur deleti hostes cecidere, locúmque
Deseruere fuga, & populis victoria cessit
Læta pijs, prædam ingentem pecudúmq; , boúmq; ,
Et molitam Cererem, & flauentes farris aceruos ,
Omnia quæ secum obsessis inferre Bagoas
Decrerat, densúmque agmen post terga trahebat ,
Ausonij præse, Gallique egere, nec ante
Occuluit caput Hesperijs Sol mersus in vndis ,
Quam circum induti spolijs hostilibus omnes,
Agmine lætanti rediere in castra, ducúmque
Turcarum ante vrbem capita imposuere verutis .
Hoc visu concussi animi, magnúsque per vrbem
It metus, & dubijs incessit mentibus horror .
Pars satius Gallis portas aperire patentes
Esse ait, inuictæque vltro se dedere genti :
Dum spes ancipites animos, & pectora versant ,
Atque inter populum dubius Mars errat vtrunq; .
Pars tutandam vrbem, dextrisque , animisque paratis ,
Censet, & aduersis rebus virtute medendum .
Armigeras superasse manus, & robora pubis
Persarúmq; , Arabúmq; breui post tempore regem
Missurum auxilio ter centum lecta virorum
Millia, quæ tota Gallos excedere cogant
Ex Asia, aut tenebris, & duro carcere vinctos
Vsque doment ; cæsosue omnes sine honore sepulchri
Abdaridum genti spetacula grata relinquant .
Hæc dum illi inter se vario sermone volutant ,
Portarúmque aditus, turrésque in mœnibus altas

Alterna vigiles noctu statione tuentur,
Interdúmque foras per pontem egressa iuuentus,
Quà via tuta patet, longè semota latebris
Insedit, Gallósque iugis inuasit iniquis
Palantes, prædámque ab agris in castra ferentes,
Vnda vlta acceptas clades remeauit ad vrbem,
Grassantémque famem vulgo solata leuauit
Sæpius, & Gallos obsessa obsedit; & æque
Hos penes atque illos magno quæsita labore
Corporis exciuere acres alimenta tumultus.
Quocirca vt tanta Gallos formidine soluat,
Et vetet egressos Turcas e mœnibus vrbis
Moliri insidias, ad se vocat Appulus heros
Ausonios, verbisque omnes hortatur, & vrget.
Ite, ait, ò, socij dextrisque inuadite pontem,
Perniciem in nostram vinxit quem Persa rebellis
Præsidio, cœptique pij pia vota moratur,
Ite viri, & tantam vobis asciscite laudem.
Laudem etenim pariet clari victoria facti
Immensam, & nullo morituram tempore: nanque
Vt nunc, quàm volumus, cedant secus omnia: certe
Egregium fuerit magnis cecidisse sub ausis.
Hæc Robertiades Boemundus. & Itala pubes
Vnà omnis ruit ad pontem, ducente Vitello:
Quærit & instantem crebris assultibus hostem
Deturbare loco: verum ille interritus omnem
Propellit turbam, & pontem statione tuetur:
Nec patitur portæ se quenquam inferre patenti.

Et iam iámque octo longa obsidione peractis
Mensibus, ex animo cunctis spes omnis abibat
Expugnandæ vrbis, cum dux acerrimus armis
Goffredus proceres ad se se in tecta vocatos
Affatur dubios, cœptis seu fortibus instent,
Seu res infectas, desertáque castra relinquant;
O fratrum generosa cohors, ò pectora sanctæ
Debita militiæ, non huc Deus impulit, vt nos
Perderet, aut saluos patriæ reuocaret ad oras
Turpiter, æternum parituros dedecus omni
Europæ, & nobis mutandam morte salutem.
An vos cum primum voto obstrinxistis ad vrbem
Venturos Solymam, mediósque iter omne per hostes
Facturos, penitus nostro sine sanguine, & illam
Esse redempturos nullo sudore putastis?
Non ego vos tantos, tantisque à patribus ortos
Siue metu, siue ingenti molimine rerum
Abiecisse animos rear, & nunc denique mentem
Mutasse infractam, quo nos e mœnibus altis
Despiciens dictis irrideat hostis amaris,
Dum fugimus timidi, captámq; relinquimus vrbem.
Quin potius, siqua est animis constantia nostris
Obsistamus, & hic mortem, laudemue manentes
Quæramus; Deus est, vno quo præside freti
Amissa quondam pro libertate piorum
Inferre Abdaridum genti decreuimus arma,
Inque Asiæ templis cultus abolere nefandos.
Dixerat Eustachides: illi autem affixa tenebant

Ora

Ora solo, & tristes mutabant pectore curas
Nunc huc, nunc illuc; procerum cum lætus ad aures
Nuncius affertur pontem expugnare Latinos
Aggressos, vrgere hostem, & depellere in vrbem.
Ergo acres Tancredus agens in bella Sicanos
Subsidio currit, pugnámque instaurat, & alto
Hortatur clamore suos. Hoc vincite tantum
O, socij, hic vestras certatim intendite vires.
Hic est ille dies, cum gloria maxima se se
Ostendat nobis, seu mors, seu vita supersit.
Ponte etenim capto nullus pátet exitus hosti,
Vnde famem tolerare queat, vobisque per agros
Occursare, grauem dum prædam in castra refertis.
Sic fatus Brisem aggreditur, Drapsimque, Paphumque
Huic caput, illi humeros rigidio discriminat ense,
Perforat immisso Brisem per guttura ferro.
Hic se se medios saltu coniecit in hostes
Bocca audax animo, Pisísque oriundus Hetruscis,
Disiecitque globos Turcarum in bella ruentum,
Bocca, suis quem iam præfecerat ipsa maniplis
Plintia, & in Syriam Tancredo admorat eunti.
Ergo illic acies inimico occumbere leto,
Et fugere euersæ, captúmque relinquere pontem;
Quem dum præsidio pubes Oenótria vincit,
Illæ altos intra muros, & tecta receptæ,
Occlusere pijs aditus, & limina portæ.

PETRI ANGELII BARGAEI

SYRIADOS LIBER XII.

INTEREA nigro terras velauit amictu
Stellarúmq; choros nox cælo inuecta reduxit:
Et circum crebris cinxeũt mœnia Galli
Excubijs, alij recreant dum corpora somno,
Successu rerum læti: spem pectore nanque

Concipiunt vrbis potiendæ, & gentis iniquę
Delendę penitus quamprimum armisque, faméque.
At non Hassanum dulcis lenis vnda soporis
Pellicit; immitésue sinunt requiescere curę,
Cuncta aduersa suo tristi cum corde putantem.
Et nunc occlusa secum spatiatur in aula
Solus; & ex imo ducit suspiria corde:
Mœnia nunc densa iuuenum stipante caterua
Inuisit; turres, & propugnacula firmat:
Et non consuetas vigiles permutat in horas:
Incertus fidei cunctorum, & conscius irę,
Crudelisque odij: cui se, suáque omnia norat
Ciuibus esse pijs: quorum genus omne nefandis
Affligens scelerum formis immane premebat.
Ergo vbi iam cælum, sole illustrante serenum,
Restituit rebus proprios Aurora colores,
Séque hinc atque illinc cinctum videt esse frequenti
Gallorúmq; , Italumq; manu; velut horrida Tigris,
Hyrcanus quam pastor agens in retia captam
Inclusit cauea, furit acrior vsque, fremitque,
Conceptásque animo magis, ac magis asperat iras;
Inque dies angens, se se, vehementius atram
Auget in immensum rabiem, studiúmque nocendi.
Sic ille ad cædem stimulis agitatus iniquis,
Turcarum primos in regia tecta vocatos
Alloquitur. Venit, quod non sperauimus vnquam,
Tempus, ait, Persis cum toto è ponte fugatis
Obsessi circùm claudamur mœnibus vrbis:

Exitus & nusquam liber vacet: vnde petatur
Victus; vt exhaustas recreent in corpore vires,
Qui mea sunt mecum defendere regna parati.
Nam plebis non vlla mouet me cura tuendæ.
Stet modo militiæ constans mihi robur, & ordo,
Quo longe infensos valeam depellere Gallos;
Si scalis forte appositis ad mœnia tentent
Irruere, & summas murorum euertere turres.
Ergo ego, ne victos tandem nos dedere cogar,
Impositóque iugo miserum submittere collum,
Eijcere institui nostris è mœnibus actos
Christicolas omnes, vel duro absumere ferro:
Quos ego suspectos nullo non tempore habendos
Esse reor generi Turcarum, & fortibus armis:
Sed tum præcipue, cum rerum summa vacillat;
Exitiúmque ingens anceps fortuna minatur.
Non regnet, quem vana animi clementis imago
Frangit; & vtilibus miserantem auertit ab ausis.
Rebus in extremis tentandum extrema; nec vllus
Effuso seruauit adhuc sine sanguine regnum.
Hæc vbi dicta dedit solio sublimis ab alto,
Obstupuere animis patres, variúmque per omnes
Murmur ijt; partim nusquam consulta probantes:
Partim etiam, qui mature properanda putarent
Omnia; & è medio penitus genus omne piorum
Tollendum; & solis linquenda ea mœnia Turcis.
Hæc dum illi inter se dubio sermone volutant,
Et simul instantis terrentur imagine cædis,

Quid

Quid damnent, quidue inde probent decernere mußant.
Quos inter claro proauorum à ſanguine natus
Conſeſſu in primo primus Benſerra ſedebat,
Conſilijs bonus, atque armis ad bella parandis
Præfectus, regiq́ue ipſi gratiſſimus: & qui
A puero cultum Abdaridę non ſponte ſecutus
Chriſtum ipſum ſolum eſſe Deum, ſolúmq; putabat
Dignum, quem precibus ſupplex in vota vocaret;
Turcarúmque metu clam ſacra illius, & aras
Interdum coleret, templúmque occultus obiret.
Ergo idem à miſeris infandam auertere cladem
Cum cuperet, ſólitos primum pręfatus honores,
Conſilium, rex mngne tuum, quis inutile dicat,
Exitium regno rebus minitantibus? inquit.
Sed quoniam nondum deſunt alimenta, quibus ſe
Plebs alat, & nobis Perſæ expectantur in horas
Venturi auxilio; cunctique ad iuſſa parati
Chriſticolæ accurrunt; operáſque impendere pergunt,
Quiſque ſuam, Turciſque leuant, Arabiſq; laborem,
Dum muros illi inſomnes, vrbémque tuentur,
Et procul audaces Gallos à mœnibus arcent;
Ipſe ego in alterius tenebroſa ſilentia noctis
Hanc cædem differre velim; cum nulla ſuperſit
Spes alia, inſtanti quę nos defendat ab hoſte.
Immò, ait, Haſſanus, cum primum è turre ſacerdos
Venturæ noctis mediam prędixerit horam,
In vicos, omnéſque domos immittere certum eſt,
Qui ſomno oppreſſos iugulent; qui funditus omnem

Festinent ferro sceleratam excindere gentem:
Non sexus, non vllum vsquam discriminet ætas;
Siue senes, seu sint sugentes vbera nati.
Sic volo, sic iubeo, sic stat sententia; nec se
Quisquam aliò nostram speret traducere mentem.
Vos ite: & tacitis quamprimum accingite cœptis
Immites dextras; & vos explete nocentum
Sanguine; qui nostræ læti gentisque, domúsque
Excidium expectant, his vt dominentur in oris,
Seruitióque premant, quorum modo iussa facessunt.
Hæc grauiter frendens imo de pectore fudit.
Atque illi facinus quamprimum ad triste parandum
Discessere omnes animis immanibus acti.
Non secus atque lupi, quos lux inimica, diésque
In syluis retinet clausos, specubúsque repostis,
Expectant auidi noctem, densásque tenebras,
Incustoditos vna vt cum matribus agnos
Inuadant, caulásque ipsas, & ouilia vastent,
Et multo exsaturent vndantes sanguine fauces.
At non oblitus generis Benserra paterni
Ipse sui, cultúsque pij discrimine tanto,
Impia per certos regis consulta ministros
Christicolûm primis retegit, monstrátque salutem
Sperandam vnam animis extrema audentibus. ergo
Aduigilent, mediæque adsint sub tempora noctis.
Insomnes, imo vt portas à cardine vellant,
Inque vrbem Gallósque vocent, Italósque patentem:
Se quoque opem tantis conatibus allaturum.

His

His ita compositis, sublimi in turre morantem
Solus adit natum, quem paucis ante diebus
Exceptum pugna dimiserat Appulus heros,
Et iuuenem donis abeuntem ornauerat amplis.
Nate, ait, ò veterum species expressa parentum,
Vade, age, & Ausoniæ ductorem gentis adito:
Dic tempus capiendæ vrbis venisse supremum:
Ipse modo ad portæ tacitus se limina sistat,
Cum terras densis nox intempesta tenebris
Texerit, & dulces affuderit humida somnos:
Tempore quo pia gens formidine cædis iniquæ
Conueniet, portæque obices, & claustra refringet,
Atque Italis aditum patefactam rumpet in vrbem.
Vtque fidem dictis habeat, tu sponsor, & obses
Missus abi, & primus valuis inuade reuulsis
Ingressum, atque aciem tectis bipatentibus infer.
Hæc ille. & iuuenis parendi accensus amore
Carpit iter: notósque inter elapsus amicos,
Detulit Ausonio regi mandata parentis.
Isque vbi primores secreta in parte coactos
Admonuit, petijtque simul, sententia menti
Quæ foret. & dubijs audax fiducia rebus,
Non eadem sensere omnes: pars maxima nanque
Nil temere audendum censet: ne forte paratas
Lapsus in insidias pœnas exercitus acres
Sanguine persoluat: pars esse audacter eundum,
Quo sors læta vocat, nec opem poscentibus vllam
Christicolûm precibus (pietas quæ vera) negandam.

Hæc

Hæc inter nox Eois caput extulit vndis
Discedente die, cælúmque inuecta retexit:
Atque animis illi incaßum discordibus horas
Ducebant, Italum ductor cum Daunius heros,
Non hanc litem, inquit, non hæc consulta, moráſque
Res patitur; ducam ipse meos discrimen in ipsum;
Vos, quibus est suspecta fides in tecta vocantis,
Pandentiſque vltro portas, permittite quæso
Solus vt obijciam leto caput; & mihi tantum
Imponam periturus onus, subeámque periclum.
At pius Eustachides, postquam tibi viuida virtus
Exagitat pectus stimulis haud mollibus, inquit,
Vade, age, & oblatam decoris ne desere laudem.
Nos hic, interea nequid secus accidat, ac res
Postulat, armari, signiſque impensius omnes
Aduigilare suis ductorum ad iussa paratos
Cogemus; precibúſque Deum, votiſque rogantes
Successum rebus, tibi quem promittis, & ipsi
Speramus, qui facta tuæ immortalia dextræ
Nouimus, atque animi robur suspeximus alti.
Hæc pius Eustachides, & castra per omnia certos
Dimittit, taciti cogant vt in arma maniplos:
Et ducibus iubeant cunctos astare paratos.
Ast Italum, quos iandudum Trinacrius heros,
Inuicti monitu Boemundi, accinxerat armis,
In latebris occulta manus prope mœnia se se
Abdiderat, muris scaláſque parauerat æquas.
Ac nondum instructis ad cœpta ingentia Gallis

Christico-

Christicolum primos Benserra ad limina portæ
Duxerat, aggressus vigilum dare corpora leto;
Atque ipso æratos à cardine vellere postes.
Verum illi obnixi se se defendere: & omni,
Qua poterant, ratione locum, portámque tuentes,
Turcarum auxilia ingenti clamore vocabant;
Amissuri vrbem iam iam, pœnásque daturi,
Ni properent, murísque hostem depellere tendant.
Tum vero Ausonios inter fortissimus omnes
Dux Robertiades, laudi non æquus auitæ,
Qua data pars muri, scalas admouit, & vrbem
Ingreditur primus, sequitúrque Oenotria pubes
Omnis, & excelsas in mœnibus occupat arces,
Excubijs passim cæsis; tum læta secundo
Successu, auxilium victrix pugnantibus affert.
Nec minus interea gentis decus acre Sicanæ
Tancredus, piceos valuis arentibus ignes
Inijcit, & dura scindit tremefacta securi
Limina; ferratósque obices: labat ariete crebro
Ianua; & hinc atq; hinc aditum dat aperta patentem.
Immissæ irrumpunt acies: fit vi via ferro:
Cæduntur vigiles; fuso loca sanguine feruent.
Hassanum interea regem sæuissimus implet
Nuntius; ingressos portis bipatentibus vrbem
Ausonios, Gallósque omnes, fortésque Britannos,
Nec vitæ cuiusquam vllam superesse salutem.
Feruere cæde domos: glomerari incendia tectis:
Quósque trucidari decreuerat ipse, patentes

Insedisse

Insedisse vias omnes vltricibus armis:
Ac, nisi præcipitem celeri fuga in auia se se
Conijciat, venturum hostem, qui sanguine pœnas
Expetat, & regnum Turcarum vertat ab imo.
Ille iræ impatiens; Potius ruat arduus æther
In caput hoc ipsum, & barathri me sorbeat ingens
Gurges, ait, quam degeneri dem terga timori,
Et captæ superem excidio perterritus vrbis,
Dixit. & ore fremens, armisque indutus ahenis
Deserit ingentes ædes, séque obuius infert
Ausonijs, acri vastantibus omnia ferro.
Et primum Eualci gladium in precordia condit.
Eualci; mollis regio quem culta Tarenti
Eduxit, veteri natum de gente Laconum,
Præfecitque suis Boemundum in bella secutis.
Felix, qui patriæ luxum, qui commoda vitæ
Otia iucundæ leto mutarit honesto,
Intuleritque animum moriens fulgentibus astris.
Cuius ob interitum pœnas vt sumeret acres
Harpalion, animo præstans, sed viribus impar,
Inter Hydruntinos claris genitoribus ortus,
Accurrit, clypeúmque hasta percussit acuta:
Incassum: ternis tectus nanque orbibus æris
Protinus ad se se venientem reppulit ictum.
At rabie fera corda tumens Hassanus in hostem
Irruit extemplo subiens, sęuámque bipennem
Sustulit, inque altam media inter tempora frontem
Librauit, partésque caput disiecit in ambas.

Non

Non aliter, quam frondosa lignator in Ida
Disiicit impacta quercumue, ornumue securi:
Concidit Harpalion, cumque Harpalione Georgus,
Et Caclus, Batónque vna, Dinónque, Phaónque:
Et deiecit humi dextra armipotente peremptos,
Sphærúmq;, & Mochũ, Phatúmq;, & Paxamon acrem;
Qui primi portis vrbem intrauere reuulsis.
Iámque cateruatim strages impune cruentas
Ediderat, letóque Italos prostrarat acerbo;
Et versos ad portam omnes ex vrbe fugaßet,
Ni Robertiades, Normannæ gloria gentis,
Obijciens se se fugientibus, arma, manúsque
Cogeret in Turcas, regémque immane furentem
Vertere; quáque globus se se densissimus infert:
Hac vos poscit, ait, virtus, hac vi via vobis
Inuenienda viri: posita est victoria vestris
In manibus. subeat vos esse è sanguine natos
Illorum, victo qui quondam ex hoste triumphos
Duxere, & patriam positis auxere trophæis.
An muros, turrésque vrbis superauimus altas,
Ferratósque obices, portásque refregimus, vt nos
Victores victi deserta in castra repellant?
Dixit: & anteferens gressum, rotat arduus ensem
Fulmineum; mediósque iacit se primus in hostes:
Disiectósque vrget; caput huic detruncat; & illi
Transadigit costas, & funera miscet vbique.
Vtque Leo Mauris quem forte in saltibus Afer
Deprensum venator agit, si sæua Moloßum

Vrget

Vrget turba canum ; primos aggressus aduncis
Unguibus, exercet conceptas feruidus iras,
Mox iuuenum pręceps densum petit agmen, & illinc
Cæde noua lętus syluarum in opaca refugit.
Vibranti sic ille latus ferit ense Sohemi
Regis, Ituræis pręerat qui solus, opémque
Ferret vt obsessis, in regia tecta tyranni
Hassani se contulerat, nactúsque superbum
Coniugium Cromnæ, forma, atque ætate nitentis,
Addiderat socero se se ; pugnámque ciebat
Acrior, atque Italum legionibus obuius ibat,
Ac multos prostrarat humi : Sed Daunius ensis,
Ceu fulmen cœlo emissum, compescuit vnà
Illius horribilésque minas, sæuúmque furorem.
Quin etiam Hassanum cumulantem funera regem
Perculit, & summa caput à ceruice recidit,
Præfixúmque hastæ ferri sublime per vrbem
Iussit, & infestos deleri funditus hostes.
Iámque Aurora suo fulgore retexerat orbem
Terrarum ; atque oculis cædem ostentabat apertam.
Stratáque corporibus cæsis adoperta viarum
Horrebant : fusóque solum passim omne natabat
Sanguine ; pérque domos ensésq; ignésq; furebant.
Nuntius ad proceres subitus cum venit abúsque
Finibus Arabiæ, & Ginglam spectantis Edessæ,
Millia tercentum Parthorum Euphratis ad vndam
Consedisse : quibus dux Corbagus, vnus, & armis,
Atque animis longe cunctos acerrimus, inter

Arsaci-

Arsacidas, qui vincla pijs, mortémque minetur:
Ni Syria excedant quamprimum, vrbémq; relinquant,
Et referant celeres illinc ad Thracia gressum
Bosphora, & angusto pelagi se limite seruent.
Ergo illi postquam Turcas cecidisse peremptos
Videre, & spolijs sese, sceptrisque potitos
Hassani Syriæ late regnantis in oris,
Obfirmant animos, instaurant mœnia, si qua
Parte labant: explent opera interrupta, nouisque
Aggeribus muros, & propugnacula cingunt:
Imponúntque trabes, & saxa ingentia; quæ mox
In clypeis contectam aciem deiecta ferantur.
Iámque adeo Oceani vasto se gurgite Titan
Tertius extulerat, lucémque reduxerat orbi,
Cum valles, collésque altos exercitus ingens
Persarum insedit, cœlúmque, Erebúsque repente
Contremuit clamore virum, cantuque tubarum:
Et Libani, Casijque iugum subsedit, & amnis
Substitit, atque vndis caput abdidit altus Orontes.
Nec mora. continuis cinxerunt mœnia castris,
Atque omnes clausere vias; fuga ne qua piorum
Exciperet leto quenquam, & seruaret inultum.
Vt cum venantes capreas, damásque fugaces
Rupibus in summis, aut vallibus in depressis
Deprehendere; plagis aditus ingentibus omnes
Impediunt: aliquæ, ne dum oppugnantur, & vna
Vrgentur densa iuuenúmque, canúmque corona,
Forte per occultas nactæ liberrima fauces

Effugia,

Effugia, & tutos ad nota cubilia cursus,
Incustoditis è saltibus elabantur.
At vulgo tremefacta nouus per pectora Gallis
Insinuat pauor: & capta decedere terra
Suadet, & in patriam salsas remeare per vndas:
Ostendat se siqua ollis fuga libera; quando
Longinquo absumpti bello morbóque, faméque,
Esse pares nequeunt pauci tot millibus: & se
Barbariæ metuunt prædam fore: capta tueri
Mœnia si pergant, iactis quæ pontibus hostes
Corporibúsque adeo cæsorum ingentibus æquent;
Ariete ni perculsa prius dent cuncta ruinam.
Hæc passim inter se Gallíque, Italíque dolebant,
Et procerum miseri facta inconsulta vocabant.
At bonus Eustachides, quem non auertere cœptis
Frigius; & in vulgum pestis grassata, faméisque,
Impauidum potuit, non vsta caloribus ora
Mœoniæ, Senonúmque ducis fuga turpis ad vrbem
Threiciam, & castra innumeris deserta maniplis;
Quis metus, aut quæ tanta animis ignauia vestris
Venit? ait; sunt hic ijsdem subiecta periclis
Lumina tot præclara ducum, quorum inclyta virtus
Aeternam vobis peperit famámque, decúsque:
Ijdem etiam tanta vos obsidione solutos
Seruabunt. etenim causam (mihi credite) nunquam
Deseret ipse suam diuum pater, atq; hominum rex,
Castráque Persarum vobis concedet, opésque
In prædam, modo vos precibus confidite nostris
Affore,

Affore, & hostiles straturum cæde phalanges.
His pius Eustachides; nec non & Daunius heros
Hortatur socios; omnésque ope subleuat omni,
Qua potis, & somno indulgens parcóque, breuique
Tutatur totam crebris stationibus vrbem:
Explorátque vias, turritáque mœnia noctu
Circumiens, hostisque dolos frustratur, & artes:
Iámque adeo bis quindenos ex ordine soles
Perstiterant; nec venturi spes vlla dabatur
Subsidij, sæuaque fame, morbóque peribant:
Ipsi se miseros extrema in morte vocantes.
Quòd, ceu molle pecus, clauso morerentur ouili.
Ergo iram vt summi precibúsq;, & thure parentis
Placaret, gentísque piæ delicta piaret
Addemarus, quinúm ieiunia casta dierum
Indixit, culpásque suas de more fateri
Quénque sacerdoti, pacémque exquirere, iussit,
Atque animos posthac insonti addicere vitæ.
Quo facto: pedibus nudis, & supplice cantu
Lustrauitque vias, arísque incendit honores.
Tum vero ad solium, Deus vnde altissimus imos
Aspectat tractus terrarum, hominúmque labores,
Ille, piæ cui militiæ data cura tuendæ,
Cælicolùm è fidis vnus, lectisque ministris,
Constitit; atq; humilis, suppléxque his vocibus infit.
O, pater, ò rerum cunctarum æterna potestas,
O, qui verberibus iustis delicta tuorum
Corrigis, & recto reuocas à tramite lapsos;

Si quando afflictis te te præbere benignum
Consuesti, & iusto pietatem æquare furori,
Gallorum miserere, pater; quos impius hostis
Obsidet, absumitque ingens pestisque, faméque
Pugnantes sancti pro libertate sepulchri.
Et placidos aduerte oculos; fletúsque precantum
Respice; & aggressis pro te lachrymabile bellum
Ignouisse velis; & mœnia ad ipsa beatæ
Sternere iter Solymæ, populóque afferre salutem
Oppresso; ac templis sceleratam expellere gentem.
Quæ ritus exosa tuos, præceptáque, sanctas
Polluit infernis addicens pestibus aras.
Vix ea desierat fari mæstissimus ales:
Cum pater omnipotens. Nihil est, ò fide minister,
Quod crucieris, ait, fuso mihi sanguine pœnas
Iandudum soluit Gallorum exercitus omnis,
Quas mala quorundam meruerunt facta nocentum.
Nunc ego do veniam votis, irámque remitto,
Eripere & reliquos leto, & miserescere certum est.
Ergo age: cumprimum densæ rarescere noctis
Incipiunt tenebræ, atque artus mollissimus omnes
Peruadit somnus, curásque e pectore demit,
I celer, atque imas cœli decurre per auras:
Et Laæ de plebe homini, quo castior alter
Non fuit, aut nostras coluit syncerius aras,
Dic media ingentis subter testudine templi
Defossam tellure caua seruarier hastam
Intactam, & nulla penitus rubigine putrem:

Quæ

Quæ nati ferro pectus patefecit acuto,
Cum duri ex alto penderet roboris auctu.
Hanc pius Addemarus sæui in certamina belli
Deferat; inque hostes intenta cuspide nostros
Irruat; & subita formidine terreat omnes.
Nanque ego subsidio mittam è cœlestibus oris
Aligerùm turmas armis fulgentibus aptas:
Quæ Persas, Arabásque fugent; & sanguine totam
Perfundant vallem; quà se se agit altus Orontes.
Sic fatus pater omnipotens, rutilantia cœli
Sidera, & insolito tremefecit Persida motu.
Quo terrore suos se se reuocauit ad ortus
Tigris, & Euphrates ripæ conterritus hæsit.
At Patris interpres summi, per inane profundum
Delapsus, ventis, & fulminis ocyor alis,
Constitit ante humilis stratum non molle grabati,
Fessa vbi tum Laas recreabat corpora somno.
Atque ait, o, cuius tandem mollire seueram
Vota, precésque piæ potuere, & flectere mentem
Numinis æterni, cæli cui sidera parent;
Eia age, ne timeas. altis tibi missus ab astris
Nuntius aduenio, magníque hæc iussa Tonantis
Exequor, ipse ea te paucis, aduerte, docebo,
Est æde in media, quam Petri e nomine dici
Christicolæ voluere patres, tellure sub ima
Hasta, olim Christo pectus quæ fodit apertum.
Eruat hanc procerum chorus, Addemaróq; ferendam
In pugnam attribuant, cum primum exire libebit

In circumfusos vrbis prope mœnia Persas.
Dixit, & in tenues abiens euanuit auras.
Tum vero Laas, tantis expergitus vmbris,
Excutitur somno lætus: durúmque cubile
Linquit, & in cælo lachrymantia lumina fixus,
Pressit humum genibus: mox imo è pectore vocem
Edidit. O, rerum solus qui flectis habenas,
Deijcis e summa reges qui sede potentes
Cum libet, & palmam victoribus eripis, ijsque
Incutiens terrorem animos virésque resoluis,
Et bello victis dextras, ac pectora obarmas,
Respice nos pater omnipotens; & numine firma hæc
Visa tuo, populos si te instigante rebelles
Electuri Asia, nostris excessimus oris,
Vix ea fatus erat, clara cum luce repente
Vidit ab occasu totum discedere cælum,
Ingentémque globum flammarum erumpere nubem
Cum tonitru, atq; ignes Persarum infundere castris.
Omine quo tollens animum se proripit; & cum
Addemaro lætus communicat omnia: at ille
Concilium cogit procerum, rémque ordine pandit.
Obstupuere animis omnes: pars vana putare
Somnia, & accinctis tantum spem ponere in armis.
Pars visis adhibere fidem. Non irrita semper
Edere diuinam castis oracula mentem,
Supplicibus postquam lachrymis, & vocibus iram
Placauere Dei, & somno obrepente quierunt.
Ast alij fraudem inuentam, quo miles in hostem
Circum-

Circumfusum urbi, cum res exposceret, vltro
Iret, & haud dubium palmæ speraret honorem.
Non his consilijs, nec hac ratione, nec arte
Tentandum esse Deum; ne nos exosus ad vnum
Perdat; & iratus nostra hæc commenta refutet.
Hæc inter (nam sic visum populique, patrúmq;
Principibus) propere Laas accitus; & aræ
Admotus sacræ, iurat se vera locutum.
Quóq; magis rata sint hæc omnia; Vos mihi sanctam
Hanc hastam date per flammas, ignésq; ferendam;
Queis ego si nusquam lædar, si crine vel vno
Non minuar, vos, ò, proceres, ne pergite verbis
Indubitare meis: sin quid secus accidat; vt me
Offendat calor, aut paulum remoretur euntem,
Mendacem arguite; ac templis, cætúque piorum
Exclusum penitus, solitis defigite diris;
Et pater omnipotens cœlestum à sede repellat.
Hæc ille. At proceres oculos, atque ora tenentes
Conuersa inter se, quærendam protinus hastam
Consensu statuere vno tellure sub ima.
Ergo adeunt ædem vnanimes, sacrísque peractis,
Quæ pius Addemarus fieri mandarat ad aram
Discipulos sancta complentem desuper aura,
Heroes medij medio sub fornice templi
Defodiunt certatim omnes sola peruia ferro
Altius, ac solidæ penetrant in viscera terræ.
Nec mora. se se offert oculis venerabile robur
Felicis hastæ, longo post tempore visum.

Effusi quod adhuc seruabat signa cruoris:
Cuspide cum summo rerúmq; , hominúmque parenti
Pectoris insontis latebras reclusit acuta.
Tum vero exortus clamor, cunctique repente
Ad terram læti genua inflexere, Deúmque
Laudantes, & regem vnum, dominúmq; canebant.
Te patrem æternum terræ colit orbis, & vni
Ipse tibi chorus Aligerùm, quæ plurima cæli est
Militia, acclamat, soli tibi sidera parent,
Aequoráq; , & summæ circunfluus ambitus æthræ.
Tu nobis exercituum dominúsque, Deúsque
Europa egressis, Asiámque petentibus vltro
Innumeras Turcarum acies superare dedisti,
Munitásque vrbes cæsis intrare tyrannis:
Et tolerare famem, & perferre incommoda belli:
Exustósque agros, tristésque euadere saltus
Mæoniæ, & Tauri transcendere saxa niuosi.
Nunc autem, quæ magna tua est clementia, confers
Insperatum, insuetum, ingens, mirabile donum,
Quo freti, circunfusos inuadere bello
Non dubitemus, & Arsacidum concurrere turbæ.
Talia dum læti memorant; pater extulit hastam
Addemarus: mox rite trium peragenda dierum
Et vulgi, & procerum cunctis ieiunia mensis
Indicit, tum quénque Deo se offerre fatentem
Cuncta sacerdoti vitæ delicta nocentis,
Voce iubet: quartáque omnes post denique luce
Exire vnanimes, hostémque inuadere Persam:

Et

Et sperare Deum felicibus affore cœptis.
Hæc pius Addemarus; primorúmque inclytus ordo.
At vulgo interea laæ promissa reposci,
Atque vnum signari oculis, vanúmque vocari,
Ni, quod pollicitus verbis, re præbeat ipsa
Spectandum; & tanto firmet sua visa periclo.
Ergo ille ingentem stipulis arentibus ignem,
Et strue lignorum summas tendente sub auras
Imperat accendi; totóque è corpore vestem
Abijcit, ac dextra porrectam corripit hastam:
Et cælum aspectans breuiter sic ore precatur.
Summe pater, cunctorum hominum qui pectora solus
Scrutarisq;, aperisq;: neq; est te fallere cuiquam:
Ipse ego si vere tua sum præcepta secutus,
Et monitus mihi nocte datos; si fraxinus hæc est
Ipsa, tuum pectus quæ cuspide fodit acuta,
Elicuitque leuem tepido cum sanguine rorem,
Da deinde auxilium, méq; hæc tua sancta ferentem
Dona manu incolumem per tanta incendia defer.
Dixit; & ardentem saltu se iecit in ignem.
Abscessere procul flammæ (mirabile dictu)
Hinc atque hinc; multa ille premit vestigia pruna,
Pérq; æstum incedit medium; neq; læditur vsquam;
Et tandem egressus gelida se sistit in aura
Incolumem; meritásque hominum diuúmq; parenti
Sospes agit grates; tum vero exercitus omnis
Accurrens, passis illum complectitur vlnis:
Lætitiáque exultat ouans, remorantur euntem,

Et plausum ingeminant, vocésque ad sidera iactant
Agmina, & educi quamprimum è mœnibus optant
In Persam; vires spes omnibus addit, & auget
Insolitum membris robur: clamatur vbique
Vult Deus hoc fieri bellum: iubet arma moueri
Hæc Deus: ad Solymos hinc iam victoria pandit
Parta viam; & sanctam nobis adiudicat vrbem,
Bethlemiásque domos: &, quæ vestigia primis
Ipse pedum quondam plantis impressit IESVS.
Has inter voces, intérque optata, dies se
Tertius Oceani liquidis demersit in vndis.
Et pius Eustachides curari corpora iussit:
Venturæque alacres accingi ad prælia lucis.
Quæ simulátque oriens Tauri iuga celsa retexit,
Armatas acies portis bipatentibus ipsi
Effudere duces, Persisque e ponte fugatis,
Instructis pariter legionibus incedebant.
Addemarus quarum in medio pater arduus hastam
Defossam tellure caua portabat; & omnes
Ad decus, & laudem dictis acuebat amicis.
Ite viri, hic demum cœpti victoria nostri
Vertitur; hic quærenda salus virtute, Deóque
Fidendum, à nobis quem stare hæc lancea certos
Vos facit; ite alacres iam nunc; Persásque fugaces,
Ignauósque Arabes vltrici inuadite dextra.
His ille, atque alijs verbis hortatur euntes
In pugnam: & stimulos animis audacibus addit.
Nec minus Eustachides Leucos, Morinósq;, trucésq;

Germanos, Celtásque suos acerrimus Ugon,
Daunius Ausonios: bello Robertus vterque
Inclytus Armoricas gentes hic; ille Britannos,
Atque Caledonios ad cædem incendere pergunt
Turcarum, præda in præsens, spoliísque relictis.
Nuntius interea, sacri custodia belli
Tradita cui fuerat, cælesti ex ordine lectus,
Affatur regem æternum, terræque, polique.
Magne pater, cuius nutu pater vrbis, & orbis
Totius, Hesperias belli ad pia munia gentes
Impulit Urbanus, quo barbara claustra refringant
Turcarum, Solymæque tuæ iuga tristia demant,
Ecce illæ ad pugnam viden' vt gradiuntur iniquam?
Non opibus, numeroue pares, non viribus æquis,
Quas pestis, quas dira lues, quas improba rerum
Absumpsitque fames, corpúsque exhausit, vt esse
Non iam homines, sed cassa hominum simulacra ferantur.
Ac, nisi subueniat pietas tua, protinus hosti
Succumbent, ceu molle pecus raptoribus olim
Præda oblata lupis: neque enim concurrere pauci
Innumeris possunt; vt non victoria cedat
Hostibus, & pugnæ quæsitum addicat honorem.
Talibus orabat custos, præsésque piorum
Aliger; & supplex veniam implorabat, opémque.
Cum rerum dominus, cælique æterna potestas;
Vade age fide vigil, nec te cura vlla moretur;
Vitales etenim splendenti ex æthere rores
Depluere in nostros iandudum iussimus, inquit,

Quo

Quo firmare animos, acrésque resumere vires,
Et durum pugnæ valeant tolerare laborem,
Atque æstum ingentem medij perferre diei,
Arentes agros rapidus dum Sirius vrit.
Cætera si numero, pugnáque prementur iniqua
Ipse adero, & Persas trepido terrore replebo.
Sic ait & nutu terram, cælúmque profundum
Concußit, Gallósque oculis respexit amicis.
Quos super vt primum roris pluit vuidus imber,
Ilicet amissæ rediere in corpora vires:
Aucti animi; pugnæque ardor geminatus; & ipsi
Ipsi, inquam (quis credat?) equi, quibus ipsa tegebat
Iam vix ossa cutis, lætis hinnitibus auras
Rumpebant; vltróque hostes in bella ciebant.
At parte ex alia colles insederat altos
Ductor Achæmenidum; vallisque refugerat imæ
Planitiem, in primis pugnæ loca commoda equestri.
Demens: qui pediti saltus elegerit aptos,
Difficilésque vias, aditúsque in castra malignos,
Quo defessam aciem Gallorum æstúque, viáque,
Insessum montem dum forte aduersa subiret,
Exciperet, fusámque loco aggrederetur iniquo.
Gallorum sed enim salebrosa per ardua collis
Incedens acies, primis sese intulit audax
Persarum agminibus, tum vero ad sidera clamor
Exortus, vallémque omnem, montésque propinquos
Impleuit, fugere feræ: tremuere reposti
Monstra maris, séque imis mersere sub vndis.

Extemplo

Extemplo iaculis cœlum, leuibúsque sagittis
Completur, ceu cum Libycis è partibus Auster
Obscuram exciuit nubem, solémque repente
Abstulit ex oculis, tenebrísque inuoluit obortis.
Pronus ibi ante omnes cecidit Tigrane creatus
Ductor Achæmenidum: Itali cui velitis hasta
Perfodit pectus; factóque è vulnere in auras
Erumpentem animam Stygias demisit ad vndas.
Nec procul hinc Pacorum vibrantem immane verutum
Fudit humi, vitámque aufert rorarius audax
Glande graui, mediç dirimens spatia ardua frontis:
Labitur infœlix sparso super arma cerebro.
Inque locum illius properans successit Orodes:
Isque manu, atque acri fugientes voce repressit.
Ergo, ijs in pugnam rursus se ferre coactis,
Conseruere manus acies; nec iam datur vllum
Eminus iniectis hostem cohibere sagittis:
Sed gladijs potius sæuire in pectora adactis
Obuia, & obstantes infringere comminus hostes.
Hinc atque hinc igitur medio in certamine pugnę
Exanimes labuntur humi Turcæque, Piique.
Non aliter quam cum geminos discordia reges
Cogit apum tectis in apertum exire relictis,
Stipatos studijs sectantum, atque agmine gentis
Quénque suę: fit pugna atrox; & ab æthere summo
Corpora cæsarum complent labentia terram.
Iámque adeo Persas castris effuderat omnes
Corbagus, & numero Gallos, Italósque premebat,

Defessos

Defessos cæde ingenti, quam viuida bello
Ediderat cuiúsque manus, nullius vt acres
Præterea possent vsquam subsistere vires.
Nanque vt quisque imo plures demiserat Orco,
Quos daret inde neci plures superesse videbat.
Nec procerum virtus potis instaurare piorum
Circumuentam aciem, nec iam retinere labantem;
Cum Patris æterni iussu delapsus Olympo
Cœlituum insedit colles exercitus ingens
Armatorum equitum; vestis quibus alba tegebat
Ingentes humeros, pectúsque: at tempora, & ipsum
Cassis ahena caput; cui crux imposta superne
Stabat, & ardentes spargebat in aera flammas:
Quadrupedúmq; acer fremitus, sonitúsq; tubarum
Vndique clangentum, mugire per ardua circum
Visus Achæmenidis; quo tum terrore repente
Contremuere animis omnes, celerique salutem
Quæsiuere fuga, proiectis turpiter armis.
At pius Addemarus, cui tanta ex omnibus vni
Gallósque, Ausoniósque inter, fortésq; Britannos,
Cernere monstra dedit summi regnator Olympi,
Extollens sublimem hastam; Iam vicimus, inquit,
Vicimus, ò, socij. Deus est, Deus; hostibus hunc qui
Terrorem incussit, virésque infregit, & arcus,
Falcatásque harpes, hastásque excußit acutas
E manibus. vos ite animis audacibus aucti.
Ite viri, properate viri, victoria vestra est;
Vestræ & opes: modo vos sumpto ne parcite ferro:

Dum

Dum castris exutus Arabs, dum Persa fugaci
Fidit equo, & vobis campo iam cedit aperto.
His pius Addemarus Gallorum in pectora dictis
Spem reuocat; reficitque acres ad prælia vires.
Non aliter quam cum syluas agitantibus Euris
Augentur subitis excita incendia flammis:
Frondiferos quæ per montes inuecta vagantur,
Nec syluis nisi consumptis extincta residunt.
Ergo omnis pubes, quam quondam Oenotria, quamque
Gallia progenuit, generoso accensa pudore,
Constitit; inque Arabes, ipsósque acerrima Persas
Inuadens, multo tepefecit sanguine terram.
Non secus ac totidem florenti ætate leones
In ceruos, orygésque feros, onagrósque feruntur
Præcipites, & confusæ dant stragis aceruos,
Parcentes nulli, cuius præuertere cursum
Possint, & sæuo vestigia sistere morsu.
Sic Itali, Gallique, securigerique Britanni,
Audaci assultu Persarum in terga ruebant,
Dedentes impune neci turbámque, ducésque.
Iámque adeo quantum colles, vallisque reductæ
Planities, quaqua versum seclusa patebat,
Fusa peremptorum complerant corpora; quorum
Haud facile ingentes quisquam numerarit aceruos.
Et caput Hesperijs abiens Sol merserat vndis.
Direptisque opibus castrorum hostilibus omnes
Signa reportarunt lætam victricia in vrbem:
Crastina sed postquam terris Aurora reluxit,

Omnibus

Omnibus Addemarus templis indixit honores:
Pérque dies ter quinque Deo de more piorum
Iussit agi grates ad puluinaria, & aras,
Lustrariq; vrbem, precibúsque, & supplice cantu
Ipsum hominum, diuúmq; patrem, natúmq; parenti
Aequæuum æterno, cum virgine matre, piósque
Cœlituum cœtus omnes in vota vocari.
Rite quibus summa cum relligione peractis
Cœperunt placidæ sensim indulgere quieti:
Et rapidum releuare æstum frigentibus vndis:
Tum plenas dapibus mensas onerare, diémque
Frangere certatim luxu, vinóque morantem,
Et voti immemores vitam traducere inertem.
Illic & cantus, illic & tibia dulces
Edere docta modos, dulces resonabat amores;
Pérque vias omnes florenti ætate puellæ
Plaudebant pedibus choreas; motúsque ciebant
Lasciuos; virtutis amor, laudisque cupido
Cesserat ex animis, qua quondam ardere solebant.
Quæ pater omnipotens cœli è regione suprema
Aspiciens, oculos Syrijs auertit ab oris;
Continuóque Erebi pestes, ac monstra profundi
Libera fuderunt se se per inane, grauésque
Exciuere æstus, funestisque imbribus agros
Infecere omnes, ingentésque aeris oras
Vndique mortiferis afflarunt flatibus Austri.
Defecere amnes, viuisque exaruit vnda
Fontibus, & nebulas exhalauere nocentes

Affusique

Affusíque lacus urbi, vallésque palustres.
Hinc miseranda lues populos aggressa Latinos,
Aut morbo, aut tristi dedebat corpora leto:
Inq; dies magis atque magis sæuibat in omnes
Letifer Autumnus; pérq; vrbem, & compita passim
Spectabantur humi confusæ stragis acerui.
Quin & primorum generoso ex ordine multi
Occubuere duces indigna morte perempti.
Occubuit pater Addemarus: dum visit egenos:
Et quacunque potest miseros ope subleuat ægros.
Dignus cui pietas vitæ produceret annos
In longum, & meritos benefacta ingentia honores
Aetherea in terris deferrent luce fruenti.
Visum aliter paribus mundum qui temperat horis.
Nec tua te virtus, generis nec splendor auiti,
Henrice Ascensis, leto subtraxit iniquo.
Ipse etiam Arnoldus, quo se Germania mater
Iactabat, cœlóque parem se læta ferebat,
Occidit, & pugnas animo reminiscitur acres,
Conquestus quod non hostili occumbere dextra
Contigerit, mistóque vnà cum sanguine vitam
Fuderit, instantis solamen nobile mortis.
Hæc igitur pius Eustachides dum funera secum
Percurrit, periisse videt magnámque bonámque
Bellantum partem: quorum virtute, manúque
Fretus Achæmenium pugnando fregerat hostem.
Et dubitat, ne sæua lues absumere pergat
Gallorúmque acies, Italósque, acrósque Britannos,

Ni quamprimum omnes funesta excedere ab vrbe
Inque agros se se iubeat conferre salubres.
Hæc agitanti animo fessos sopor occupat artus.
Et iam nox medium cursu traiecerat orbem.
Visa dehinc cælo descendere mater; & ore
Affari, ac nota solari voce dolentem.
Nate, ego ad egregios quem me peperisse labores
Glorior, & claros ducturum ex hoste triumphos
Lætor ouans, tu te dignam modo suscipe curam,
Et cœptis incumbe pijs; non has tibi clades
Vallis Orontææ solito corruptior aer
Attulit, Autumnusue grauis, vel turbidus Auster,
Sed populi delicta tui; cuius quóque si nunc
Relliquias cupis incolumes seruare, necesse est
Inceptum contendere iter Iordanis ad amnem
Quamprimum, atque ista cunctos auellere ab vrbe,
Quos superesse alijs Deus omni ex ordine solos
Annuit, & placidus morbo tutatus ab atro est.
Sic ait, & sedes repetit festina supernas
Ida parens; flentémque oculis, & multa volentem
Dicere deseruit, radijs afflata diei.
Talibus Eustachidæ monitis expergita virtus
Ilicet e stratis duros exuscitat artus:
Conciliúmque iubet cogi procerúmque, ducúmque.
Quos, vbi conuenere, rogat sententia quæ sit
Cuiúsque: & dubiæ tandem quod quisque saluti
Afferat auxilium, quo diram auertere pestem
Possint, & tristi se se subducere leto.

Hic proceres vna clamant non esse morandum
Praeterea, & certae subeunda pericula mortis:
Verum alias oras quamprimum vrbésque petendas,
Languida vbi recreent caelo sua membra salubri.
Tum pius Eustachides, Num nos huc venimus, inquit,
O fratrum generosa cohors, vt corpora tantum
Curemus laeti, & riguis sedeamus in hortis,
Delicias intèr faciles, atque otia vitae?
Obliti quid quisque Deo promiserit, & quid
Expetat à nobis nostrorum antiqua parentum
Gloria? quae nusquam duros exosa labores
Rebus in aduersis caelo caput extulit altum.
Hanc ne nos residès fòrte obscuremus, eundum
Censeo quamprimum, quò res vocat ipsa, Deúsque
Tendendúmque iter ad Solymos, & amoena feracis:
Arua Palaestinae, fontésque, aurásque tepentes
Carmeli, & suaues celebris Iordanis ad vndas:
Quo nullus fluit in terris felicior amnis.
Hic nos fixuri sedes, hic nostra Tonanti
Vota soluturi patrijs discessimus oris.
Huc igitur iam nunc recta properemus ouantes,
Si libet hoc caelum caelo mutare salubri.
Talibus Eustachidae dictis accensus eundi est
Omnibus idem ardor ducibus; iussique per vrbem
Vadere praecones, abitúmque indicere turbae,
Tertius Eois cum Sol emerserit vndis,
Atque hac vt primam terris illuxit apertis,
Corripuere viam laeti, qua littora monstrant

Proxima, felicésque Aradi præditiuis agri,
Pérque imos Casij scopulos, pérque inuia saxa,
Conuallésque altas Libani, Sidona, Tyrúmque
Venere; & Tamyræ tranato fluminis alueo,
Post sæuas strages, post dura incommoda belli,
Oppidáque, & captas summis in montibus arces,
Ingressi fines Galilææ, orásque propinquæ
Sammariæ, sanctam videre in collibus vrbem
Surgentem, & celebrem per secula cuncta Sionem.
Tum vero genibus flexis, & vertice nudo
Procumbunt omnes, Solymámque vno ore salutant.
Ingentes & agunt grates tibi maxime cæli,
Terrarúmque opifex; cuius sub numine certo
Incolumes tandem, fortunatique laborum,
Iudæam intrarint, oculísque ea cernere detur
Mœnia, quæ sanctum seruant complexa sepulchrum.
His actis iter accelerant, murísque propinquant,
Agmine composito, positis quos ordine castris
Circundant, celsásque parant attollere moles.
Interea Pharius regno depulsus auito
Bocchoris, accitis propere firmauerat omnem
Præsidijs vrbem, defensorúmque corona
Cinxerat hinc atque hinc, & sepserat vndique muros:
Et circunfusos late vastauerat agros,
Nequid vitales vsquam superesset ad vsus,
Miscuerátque herbas puteis, succósque nocentes,
Ac fontes terræ iniecto celarat amictu.
Quin etiam erumpens auersæ à limine portæ

Et densas.

Et densas equitum turmas educere, & vltro est
Ausus adire pios, & castra lacessere ferro.
Quod Siculùm ductor Pharijs impune licere
Indignatus, & assultus succedere lætos
O, flos Ausonidum iuuenes, ait, ite volentes,
Ite viri mecum, lætique inuadite Turcas
Mœnibus egressos, portísque patentibus vrbis
Irruite in muros, quamprimum vt turribus hostem
Deijciamus humi, turba qui fretus equestri
Audaces inferre manus temerarius audet,
Sic ait. & rapto spirans immane veruto
Tendit in aduersos gressum; primúmque Pheronem
Ducentem turmas, Gallósque in aperta vocantem
Prælia, per clypeíque orbes, thoracáque durum
Comminus, hostili media in præcordia adacto,
Fundit humi; cadit ille ruens, terrámque cruento
Ore petens, pedibus teneras diuerberat auras.
Huic comitem Arabijs regnantem in finibus addit
Abbaron, Andronémque, Agamantáque, Carrhenémque
Omnes diuitijs, omnes & sanguine claros.
Tum Cindum, Lampúmque ferit, Larúmque, Tachúmq;,
Dat leto Ogdoum, nec non, quem regia Memphis
Eduxit, natum claris genitoribus, Apim.
Sed néque quam multos vita spoliauerit heros
Trinacrius, vel semineces deuoluerit, inque
Terga ferox raptas fugientum ingesserit hastas,
Enumerem, non si pleni iam fluminis instar
Verba mihi, numerique fluant, & pectus anhelum

Effundat totidem voces, quot rauca comantes
Murmura dant Syluæ Zephyro spirante; quot vndæ;
Ionij scopulos quoties, & littora plangunt.
Concessere retro Pharij, mistisque Latinis
Præcipites repetunt vrbem; portámque reclusam
Occupat Oremedon, Italósque hortatur, agitque
Ad decus æternum, tantæque ad præmia laudis.
Illi adsunt: primóque acres in limine cædem
Cæde noua accumulant; ac ni se opponeret ollis
Bocchoris, & iuuenum pubes stipata, ducúmque;
Illo capta die Solyma, & direpta fuisset.
Reppulit ipse omnes atque irrumpentibus vnus
Obstitit; & calamum longe iaculatus ab arcu
Transfixit pectus ducis Oromedontis; & acri
Funera miscentem dextra, Phariósque fugantem
Strauit humi; ceu forte Aquilam, dum sæua dracones
Irruit in Libycos, calamo venator iniquo
Maurus ab excelsa deiectam rupe peremit.
Sensit mæsta cohors casum ductoris acerbum,
Continuitque gradum, portáque exclusa patenti
Rettulit in castra exanimum, & sine nomine corpus.
At procerum delecta manus, ductore perempto
Cenomanûm, & Pharijs portæ intra limina clausis,
Ne quisquam posthac in apertum erumpere tentet
Aggeribus circumuallant ingentibus vrbem,
Arietibúsque parant altos euertere muros.
Quos contra Pharius ductor firmarat, vt omnes
Vndique respuerent ictus, tutique manerent,

Saxa

Saxa intentarum venientia baliſtarum.
Ipſe autem Armoricum ductor Robertus, & vnà
Filius Iceni proles generoſa parentis,
Ambo ætate pares, animíſque, & nomine eodem,
Hortati inter ſe ſcalis aſcendere muros
Conantur, primíque ſuos inducere in vrbem;
Præripere & reliquis tam pulchræ præmia laudis.
Sed neque Lexobij, neque nati ad bella Caletes
Appoſitis ſcalis ad propugnacula poſſunt
Turribus in ſummis victricia ſigna locare:
Nec rurſus Pharij ſubeuntes mœnia Belgas
Deijcere, & celſi depellere ab aggere muri,
Quem primum tenuere. velut de finibus olim
Cum lis orta duos inter, propellit vtérque
Vtrunque, extremi vt ſpatium ſibi vindicet agri,
Exiguum ſpatium, & communem limitis oram;
Non aliter Turcas dirimit lorica, pióſque
Pugnantes, magnáque locum virtute tuentes.
Iámque adeo fractis clypeis, galéiſque reuulſis
Certatim inter ſe multa vi vulnera miſcent,
Exanimeſque vtrinque cadunt; victoria neutris
Annuit; huc etenim atque illuc incerta vacillat;
Dum pinnæ, & turres, & propugnacula fuſo
Vndique cæſorum ſparguntur ſanguine: ceu cum
Decidit abruptis è nubibus horridus imber,
Atque agros, vrbíſque vias effuſus inundat.
Mœnibus interea molem ſublimibus æquam,
Quam Ligur Ebriacus mira fabricauerat arte,
 Tergo-

Tergoribúsue boum præcinxerat vndique: viuum
Quò sulphur, piceósque globos contemneret ignis,
Admouit dux Goffredus. Stetit illa, trabésque
Comminus iniectæ muro iunxere minantem,
Et solidi se se strauerunt pontis in vsum.
Tum vero breuiter fidos hortatus amicos,
Hunc, ait, hunc mecum iam nunc conscendite pontem
O, socij, tandem venit hæc optantibus hora,
Extremum finem nostro impositura labori.
Este viri, memoresque Dei, & virtutis auitæ.
Dixit. & insiliens murum per tela, per ignes,
Nánque ignes & tela simul lapidésque pluebant
Grandinis in morem, seu densi turbinis instar,
Occupat: & Pharios primus deturbat ab alto.
Hic Mephrem, hic Thonim, Vesorémq;, acrémq; Sesostrim
Obtruncat, primorum aciem; quibus ense peremptis
Desilit e muro victor, turbámque fugacem
Comminus aggressus dat fortia corpora leto.
Atque hos propellit clypeo, pede proterit illos;
Interea heroes, tanto dum mœnia luctu
Miscentur, qua quisque à parte obsederat vrbem,
Irrumpunt, omnésque domos, & strata viarum
Corporibus cæsorum implent: fluit ater, vt amnis
Qua se cúnq; ferunt, tepidus cruor. atq; vbi ventum
Ingens ad templum secreta in parte repostum,
Vndique munitum portis, & turribus altis,
Ingeminant stragem. Pharius nam Bocchoris huc se
Contulerat, longéque pios arcere parabat.

Tancre-

Tancredus ſedenim, Siculum comitantibus armis,
Irruit; atque imo poſtes à cardine vellens
Aeratos, aditum Gallis patefecit: at olli
Ingreſsi multo Turcarum ſanguine fœdant,
Quas ante horendis fœdarant ritibus aras
Abdaridæ immanis gentes documenta ſecutæ.
Ipſum etiam audaci miſcentem funera dextra
Ad Phlegethontæas demiſit Bocchorin vndas:
Tum vero amiſſo Pharij duce, protinus omnes
Diffugiunt, captáque pij dominantur in vrbe.

Atque hic exhauſti ſtet meta extrema laboris.
Quem, ſi per totum tua diuulgetur vt Orbem
Gloria, & ad laudem Reges impellat eandem
Vnanimes, iuſtiſque pios pius induat armis,
Suſceptum potui noctes vigilare, diéſque:
Da, Pater omnipotens, paſsim volitare per ora
Chriſticolûm, & ſanctis afflantem pectora flammis
Proferre incolumem ventura in ſecula vitam:
Inijcere & populis ardorem in bella ruendi,
Perdendíque tuos diris cum ritibus hoſtes.

FINIS.

AD ALEXANDRUM MEDICEM ARCHIEP. FLORENT. S. R. E. Cardinalem.

AD proceres cœli quicunque in parte receptos
Confugit, & supplex hinc sibi poscit opem,
Irrita non semper sentit sua vota, precésque,
Nec semper surdis auribus esse Deum.
Me certe ò Latij decus immortale Senatus,
O flos, ò Medicum gloria magna patrum,
In lucem è tenebris puerum CATHARINA *vocauit,*
Ingeniúmque acuit commiserata meum.
Quo facto cecini morésque, astúsque ferarum,
Et quo quanque modo, qua decet arte capi.
Nunc; quoniam Solymas deduxi carmen ad arces,
Et superest bello hæc vltima meta pio,
Tu cuius pietas animi gratissima cœlo est,
Huc ades, & casta concipe voce preces.
Illa aderit tecum, tenuésque inuecta per auras
Inferet obsessis hostibus illa manus,
Atq; ego mox grates dicam tibi gratus: at illi
Et thura in primis, & stata sacra feram.

PETRI

PETRI ANGELII BARGAEI IN D. CATHARINAM VOTIVVM CARMEN.

TE canere, & meritas virgo tibi dicere laudes
Quid moror? extremæ cum iam sub fine senectæ
Mortali immineant æterna silentia linguæ,
Soluendiq; abeant voti mihi tempora: cuius
Relligione animum memini me obstringere, iam tum
Tertia post decimam se se cum verteret æstas,
Atq; ego preteritos consumpsem improuidus annos
Ingenuis procul à studijs: quæ paruulus ante

Leniter attigeram labris primoribus ; & quæ
Vtrísque amissis genitoribus, horrida pestis
Italiæ passim cunctas effusa per oras,
Et bellum, quo tum secum Florentia discors
Ardebat, spatio multorum exclusa dierum
Funditus ex animo deleuerat omnia ; nullus
Seu studij labor assiduus, seu cura docentum
Desuetas posset reuocare in pectus vt artes.
Ingenij nam quę celeris vis esse solebat,
Longe aberat ; penitúsque altis demersa tenèbris
Torpebat miserè : surdásque obstruxerat aures
Sensus iners ; mentisque acies obtusa iacebat.
Ergo ego discentum cœtus vitare : nec vsquam
Credere me solitis iuuenum congreßibus ; immo
Lucem etiam fugere, & totas inglorius horas
Tristibus in tenebris vitę traducere inertis :
In somnis mihi cum placido lętissima vultu
Hermelinda parens vltro se offerre videndam
Visa est, & tenero circundare brachia collo,
Solarique animum, & verbis compescere fletum.
Chare puer spes magna tuę matrísque, patrísque
Quid tantum lachrymis iuuat indulgere ? tuúmque
Ingenium frustra sumpto exercere labore ?
Imploranda tibi virgo est, quam regibus ortam
Ductores inter Pharij stupuere loquentem.
Illa tuis precibus facile exorata fauebit :
Et tenebris animum longe illustrabit abactis.
Hęc ait ; & primo se se subtraxit Eoo :

Méque

Méq; ad complexum properantem, & nota petentem
Oscula deseruit; nequè se mox passa videri est.
Ast ego, cui lachrymis oculos oppleuerat ambos
Conatúsque meos, & spem frustrata, cupitos
Amplexus animo mecum, monitúsque volutans
Maternos, & vim tantis ratus affore visis,
Surrexi è stratis properè, templúmque petiui.
Méque adeò genibus terrę sola dura prementem
Supplicibus, iunctásque manus ad imaginis aram,
Virgo intacta, tuę tollentem, & multa precantem
Protinus abieci; téque his in vota vocaui.
Diua, meis siquid precibus, CATHARINA, *moueri*
Te fas esse putas, animi miserere iacentis
In tenebris, studiisque operam nauare volentis,
Quę Musarum aditus pueris, & limina pandunt.
Ipse ego, si tanti compos, sanctissima, voti
Egrediar templo, & tetra hac rubigine mentem
Detergam, cum maturos securior ętas
Attulerit fructus, culto tibi carmine laudes
Diua canam, insignis testes & pignora facti.
O, nunquam spectata satis, sat credita nunquam
Numinis ęterni vis, & clementia; quid te
Tam magnum esse potest, in nos quod flectat, & aspris,
In rebus hominum generi succurrere cogat?
Vix ego finieram supplex, vix vltima labris
Exierant concepta meis ea vota, precésque:
Cum dubię affulsit menti lux larga, diésque,
Et longe ex animo tenebras discussit inertes.

Vidi

Vidi ego tum passim cælo submota sereno
Nubila, & ardentes per purum excurrere flammas.
Sensi animum, cæca dudum caligine mersum,
Liberum, & erectum tenues volitare per auras:
Et nihil, ad laudem cursum quod tardet, habentem.
Ergo insperatam tanto post tempore lucem
Illius expansæ postquam accepere fenestræ,
Per quas oblatæ species, præceptáque fuerunt
Influere, & se se nodis aperire solutis,
Quæ fuerant obscura prius, patuere repente
Clara magis, quam Sol medio cum fulget Olympo.
Nec me præterea potuit præuertere quisquam
Pergentem ad dulces vndæ Libethridos haustus,
Nec gressus æquare meos; ita virginis in me,
Virginis illius, soli cui summa fouendi
Discentum ingenia, & mentes commissa potestas,
Gratia se tantam dignata ostendere: & illam
Testari virtutem in me; qua prædita fertur:
Cum qui terrarum regeret dominator habenas,
Et Phariæ populos lustrans inuiseret vrbis.
Tempore nanque illo magnis genitoribus orta
Niliacas inter matres CATHARINA *patrésque:*
Vna & auis, atauisque, & pulchri corporis auctu
Clara, sed ingenij longe clarissima cultu,
Doctrinæ in studijs primos consumpserat annos:
Sæpius vt victos à se discedere cœtus
Illorum scito sermone coegerit omnes,
Quos iam fama palàm, quos iam sapientia claros

Reddi-

Reddiderat, nomenque ipsis æquauerat astris.
Sed neque naturæ miranda arcana parentis
Cognita, nec stellarum obitus, ortúsque puellam
Commorant, terræue tremor, nec fulminis ardens
Impetus, & rapidis agitata tonitrua ventis,
Non niuis, aut pluuiæ causæ, non æquoris æstus.
Scilicet hanc doctrinam omnem ridebat; & omnes
Priscorum in patrum scriptis noctésque, diésque
Ponere voluendis consueta sacrauerat vni,
Christe Deus, sanctos tibi virginitatis honores,
Quin æstu succensa nouo flagrantis amoris
Ilicet innumeros illustri ex ordine ciues,
Qui prius à vera sensus pietate gerentes
Auersos, arásque Deûm, ritúsque colebant
Infandos, Christi ad cultum, verúmque, piúmque
Eloquio, & dictis omnes conuertit acutis.
Ipsæ etiam castæque nurus, viduæque puellæ,
Et matres longa iandudum ætate peracta
Obstupuere animis, dum verba loquentis ab ore
Excipiunt, veterúmque patrum decreta sequentes
Agnoscunt lætæ sanctorum oracula vatum;
Quæ fuerant varijs ambagibus obruta quondam,
Tunc autem tenebris penitus perspecta remotis.
Iámque illam Memphis, iámque illam Aegyptia tellus
Admirata omnis Christo lætissima nomen
Certatim dabat, & ritum complexa, fidémque
Spectabat cœlum, lympháque abluta salubri
Præ vitæ spe venturę, spernebat honores,

Et ni-

Et nihili pendebat opes, & commoda rerum:
Cum lectos Latij regnator maximus vno
Doctorum ex cœtu cogi iubet: vt, quibus illi
Cúnq; valent placitis, CATHARINAE verba refutent:
Magnáque de parta proponit præmia palma.
Quinquaginta igitur, crudeli astante tyranno,
Conuenere viri, verbísque, animísque parati.
Verum ijdem (neque enim quisquam tibi Diua resistat
Syncerum Christi cultum, causámque tuenti)
Discessere omnes tanto è certamine victi:
Assensúque eodem, & concordi voce fatentes
Esse Deum, CATHARINA Deũ quem prædicat vnum.
Nánque instincta piam diuino numine mentem
Sic est orsa. Deum tandem cognoscite verum,
O miseri, qui cuncta regit; qui trinus, & vnus
Imperat, & cultum soli sibi vendicat omnem.
Vnus, cui tellus, aer, mare seruit, & æther;
Sidera voluuntur; choreásque ex ordine ducunt
Perpetuo; & cœlum non vno errore peragrant;
Damnáque fœcundi reparant terrestria soles
Flant auræ; spirant diuerso à cardine venti;
Coguntur nubes; in terram decidit imber;
Concrescit glacies; manant amnésque, lacúsque,
Et scatebræ, & fontes dulces sitientibus haustus;
Scilicet & varios tepidum ver afflat odores:
Et passim in pratis gemmantes educat herbas:
Torrida flauentes spicas mox demetit æstas:
Inque annum ingentes seponit farris aceruos:

Et

Et legit Autumnus dulces è vitibus vuas
Venturæque hyemi iam mitia poma reseruat;
Et fouet ingesta viuacia semina terra
Bruma rigens, niuibúsque altos tegit horrida montes.
Et dubitatis adhuc cunctis euertere templis
Signa Deum? quæ sunt mutum modo marmor, & æris
Fusilis, aut solidi argenti, aut durabilis auri
Vis fragilis, seu densa hebeni, seu viuida cedri
Materies, ferro scimus quæ cedere, & igni
Omnia, & ad nihilum penitus labefacta reuerti.
Nec pudet ò miseri, tantóque in lumine cæci,
Occlusas præbere pijs monitoribus aures,
Atque animos imis Erebi damnare tenebris?
Quæ vestros cœlo eiectos, & in ima repulsos
Tartara, vbi affulget miseris spes nulla salutis,
Circunstant, sæuisque Deos cruciatibus angunt,
Infensos hominum generi: quos scilicet ad se
Fraudibus implicitos varijs auertere quærunt
Frigentem in glaciem, ac viuam sine fomite flammam,
Et faciunt. illis nam vos sacrastis, & aras,
Templáque, quæ cæli fuerant modo debita regi,
Et regi pariter, qui pura è virgine natus
Cum patre, cúmque adeo sancta certissimus aura
Regnum orbe in magno tenet, æternúmque tenebit.
Hæc illa, atque alia longe interiore, magisque
Doctrina exculta, & rerum grauitate coegit
Circunfusam omnem secum sentire coronam.
Exarsere ira sæui præcordia regis,

Et pæ-

Et pœnis, & ſupplicijs affecit iniquis
Inſontes animas, vitaq́ue æterna merentes
Præmia. Dein, quoniam non, vt ſperabat, iniquum
Conſilium cecidiſſe videt, ſub imagine falſa
Occultans rabiem flammato in corde furentem
Virginis aggreditur teneros infringere ſenſus
Blanditijs, donisq́ue, domo quæ plurima iußit
Efferri, & doctæ proponi ante ora puellæ.
Quæ postquam vidit penitus contempta repelli,
Inq́ue pio, fortiq́ue illam perſiſtere cœpto,
Et poſſe haud vlla prorſus ratione moueri,
Quo minus & Chriſti cultum, nomênque profeſſa
Vulgaret Pharias myſteria tanta per oras;
Comprendi immeritam, & concludi carcere mandat.
Quod ſimul ác factum ſenſit pulcherrima coniunx,
Ipſa inquam coniunx ſæui generoſa tyranni
Fauſtina, innumeris opibúſque, & ſanguine clara,
Viſendam, & cæco ſoluendam è carcere duxit
Ipſa ſibi. Dominæ greſſum comitatur euntis
Porphyrius: belli princeps cui cura gerendi
Tradita erat; ſimul ergo abeunt, vinctámque puellam
Inuiſunt, visámque ambo miſerantur, & orant,
Deſiſtat cœptis, adeat ſacra templa deorum,
Quos Pharij coluere patres; quos Nilus, & ingens
Imperio Tiberis templis veneratur, & aris.
Hæc illi. At virgo nihil eſt, ò regia coniunx,
Quod miſeraris, ait, coniectam in vincula ſoluet
Ille Deus, qui terræ orbem fabricauit, & aſtra

Lege regit stabili, nutúque elementa gubernat.
Illum ego per medias flammas, per tela, per hostes
Vinculáque, exiliúmque mihi, letúmque minantes
Certa sequar, nec me carcer, nec verbera cogent
Inclinare genu vana ad simulachra Deorum.
Te potius, te siquid amas miserare, animámque,
Quam præferre opibus fas est, sceptrisque superbis,
Vindica ab interitu iam nunc Faustina, perenni.
Quem pictæ effigies templis, quem culta minantur
Signa Deûm, & diri fallaces Dæmonis artes.
His dictis commoti ambo coniúnxque, comésque
Porphyrius, tetro cessere è carcere, & vnà
Diuinum Christi cultum subiere, fidémque.
Tum vero in furiásq; ruens Romanus, & ignem
Ore tonat, ferro tantum scelus esse luendum,
Non vinclis, non verberibus; primúmq; necandos
Præfectum belli curat, sociámque cubilis
Ipse sui præsens, inhumatáque corpora mandat
Vulturijs, canibúsque dari laceranda, ferisque:
Qui se se magico fuissent virginis astu
Abduci, & patrias ausi contemnere leges
Infames colerent, infami morte peremptum.
Vtque nefas maius committeret, euocat ad se
Carnificem, qui dira foro spectacula ponat.
Virgineóque auidus perfundere sanguine terram
Aptari ferro, quo se rota cingit, acutos
Ipse iubet gladios, quorum mucrone trementes,
Proh scelus infandum, viuens sibi sentiat artus

Discerpi

Discerpi in varias virgo pulcherrima partes;
Virgo bis octonos quæ vix compleuerat annos,
Insignis forma, cunctísque tenerrima membris.
Sed pœnam immanem summi regnator Olympi,
Supplicijque genus dira feritate repertum
Indignans, frangi radios, dirumpier orbem,
Inque ipsa cultros dispergi iussit arena.
Nec potuére tamen tanta hæc miracula rerum
Immites rigidi sensus placare tyranni.
Immo insperato casu commotus, & ardens
Imperat ancipiti præcidere colla securi
Virginis inuictæ, quam nec facunda virorum
Ora, nec humanæ cultrix sapientia mentis,
Nec vis vlla vnquam, nec regia gaza coegit
Linquere promissæ cœlestia gaudia vitæ.
Ergo vt procubuit ceruicibus icta recisis
Purpuream è venis iam non ea sanguinis vndam,
Sed lactis niueos amnes (mirabile visu)
Effudit, roseúmque genis, atque ore colorem
Seruauit, qualis fuerat dum vita manebat.
Vsque adeo magnum est patriæ cœlestis amore
Flagrantem spe certa animum fulcire, fidéque,
Corpore constrictus fragiles dum sustinet artus.
Ast illa vt moriens ardentia lumina clausit.
Eq; oculis lachrymas spectantum expressit amaras,
Luctisonis implens Phariam ploratibus vrbem,
Protinus optato se se lætissima cælo
Clarisonos inter lituos, vocésque canoras,

Nabliáque, & plausus aulæ cælestis ouantes
Intulit, ac tandem delecta in sede quieuit.
Felix, ò nimium felix matérque, patérque,
Qui tantum peperere decus, modo pectore toto
Tot natæ diuina suæ documenta secuti,
Et vitam simul vnanimes, mortémque probantes
Spe certa luctum ingentem, lachrymásq; leuarint.
Inde autem Arabiæ sublimi in monte locatum
Aligerùm posuere chori venerabile corpus:
Hic vbi sacratas leges Deus edere Mosi
Instituit, & lectæ frenos immittere genti,
Cum primum Aegypti fugiens iuga dura refregit,
Iuque Asiæ se se desertas contulit oras.
Hinc illam effuso testatam sanguine cultum,
Tutatámque fidem, ritúsque, & scita loquendo
Christigenùm, & pœnas extrema per omnia passam
Constanter, Deus immensi moderator Olympi
Discentum ingenijs iuuenum præfecit alendis:
Et rerum doctrinæ omnis dedit esse potentem:
Atque edera dignas, & lauro reddere frontes.
Quæ si vera cano, si mentem incensus amore
Diua tuo mecum recolo, si verba, precésque
Poplitibus flexis, & ad illam cernuus aram,
Qua coleris, cupido non frustra è pectore fudi
Et puer, & nondum gnarus quid poscere, quid non
Esset opus; nunc, Diua, senem dignare petentem
Culparum veniam, se se quibus ipse teneri
Nouit, & ignosci lachrymans sibi postulat, idque

Instat,

Instat, vt exores superúmque, hominúmque parentem,
Ac sibi præsto adsis; quo post exacta senectæ
Tempora decedens æterna in pace quiescat.
Præterea, si quod supplex mens discupit, æquum est,
Acceptúmque Deo, precor, ò sanctissima, vati
Virgo feras, quam poscit, opem. Da carmina chartis
Condere victuris, memori quas eximat æuo
Nulla dies, quas posteritas miretur, amétque.
Quod tibi promissas virgo persoluere grates
Institerim, & veras Fernando appingere laudes.
Fernando Medici, qui Thuscis imperat oris,
Cælicolum regi longe gratissimus vnus,
Vnus inexhausto populorum fultus amore:
Quique adeo vt possem susceptum ferre laborem,
Securúsque explere (tua est quæ gratia) munus
Impositum, ac fama totum vulgare per orbem
Facta virum, nostris hæc præstitit otia Musis.
Ergo, ò Diua, Ducis da iussa facessere tanti,
Protinus & sanctam Solymorum adducere ad vrbem
Gallorum heroes, Italúmque; &, clara nepotes
Si concire queunt magnorum exempla parentum,
Et decus ad summum stimulis impellere acutis,
Socordes iusta hæc ad prælia suffice vires
Languenti ingenio, & depelle e pectore frigus.
Fac se sopitus iandudum suscitet ignis.
Vt scintilla leui cinere, & fuligine tecta,
Afflarit veniens si forte Fauonius auram,
Emicat, & frondes, quas alta ex arbore passim

Autumni præceps gelidi decuſſerat horror,
Comprendit primum, mox ſyluam aggreſſa, nemúſque
Ilicibus denſum annoſis, incendia miſcet,
Et ſe ſe extollens ad cœlum, & ſidera, victrix
Vndique dat lucem rutilo ſplendore coruſcam.

FINIS.

Errata ſic Corrigito.

Pag.	ver.	Errata	Correcta	Pag.	ver.	Errata	Correcta
1	2	*exabauſta*	*exhauſta*	304	28	*ſors*	*fors*
33	11	*Schytia*	*Scythia*	310	10	*raptu*	*rapto*
39	22	*ullum*	*ullus*	316	4	*moncls*	*montis*
60	25	*ſolymos*	*Solymos*	321	20	*vulgéque*	*uulgóque*
66	18	*Te*	*Se*	332	15	*medium*	*mediam*
143	14	*paſciſci*	*paciſci*	337	6	*Vnda*	*Vnde*
169	6	*Arabuum*	*Arabum*	552	16	*Frigius*	*Frigus*
202	12	*Auxona*	*Axona*	359	3	*laæ*	*Laæ (des*
230	9	*pro*	*per*	365	6	*Achæmenidū*	*Achæmeni-*
259	2	*ſquamáſq;*	*ſquamíſque*	367	28	*acróſque*	*acréſque*
263	3	*potlus*	*potius*	369	27	*primam*	*primùm*
279	16	*Equa*	*Eque*	372	13	*arcn*	*arcu*
300	1	*additus*	*aditus*	374	13	*ceu*	*ſeu*
304	6	*nutuue*	*nutuúe*				

Errata in Cynegeticis, & Ixeuticis, quæ Romæ excuſa ſunt M D LXXXV. ſic corrigito.

Pag.	ver.	Errata	Correcta
14	21	*Vidit inardentem*	*Ardentem uidit*
86	10	*reuertunt*	*recedunt*
151	9	*quà ſæpe uiam Leo pergere ſueuit*	*quo ſæpe Leo fert tramite greßum*
198	16	*& Cereri*	*& Veneri*
198	16	*Dione*	*Dianæ*

ROBERTI TITII
BVRGENSIS
IN DVODECIM LIBROS
SYRIADOS
PETRI ANGELII
SCHOLIA.

ROBERTVS TITIVS BVRGENSIS

CANDIDO, ET ERVDITO Lectori Salutem.

CVM egomet ad legendos poetas confero, amice lector, (confero autem sæpissimè) eos omnes vehementer admirari soleo, Virgilium verò in primis: cuius opera multis adeò sunt, ac magnis ingenij luminibus referta, vt ea non ab homine, sed ab ipsomet Apolline confecta esse existimem; cuius laudis ne nostri quidem æui homines expertes mihi videri solent; siquidem Pontanus, Sannazarius, Vida, alij, quos hic commemorare non attinet, cum linguam Latinam magno labore ex veterum monumentis, pulchrioresque tum verborum, tum sententiarum flosculos ex peregrinis fermè, longeque à nobis dissitis regionibus petere necesse habuerint, eum tamen locum inter optimos Latinos poetas obtinere videntur, qui vel sit ipse inter primos, vel certè à primo non longè distet. Ac vero si naturæ bono industriam, ac diligentiam sedulò adiungere voluerimus, non video, cur nostris hominibus præclari huius certaminis gloriam inuidere debeamus: immo etiam non mediocre ad eam consequendam adiumentum ij mihi habere videntur, quo veteres omnino caruerunt; nullum enim sibi parem, quem imitaretur, cuiusque quasi stimulis, ac calcaribus quibusdam ad gloriam incitaretur, Virgilium sibi proponere potuisse constat, præter Ennium, ex cuius stercore purissimum aurum is se colligere profitebatur; at nostri & Virgilium ipsum, & alios eiusdem propemodum notæ non valde paucos sibi duces constituere potuerunt, quorum vestigijs insistentes in secretiora Musarum adyta penetrarent; quod cum omnium consensu verissimum esse deprehendatur, meritò nostræ ætati plurimum gratulari debemus, quod quidem facio libentissimè, & ex animo, ac nunc deni-

que inspecta Syriade constanter affirmo, nostros homines antiquam illam Romanorum ingeniorum excellentiam prorsus adæquasse: nam hactenus quidpiam defuisse nemo, vt opinor, qui rem penitus introspicere voluerit, inficiabitur; quomodo enim quippiam, atque adeo ingens quiddam nobis non defuit, qui semper impios illos veterum Deos, profanosque ipsorum ritus nostris poematis inspergere laudi duxerimus? quo facillimè fit, vt adolescentulorum animi, qui primum lectione poetarum informari solent, meram Gentilitatem penitus imbibere insuescant, quæ res quantum detrimenti afferat nemini obscurum esse potest: hinc etiam euenit, vt mores ad lasciuiam facillimè inflectantur, atque alia insuper multa, & grauia incommoda oriantur, quæ verè Christiani hominis ingenium peruertere consueuerunt. atque ego quidem satis mirari nequeo, vnde factum sit, vt, cum viderint maiores nostri falsam illam, & anilem superstitionem persanctè à priscis illis viris coli, suisque scriptionibus frequenter celebrari, non idem sibi de vera hac nostra faciendum in animum induxerint; nam prorsus alterutrum necesse fuerat, vel poesim ipsam penitus non attingere, si absque illis obscoenitatibus, atque illecebris ad lasciuiam manca, atque imperfecta esse existimabatur, vel eandem pijs moribus, & ex nostra religione depromptis exornare: hoc tandem inspexisse, & ingenij acumine, quo plurimum valet, optimè perpendisse vnus Angelius mihi videtur, qui profanos illos ritus auersatus, & quantum inde periculi teneris adolescentulorum animis impenderet secum reputans, ad veram pietatem nos perducere voluit exemplo proposito nobilissimorum Ducum, qui sacro illi bello & interfuerunt, & præfuerunt, vitamque libentissimè profundere non dubitarunt: habemus igitur nos quoque Virgilium nostrum (absit dicto inuidia) cui quid desit, non video; immo verò tot eruditionis, Christianæque pietatis lumina in eo elucent, vt ipsi Maroni hunc nostrum præferre non dubitem; quæ me causa impulit, vt ei manum admouerem, obscurioresque, ac magis reconditos quosdam locos aperirem, quos non ita passim obuios esse existimaui, præsertim propter historias & temporum iniuria, & scriptorum paucitate, & negligentia parum cognitas, quod ego te, candide lector, in bonam partem esse accepturum non dubito. Vale.

ROBERTI

ROBERTI TITII BVRGENSIS SCHOLIA IN LIBRVM PRIMVM Syriados.

Pagina Prima.

HESPERIAS ACIES] Occidentales; nam Hiſpani ipſi nihil omnino in hanc expeditionem contulerunt: quippe qui ſuú bellum tunc temporis domi aduerſus Sarracenorum reliquias perſequebantur; veluti nos admonet Paulus Aemilius. ſic Propertius. *Sine illam Heſperijs, ſiue illam oſtendat Eois, Vret & Eoos, vret & Heſperios*: quod etiam apud Dionyſium Afrum obſeruare licet: ac ſanè Græcis *Occidens Heſperus* ab Heſpero ſtella nuncupatur, *Ortus* verò *Eous* ab Aurora.

Et varijs] Præfatio, ſiue prælocutio cum admirabili, & commiſeratione ex præcepto Ariſtotelis, & ex vſu optimorum poetarum, Homeri, & Virgilij.

2 *Promiſſa parentibus arua*] Quare in ſacris libris regio illa Terra promiſſionis nuncupatur.

Altas euoluere cauſas] A prima origine, à capite ipſo arceſſere, non (vt quidam fecerunt) truncam, ac decurtatam actionem referre, quod ſanè vitioſum eſt, vt docet Ariſtoteles: neque tamen eſt repetitio ob ouo, nã ea nihil omnino confert ad propoſitú negociú ad finem perducendú; hæc autem prorſus eſt neceſſaria, & abſque ea manca, atque imperfecta narratio videri poſſet.

Vrbem hanc] Descriptio Hierosolymæ ab actionibus Christi.

3 *Quingentæ æstates*] Quingenti fermè anni elapsi erant ab ortu Mehemetis, quo tempore Christiana religio in Africa, & Asia pessum ire cepit introductis falsis ritibus ex perniciosa illius teterrimæ belluæ persuasione; vel respicit ad factum Cosroes Persarum Regis, qui Hierosolymam vi expugnauit, ac miserabiliter diripuit occisis per Iudeos x c Christianorum millibus, auctore Cedreno; vide etiam, si libet, Eutropium libro 18.

En iterum] Respicit ad seruitutem Hebræorum, quam ij in Aegypto multos annos perpessi sunt ab interitu Ioseph ad Moysis tempora, cuius rei extat historia in Exodo.

4 *Erembos*] Arabas, quos ita etiam vocauit Homerus; veluti Possidonius apud eum legendum censet, quanquam Arabas illic substituat Zeno, vt docet Strabo: porrò de Turcarum origine plura extant apud diuersos historicos, sed in primis consulendi sunt Georgius Cedrenus, Laonicus Chalcondilas, Ioânesbaptista Egnatius, Paulus Iouius, Andreas Cambinus, Petrus Bellonius.

Solum montis secessit in antrum] *In solum antrum* p o ipse solus; Petrum autem Ambianum intelligit, qui Eremitæ cognomen inuenit, cuius ita inferius meminit; *Subijcit hæc igitur cupienti habitator eremi*: consule, præter cæteros, Paulum Aemilium; & Sabellicum.

5 *Sirbonisque lacum*] Descriptio Palestinæ: Sirbonis lacus meminerunt Strabo, & Plinius: duas Iamnas idem Plinius nominat; de sterilitate soli, in quo sita est Hierosolyma non nihil inuenias apud Strabonem lib. 16.

Pro libertate meorum] Iccirco meorum additur, quia superius dixerat poeta. *celeremque ad se vocat inde ministrum, Aligerum è cætu*: & reliqua: consule ad hanc rē Ioannem Viguerium. Institutionibus ad naturalem, & Christianam Philosophiam, qua parte de natura Angelica loquitur.

7 *Erat qui maximus vnus*] Quem Patriarcham vocant; cui recte visum suum aperit Petrus, vt summo in illis regionibus sacerdoti.

8 *Arma Iouis*] Fabulam innuit, quæ de Ioue, & Saturno circumfertur, de qua videndus est, vt alios omittam, Diodorus: est autem Geographica, & poeticis flosculis exornata descriptio totius itineris Petri Eremitæ.

Sammonij rupes] Promontorium Cretæ, cuius disertè meminit Sstrabo, nec non Catullus in carmine de nuptijs Pelei, &

Theti-

Thetidos, nisi librarij scriptores suo more intercessissent; nam illic, vbi nunc vulgo legitur. *Idmoneos ne petam montes?* omissis aliorum figmentis procul dubio excribi debet. *Sammonios ne petam montes? at gurgite lato Discernens patriam truculentum diuidit æquor.* idque nuper docuit me Angelius ipse, vt posthac de sinceritate scripturæ minimè sit dubitandum.

Illic gens Attica] Tāgit factum Atheniensium duce Philocrate, qui Meliorum vrbe vi capta puberes omnes interemerunt; impuberes in seruitutem redegerunt, auctore Thucydide: porrò ad vniuersam hanc descriptionem videndus est Plinius lib. 4. c. 12.

9 *Illicitos vbi primum*] Respicit raptum Helenæ, & cum ea Paridis concubitum, cuius rei meminit Pausanias in Laconicis; adi Coluthum.

Quæ modo deuictos] Ob nobile illud prælium, quod Christiani feliciter pugnarunt aduersus Turcas anno partæ salutis 1572. nonis Octobris.

Fulminibusque altam] Vnde etiam montes illi nomen repererunt: dicuntur etiam Acroceraunia, atque ita eos appellat Horatius: sunt autem in Epiro, à quibus flexus est in Adriam, vt inquit Mela, quod innuit etiam hic noster; sic Virgilius. *Prouehimur pelago vicina Ceraunia iuxta, Vnde iter Italiam, cursusque breuissimus vndis.*

Primi vnde insignia regni] Tradit hoc, inter cæteros, Frater Leander Albertius in Corographia Iapigiæ; apud quem nonnulla etiam reperias de templo diuo Nicolao dicato.

10 *Ambrosium summo*] Eum liquorem mannam vocari scribit idem auctor: Barenses ciues sancti huius viri ossa in oleo natantia repererunt, eaque omnia diligenter collecta Barium auexerunt. Sigibertus Gemblacensis.

Myram Lyciæ,] Antistes Myræ, nam patria fuit Pataræus, quare cum scribit Suida Μύρων τῆς Λυκίας intellige tu Antistes, quod Græci scriptoris interpres non animaduertit. huius viri sanctissimi vitam literarum monimentis consignauit Ioannes Diaconus sancti Ianuari: vide fusius apud Surium ex Methodio, & alijs.

Et vndique nauem] A quo facto etiam num tempestates compescere creditur, atque in hanc rem a nautis persanctè inuocari consueuit reiectis interim Castore, & Polluce, anilibus figmentis antiquorum.

11 *Atque auro e solido*] De preciosissimis donarijs illius tem-

pli mentio extat apud eundem Leandrum Albertium loco superius indicato.

12 *Antiochi*] Antiochia, quam Seleucus cōdidit, ac de patris Antiochi nomine eo pacto nuncupauit; Strabo, Iustinus, Cedrenus; alij multi; hic noster libro 10. Suidas vero, & Sozomenus non de Antiochi patris, sed de Antiochi filij nomine ita vocatam scribunt: vtranque opinionem refert Ioannes Tzetzes Chil. 7. hist. 118. *eam Oronte amne diuiditur*, inquit Plinius. de huius vrbis situ Consule Petrum Bellonium Obseruat. lib. 2. capiti 105.

13 *Nec qui Byzanti*] Alexius Comenus Imperator.

Germania bellax] Dicta enim Germania est à gerra voce eius nationis vetere, qua bellum significabatur, vnde & vulgo in Italia guerra; Iustus Lipsius in Notis ad Tacitum de Moribus Germanorum: vide tamen Franciscum Irenicum, & Aegidium Thscudum.

Septem qui collibus vrbis] Notum est Vrbis mœnia septem colles suo ambitu fuisse complexa: designatur autem Vrbanus Summus Pontifex eius nominis secundus. Platina, Sabellicus, Bonfinius, alij.

Imperio postquam] Postquam Constantinus Magnus Byzantium Thraciæ vrbem habitatum concessit illic imperij sede constituta, qua de re videndus est Zonaras, & in cæteris, Blondus, Platina, Volaterranus, Sabellicus, Egnatius, Panuinus, Sigonius.

Electrides] Non eæ, quas prope ostia Timaui constituit Plinius, sed quas idem Glessarias vocatas scribit in Germanico mari sparsas.

Normannos inuento, nomine dictos] Ii primum è Nortuegia, siue Dania, vt quidam volunt, descendentes grassabundi vniuersam propemodum Galliam diripuerunt, quibus alij deinde Septemtrionales populi prædæ dulcedine illecti se adiungentes plures Christianorum prouincias longe, lateque vastauerunt, quoniam vero diuersæ Aquilonares gētes Gallis incognitæ cum ipsis Nortuegijs conspirauerunt, factum est, vt communi nomine à Nort, & Man Nortmanni vocarentur, sicut auctor est Albertus Crantzius non vno in loco: post hunc etiam ad hanc rem consuli inprimis Vuolfangus Lazius in libris, quibus titulum fecit, de Migrationibus gentium; Blondus Flauius, Thomas Fazzelius in Historia Sicula, Bilibaldus Pircheimerius, Pandolphus Collenucius, & Ioannes Michael Brutus libro sec. de Instaura-

tione

tione Italiæ, cujus pars impressa spectatur inter Epistolas clarorum virorum, quas Griphius Lugduni diuulgauit: sed & ipsorum quoque Normannorum historias, quæ vulgo circumferuntur, nec non scriptores rerum Germanicarum adire præstiterit, si quis plura nosse velit; nam mihi nunc vacat omnia prosequi.

15 *Bissenos natos*] Hos enumerat Collenucius hac serie: Sarnus, Gotfredus, Drogo, Tancredus, Gulielmus, Humfredus, Robertus, Rogerius, Riccardus, Gotfredus alter, Frumentinus, & Molungelus; qui ex binis Tancredi vxoribus orti sunt. Bonfinius Rer. Vngaricarum lib. 2. decade. 2. hæc nomina prodit paululum immutata, sin reb. tamen summa omnes conueniunt: consule etiam Blondum Flauium.

Limo durati] Luto enim probe subacto loricam sibi conficiunt sues agrestes, dum in eo se se volutant, solisque ardore tergus ita obductum deinde exsiccant, quo pacto muniti ad pugnam prodeunt, quod significat Virgilius dicens, *Ipse ruit, dentesque Sabellicus exacuit sus, Et pede prosubigit terram, fricat arbore costas, Atque hinc, atque illinc humeros ad vulnera durat*: idem etiam multo ante prodiderat Aristoteles in libris de Historia animalium.

Et tenuis] Appellat Rhenum Galliæ Cisalpinæ tenuem ad differentiam Rheni, qui Germaniam à Gallia diuidit, is enim inter magna flumina annumeratur, illius alterius meminit Plinius lib. 3. cap. 16.

16 *Auguste*] Apostrophe ad Michaelem Etheriacum Græcorum Imperatorem, quo regnante Græci à Normannis vniuersa fermè Apulia exuti sunt, auctore Blondo, Sabellico, Collenucio, Sigonio, Bruto, alijs.

Robertum paternam] Intelligit Robertum cognomento Guiscardum, hoc est erronem, id enim ea vox pollere creditur; de quo quidem Roberto videnda sunt, quæ scribit Collenucius Historiarum Neapolitan. lib. 3. & Ioannes Michael Brutus de Instauratione Italiæ; Blondus etiam & Fazzelius plura narrant.

Iam Tribacia] Robertus enim is, quem Guiscardum fuisse nuncupatum diximus, aduersus Michaelem Diocrilium Constantinopolitanum Imperatorem bellum in Græcia feliciter gessit, illudque cum Alexio Comneno Nicephori Boroniates Imperio per proditionem successore haud ita diu redintegrauit, vt referunt idem Collenucius, & Brutus.

Discordia fratrum] Roggerij scilicet, & Boemundi. Polydorus Virgilius in Angelica historia.

17 *Sine cæde*] Cepit enim vrbem per proditionem; hic autem

tem poeta exprimit morem fortis, & pij ducis; quo exemplo instruit omnes ad pietatem Christianam.

O qui coniectos] Tres duces, & alios item milites inimicorum calumnia circumuentos, & capitis suplicio statim afficiendos à periculo exemit, cum in somnis Imperatori Constátino rei veritatem patefecisset, Suidas, & Metaphrastes.

18 *Linguisque, animisque fauentes*] Silentium agentes, vel bona verba dicentes. *Fauere enim est bona fari*, inquit Festus. Tibullus. *Dicamus bona verba, venit natalis, ad aras: Quisquis ades lingua vir, mulierue faue.*

Tarpeia de rupe rebelles] Innuit factum Roberti Guiscardi aduersus Henricum Tertium Germanorum Imperatorem, qui Gregorium septimum Pontificem Maximum bello persequebatur: auctores Platina, Blondus, Sabellicus, Collenucius, alij.

19 *Bis Venetos*] Cum Venetæ classi præesset Dominicus Syluius Alexio Græcorum Imperatori auxilium ferens. ijdem Sabellicus, Flauius, & Collenucius.

Aut cum Cassiopes] Cum rediret ab insula Sessona, ad quam ingenti prælio fuderat Græcos, & Venetos anno partæ salutis 1082. Collenucius, Brutus, alij.

20 *Tãtarũq; adeo socius*] Nominatim in obsidione Dirrachij.

Imponesque sacrum] Vaticinium ob Antiochiam subactam, & Boemundo à reliquis Christianis principibus vltro concessam: Gulielmus Archiepiscopus Tyri, Robertus Monachus, Mattheus Villanius, Aretinus, Bonfinius, alij multi, quos hic referre non est opus.

22 *Hæredem*] Quoniam esset maior natu, cui vniuersum omnino patrimonium deferebant leges Normannorum; hinc factum est, vt ingens Australium populorum multitudo proprijs sedibus relictis noua regna quæsierit.

23 *Imperij fines*] Hanc rem fuse narrat Georgius Cedrenus.

24 *Abdaridem*] Mehemetis pater certo non proditur, nec eum Eutropius, & Cedrenus, agnoscunt, cum alioquin de ipso plura narrent, ortus enim creditur obscuro loco; quanquam Ioannes Andreas Maurus nobilissimis parentibus ipsum genitum facit; Pomponius Lætus ditissimi cuiusdam mercatoris meminit, cui nomen esset Abdimoneplis, hunc filij loco Mehemetem habuisse refert; ipse Ioannes Andreas Abdaliam Motalib Mehemetis patrem vocat; alij Abdallæ filium, Abdalmutalip nepotem faciunt. Petrus Bellonius Obseruat. lib. 3. cap. 1. Mehe-

metis

metis patré Abdola Motalip: vocatum ſcribit; matrem Iminam, res in obſcuro latet, nec de ea aliud certius quærendum videtur; hic noſter Abdarum eum nominat concinno ſanè vocabulo, & ab Abdimonieple, ſeu Abdalia non longe diſsito; licet auté, opinor, nomina propria in concinniorem, & auribus noſtris ſuauiorem formam, ita, vt barbariem exuant, redigere; quod fecit Virgilius non vno in loco.

Dum ſimulat ſe ſe.] Quod commentum primum excogitauit, vt morbum comitialem, quo perſæpe corripiebatur, diſsimularet. Cedrenus: reliqui hiſtorici rerum Turcicarum.

25 *Sexcentos iam capta annos*] Superius dixit *Quingentæ æſtates, quingentæ ex ordine brumæ*: ſed eſt numerus finitus pro infinito vulgata figura.

Daphnem] Hanc ſuburbium eſſe Antiochiæ ſcribit Dion lib. 51. vbi de Antonij gladiatoribus loquitur. adi etiam, ſi libet, Strabonem lib. 16. Nicephorum Calliſtum lib. 2. c. 7. nec non Sozomenum libro item 2. cap. 19. cæterum quod hic dicitur; *Quæ populos Chriſti de nomine prima vocauit Auſa ſuos*; reſpicit id, quod tradit idem Nicephorus de DD. Barnaba, & Paulo Apoſtolis, nimirum eos à Diuo Petro Antiochiam miſſos primum ibi ſanxiſſe, vt ſui diſcipuli Chriſtiani vocarentur.

27 *Quippe impoſitis*] Hiſtoria extat in ſacris Biblijs libro vocato Exodus: ſumpta vero eſt imitatio ex deſcriptione puluinaris Ariadnæ apud Catullum.

28 *Tum verò*] Retinet morem Chriſtianorum, qui antequam dapes attingant, à Chriſto Deo pacem, & lætitiam expoſcunt: tum verò deinceps eorundem modeſtiam in conuiuio licet obſeruare, hinc enim ſumi debet exemplum Chriſtiani hominis.

29 *Præſtans Minturnus*] Antonius Sebaſtianus Minturnus Epiſcopus Vxentinus fuit elegans inprimis, atque eruditus poeta, veluti ex ipſius monumentis, quæ adhuc extant, perſpici poteſt, ſed & de Poeta libros ſex latinè confecit, & de Arte Poetica quatuor materno ſermone, atque alia quoque eius ingenij monumenta vtraq; lingua conſcripta reperiuntur, quæ doctorum virorum manibus magna cum laude eorum auctoris aſsiduè teruntur; hunc modo hic deſignat Angelius; quin & hiſtoriam de Moyſe iccirco referre Minturnus fingitur, quoniam is de vita ipſius plures libros carmine conſcripſit, quos ſe olim vidiſſe, & in manibus habuiſſe Angelius ipſe mihi affirmauit, nam adhuc in publicum non prodierunt; præterea quemadmodum Moyſes ex Aegypto aufugiens Iudeæ tellurem non attigit, ita quoq;

Boemun-

Boemundus, coram quo canere Minturnus introducitur, expugnationi Hierosolymæ non interfuit.

Horrenda Maricæ] Huic olim Minturnêses ad ripas Liris sacra faciebant: Lactantius Firmianus de Falsa religione lib. 1. cap. 21. scribit Circæ iam mortuæ Maricæ nomen factum fuisse ex ritu quodam antiquorum; qui mortuis, & in Deos relatis nomen immutabant: alij Maricam Venerem ipsam interpretantur: alij Fatuam Fauni vxorem; vide Seruium ad illud Maronis. *Hunc Fauno, & Nympha genitum Laurente Marica.*

SCHO-

SCHOLIA

IN LIB. SECVNDVM

Syriados.

Pagina XXXI.

QVOD *felix*] Solemnia verba: Cicero lib. 1. de Diuinat. *hominum voces vocant omina; quæ maiores nostri, quia valere censebant; iccirco omnibus rebus agendis, quod bonum, faustum, fortunatumque esset, præfabantur*. Plautus Casina. *Quod bonum, atque fortunatum sit mihi*.

32 *Hæc omina firmet*] Quid sit omen firmare, doceo in libris de Vniuerso diuinationis genere.

Melior pars acta diei] Maior, & prima inquit Seruius ad illud Maronis. *Nunc adeo, melior quoniam pars acta diei*: quod declaratur ex illo Ennij: *magna cum lapsa diei Parte fuisset*: consule ad hanc rem Andream Alciatum in Comment. ad Pandectas de Verborum significatione cap. Vrbis Romæ.

33 *At non & Petrus*] Disce mores hominis verè Christiani.

Et sua cælo] Tò *sua* ad *cælum* refertur, non ad *Auroram*, dicuntur. n. astra cœli, non Auroræ.

34 *Lætumque precati*]. Postquam regem salutauerunt: de salutatione matutina, & vespertina quippiam locuti sumus in Assertione pro nostris. Locis controuersis aduersus Yuonem quendam Villiomarum, qui & Iosephus Scaliger nuncupatur.

Interea]. Sic passim toto hoc poemate veræ pietatis exempla obseruare licet, qua vna de causa, vt cæteræ abessent, illud Christianæ iuuentuti legendum proponi deberet.

Infractus ab æuo] Valde fractus; quomodo persæpe loquitur Virgilius; sic Horatius *Impotens Africus* dixit, hoc est valde potens, vehementissimus; talia sunt apud nostros Iurisconsultos, indifficilis, ingrauis, imprudés, atque alia his similia; qua eadem

ratione

ratione dicet hic noster, *ora inarata senectæ*, &c. *viribus indubitansq; suis*: &; *infractos lecto tandem mæstissimus artus Composuit*.

Vsque adeo] Epiphonema de vi Spiritus Sancti.

Primum ambas] Graphicè, atque elegãter maxima etiam cõiuncta suauitate verborũ describit sacrum habitum Antistitis sacra facturi: videndus est Gulielmus Durandus in opere, quo ritus omnes Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, eorumque causas, & rationes complexus est.

35 *Lyssi*] Tenuissimi texti linei, quod præcipue conficitur Alexandriæ ad ripas Nili sitæ; est.n. Pelusium vnum ex ostijs illius fluminis, vt norunt omnes.

Ternarum spatijs crucium] Hunc limbum vocant pallium, qui est tribus crucibus interstinctus, is debet à muliere,quæ nõ dum virum experta sit ex lana vulsa, non tonsa confici, neque eo cuiquã vti licet, præterquam Archiepiscopo; Barium autem vrbs sede Archiepiscopali insignita est.

Niueum tegmen] Candidam mitram, quam vocant.

Donum (admirabile) Noæ] Distingue sic, *donum Noæ*: appositiue *admirabile*; hoc est,quæ res magnam admirationem omnino habet; non coniunctim *donum admirabile* ipsius *Noæ*: intelligit autem vinum, quod à Noa primum repertũ proditur capite nono Geneseos: profanus quipiam poeta appellasset illud donum Bacchi, vel Lyei, vt loquitur Maro: sed tandem aliquando nobis Christianis gentilitas hæc exuenda est, & nostræ scriptiones ad veræ, piæque religionis ritus accommodandæ.

Ille Deum] Describit preces; quas Letanias vocamus,

36 *Qua labibus olim*] Iterans videlicet illam solemnem verborum conceptionem; Miserere mei.

Quæ brachia porrigit Ancon] Alludit ad etymon vocis Ancon, cuius vrbis ita meminit Plinius. *Ab ijsdem colonia Ancona apposita promontorio Cumero in ipso flectentis se oræ cubito.* ἀγκὼν autem valet cubitum, vt notum est.

Et bellum Rubicon] Quia limen Italiæ, quod ducibus etiam Romanis iniussu Senatus armato milite transilisse capitale fuerat: de facto Cæsaris cum ad hunc fluuium cum exercitu peruenisset, celebris extat historia apud diuersos scriptores; Plutarchum nimirum, Appianum, Suetonium, alios: hic noster sic dicet inferius. *Et Rubicon Italis finis uetus: obuius olim Qui bellum, aut pacem venienti indiceret hosti.*

37 *Allobrogesque olim*] Quod generatim de Gallis omnibus enunciauerat Cæsar; videlicet vniuersam illam nationem rerum

nouarum

notarum fuisse perstudiosam, id nunc poeta ad ipsos duntaxat Allobroges transfert exemplo Horatij, qui dixerit; *Nouisque rebus infidelis Allobrox*. sed notam hanc ab illis populis nunc eluit poeta dicens: *sed nunc regum studiosa suorum*.

Saxa Lemani] Consule præter cæteros, Franciscum Irenicum.

Nannetumque arua petentem] Videndus est ad hanc vniuersam descriptionem Raymundus Marlianus in suo Indice alphabetico veterum Galliæ locorum, populorum, & cætera, qui Cæsaris Commentarijs, appingi solet ab impressoribus librorum.

Affuit & procerum virtus] *Virtus procerum* pro ipsis proceribus fortibus, & bellicosis, sic dixit Horatius *Virtutem Catonis*, & Virgilius in Culice. *Hic Fabij, Decijque, hic est & Horatia virtus*.

28 *Sub pondere tellus*] Hyperbole Homerica.

O custos populorum] Ex Homero.

Niuibusque perennibus Alpes] Vnde alpes ipsæ dictæ sunt; alludit igitur ad etymon.

Consumitur impius igni] Torquetur, sic etiam dixit alibi.

39 *Vetustæ militiæ*] Pollicetur auxiliũ veteranorum militum, quod magni omnino faciendum fuerat. Paulus Aemilius lib. 4.

40 *An potius miserabile dicam*] Auget πάθος imitatione Catulli, qui dixit, *Id Manli non est turpe, magis miserum est*.

Germane armipotens] Diximus superius Germanos ita vocatos fuisse à studio armorum: de voce *armipotens* exempla plura extant apud Maronem.

Castasque nurus] Alludit ad morem Turcarum Imperatoris, qui fœminas spectatæ pulchritudinis vndique cõquisitas in certum quendam locum conclusas habet ad libidinem; is locus vocatur Serraglio.

41 *Iungere semiuiros*] Quoniam Turcæ castrare adolescentes consueuerint, eisdemque ad libidinem abuti.

Præficit exectos] Eunuchos videlicet ex antiqua Asiaticorum consuetudine ab ipsis Semiramidis temporibus vsque deducta: auctor Iustinus, ni fallor.

Primæ acies] Confirmatio eius, quod dixerat. *Præstabunt numero*. docet enim, quomodo Christianorum acies numero superaturæ sint Turcarum acies: ex Homero.

42 *Vel si se toto*] Quibus duobus modis opinio est mundum posse interire, aqua scilicet, vel igni; hoc est conflagratione aut diluuio.

43 *Scinduntur spumæ*] Exornatio poetica nihil ad comparationem cõferẽs: tales etiam reperiuntur apud Homerũ, & Virgiliũ.

Atque

Atque aliquis] Ita loquitur interdum Homerus, & Musæus in illo suo breui, sed gratiarum pleno Poematio de Amore Leandri, & Herus: sic etiam hic noster infra non vno in loco.

Maiestate manus] Ita.n. silentium Principes indicebant, quod apud diuersos historicos obseruare licet, dum Imperatores, & Duces exercituum Romanorum ad milites verba facturi prodire dicuntur. Ammianus lib. 26. de habitu pacificatorio consulendus est Angelus Politianus Miscellaneorum cap. 65.

Inarata senectæ] Valde arata, sicut illud *Infractus æuo*, de quo non nihil superius diximus.

Defendi imperij fines] Vel Græci, vel generatim Christiani.

Quandoque libet] Quandocunque, quotiescunque libet; Horatius. *Et quandoque potentior Largis muneribus riserit æmuli, Albanos prope, te, lacus Ponet marmoream.*

45 *Qui tunc illic habuere*] Hoc est habitauere, quo verbo hac notione aliquoties vtitur hic noster exemplo Maronis, & aliorum: cæterum tãgit historiam Brenni Gallorum Ducis, qui magnis copijs Græciam inuasit, templumque Apollinis Delphici splendidissime constructum, ac preciosissimis donarjs exornatum penitus diripuit, ac disiecit, auctores præcipue Pausanias, & Iustinus.

Indereque æternum] De consuetudine victorum, qui victos nomen mutare cogunt sumpto eius loco ipsorum victorum nomine: respicit ad hunc morem Virgilius, ibi; *Neu vetus indigenas nomen mutare Latinos, Neu Troas dici iubeas, Teucrosque vocari.*

Adde quod auspicijs] Neque.n. tunc veri Dei cultus cognoscebatur Christo nondum nato; hoc autem plurimum confert ad victoriam, immo in hoc vno ea posita est.

46 *Hostilem in turmam*] Secus atque accidit exercitui Brenni.

Martellus] Carolus videlicet Pipini magistri equitum Dagoberti Gallorum Regis filius ex Alpaide pellice à viribus Martijs hoc cognomentum sortitus, vt docet Paulus Aemilius.

Abdemarum] Hic Abdemarus fuit Rex Sarracenorum, quem Carolus Martellus prope Ligerim ad internecionem cum numerosissimo eius exercitu strauit, fugauitque. Paulus Aemilius lib. 2

Nec vos decipiat] Occurrit cuidam tacitæ obiectioni, quam quis ad refellẽdum Caroli Martelli exemplum afferre potuisset.

47 *Nanque vt nulla lupis*] Agnorum, & luporum discordia in prouerbium cessit, eoque ferme vtitur Homerus, & Plato. Horatius dixit illuc respiciens. *Lupis, & agnis quanta sortito obtigit, Tecum mihi discordia est.*

Concordia discors] Declarat statim, quomodo intelligat huius modi concordiam, quam etiam male tutam esse innuit: appellat autem concordiam discordem exemplo Horatij. & Ouidij, qui tamen de elemẽtorum, & mundi constitutione loquuntur.

Maiorum inflammat imago] De imaginibus veterum Romanorum, quas in atrijs dispositas haberent, quasque in funeribus magnorum virorum præferrent, res non est obscura, eiusque crebra mentio extat apud diuersos scriptores.

Potiusque Arabas se vertat in hostes] Auersio ominis in hostes more antiquorum, sic infra: *& tamen istum Terrorem Deus infidos auertat in Afros.* Virgilius. *Dij meliora pijs, erroremque hostibus illum.* Horatius. *Hostium vxores, puerique cæcos Sentiant motus orientis Hædi, & Aequoris nigri fremitum, & trementes Verbere ripas.* sexcenta huiusmodi exempla passim apud diuersos tum Poetas, tum Oratores reperire licet: si quis curam quærendi suscipere velit.

48 *Rediture parcere vitæ*] Hoc dicitur propter resurrectionem, quam vocant.

Vult Deus hoc fieri bellum] Hanc vocem ab vniuerso consessu Christianorum statim atque summus Pontifex perorasset, auditam, eamque pro tessera militari acceptam fuisse refert Robertus Monachus: quod etiam hic noster inferius innuit.

Quin ipsæ etiam] Respicit id, quod in Isthimiorum consessu accidisse narrat Plutarchus; cum T. Quinctij Flaminini iussu præco pronunciasset, Græcis vrbibus à Romanis libertatem restitui, simile quippiam idem auctor prodit in vita Pompei rationibus vtroque loco redditis illius rei, curque id euenire interdum soleat patefacto.

49 *Latum quos tonsus in orbem*] Rasum in orbem verticem gerunt sacerdotes, vocantque Clerica à verbo κείρεσθαι, vt puto, quod est tonderi: mos ductus est à Nazaræis, qui caput nouaculæ subijciebant, crinesque consecratos igne adolendos præbebant, vt est in sacris Biblijs libro, qui inscribitur Numeri. cap. 6.

50 *Addemarus Biturix*] Addemarus Aniciensium, Gulielmus Arausiensium Episcopi, de quibus Paulus Aemilius lib. 4.

51 *Seruata lege*] Quia alioquin Sacerdotibus arma exercere nõ licet; rogat igitur Pontificem, vt eos lege soluat.

52 *Vos explete meam*] Legatos Pontificios eos constituit Vrbanus.

Hugon] Hic fuit frater Philippi Gallorum Regis: Robertus

Monachus, Paulus Aemilius, Antonius Bonfinius, Blondus Flauius, cæteri.

53 *Princeps Goffredus agebat*] De Goffredo sic loquitur Paulus Aemilius. *Omnium oculos in se conuertit Gotthofredus Eustachij Bononiæ Belgicæ Comitis filius Lotaringiæ Dux, hæres institutus ab auunculo Gotthefredo Duce Gotthelloms Ducis filio à dehonestamento corporis cognomine Gibbero;* vide reliqua apud eundem.

54 *Vtero modo terra cadentum*] Religionis causa infantes illico ex matris vtero egressos solo, hoc est altrici humo imponebantur, statimque tollebantur: fuit hic mos veterum Romanorum, cuius crebra mentio apud poetas. Terentius. *Quicquid peperisset, decreuerunt tollere.*

55 *Interea capiti*] Est etiam adhuc solemne, vt summi Pontifices capitis tegmen consecratum magnis quibusdam Principibus interdum dono mittant: hoc autem in Goffredo augurium fuit regni, quod deinde adeptus fuit, atque hoc argumento agnouit Vgon ei à Pontifice Maximo belli summam fuisse demandatam, nam inferius dicet de Goffredo loquens. *quem summa pij prudentia primum Pontificis rerum summæ præfecit euntem In bellum capiti imposuit cum tegmen, & ense Ipse suis manibus Goffredum accinxit acuto.*

Tectosagos inter] Raimundum Tolosatiũ Comitem intelligit.

Vbi sæpe latentes] Sumptum ex historia, quam tradit Strabo; hoc idem vsu venire in Paphlagonia quibusdam in locis idem auctor ex Eudoxo refert lib. 12. consule prætereà Plinium lib. 9. c. 57. & Marcũ Antonium Muretum Var. lect. lib. 12. c. 7.

56 *Insequitur Stephanus*] Blesensium, & Carnutum Comes.

Inducto ex adamante] Ex chalibe durissimo instar adamantis, Horat. *Quis Martem tunica tectum adamantina Digne scripserit?* ita exponit hanc vocem interpres Hesiodi, & Apollonij, Isacius quoque Tzetzes in Commentariis ad Lycophronem idem notat.

E quibus vt primum libuit] Produnt hoc Plinius, Plutarchus in Commentario de Solertia animalium, & Aelianus; conuenit autem maxime hæc pictura moribus Sthephani, cuiusmodi eos statim descripsit poeta: idem insigne tradit Plutarchus Vlyssem in scuto gestasse aliâ tamen de causa.

Duo fulmina belli Roberti] Alter Normanniæ Dux Gulielmi Anglorum Regis filius; alter Flãdriæ Comes. appellat autem eos *duo fulmina belli* Virgilij exemplo.

Ex se quod prodit] Respicit illud Ouidij; *Nam genus, & proauos, & quæ non fecimus ipsi, Vix ea nostra puto.*

Aequabat

Aequabat celeri] Hanc laudem tribuit Homerus Achilli.

Corpore pernix] Non est repetitio, sed hic *pernix* valet perseuerans, quomodo apud Maronem. *Et inter Dura iacet pernix instrato saxa cubili.*

Comes irruit Eudon] Fuit Eudon Dux Aquitaniæ, qui interfuit prælio, quod Carolus Martellus in Gallia gessit aduersus Abdemarum Sarracenorum Regem, in quo ad tercenta septuaginta quinque millia Barbarorum cæsa fuisse narratur. pete historiam ex Paulo Aemilio.

Arpinus Biturix] Arpinus Comes Biturigum, qui eam vrbem Philippo Gallorum Regi vendidit sexaginta millibus aureorum, vt in Hierosolymitanam expeditionem proficisceretur, quod statim dicet, ibi. *Prædia nec mea me mutare, vrbemque pigebit:* & reliqua.

Sithonia conceptum aura] Varro de Re rustica lib. 2. ita inquit. *In foetura res incredibilis est in Hispania, sed est vera, quod in Lusitania ad Oceanum in ea regione, vbi est oppidum Olisyppo monte Tago, quædam è vento certo tempore concipiunt equæ*, & reliqua. idem Plinius tradit non vno in loco.

Et frenos mandens] Indicium generosi equi. Virg. de equo Didonis. *Stat sonipes, & frena ferox spumantia mandit.*

Capeti nunquam] Vgonem Capetum intelligit, qui Lodouico Lotarij filio defuncto Galliæ Regnum inuasit Carolo Lotaringiæ Duce ad Laudunum iusto prælio superato, is autem Carolus Regnum ad se iure pertinere contendebat. Paulus Aemilius lib. 3.

Quos Belga pater] Petrus Ambianensis cognomento Eremita: cur autem hunc æquo audaciorem vocet, euentus infra expressus declarabit, & est videre apud Paulum Aemilium, Blondum Flauium, Antonium Bonfinium, cæteros.

Parte alia mixti] Ex Apollonij Argonauticorum libro primo.

Et Ver ipsa tuum] Pulcherrima sanè metaphora & quam vehementer probat Aristoteles in Rhetoricis eam Pericli tribuens: quippiam simile reperias apud Herodotum in ore Gelonis Syracusarum Regis positum: locus est in Polymnia.

Tristi discedere voce queruntur] Hoc poeticè interseritur ad augendum πάθος, nam alioquin est præter fidem historiæ. Paulus Aemilius inquit. *Mulieres neque viros, neque liberos, vt assolet, lachrymis, amplexibusque circumfusæ morabantur.*

Morienti lumina claudes] Ex antiquorum consuetudine. Ouidius. *Ille meos oculos comprimat, ille tuos.*

SCHOLIA
IN LIB. TERTIVM
Syriados.

Pagina LXVI.

ET *Latij bustum lachrymabile Cannæ*] Nobile, ac memorabile illud prælium à Romanis cum Annibabile ad Cannas infeliciter admodum commissum notius omnino est, quam vt de eo pluribus agere oporteat: in eo quadraginta millia peditum, duo millia septingenti equitus, & tanta prope ciuium, sociorumque pars cæsi dicuntur, historia extat apud Liuium lib. 22. & Plutarchum in vita Annibalis.

Venatrix Celia] De Netio, Cannusio, Celia, & alijs oppidis illius tractus cõsule Strabonem lib. 6. & ex nostris Fratrem Leandrum Albertium: *Ciliciȷ croci prima est nobilitas* inquit Plinius; de eo plura reperias apud Strabonem lib. 14.

Quæ ductorem Lybicum] Annibalem ipsum Carthaginiẽsem; qui in vrbe Salapia cuiusdam puellæ amore captus dicitur, vt est apud Plutarchum.

Rex Daunius] Boemundus Iapygiæ regulus.

68 *Euganeas*] Venetum, qui Alexio Græcorum Imperatori auxilium ferebant, vt diximus ad librum primum: refert Sabellicus, Collenuecius, Brutus, alij.

69 *Vni tibi Rex inuicte, videndum*] Imitatio Virgiliana; *Tuus ò Regina quid optes, Explorare labor, mihi iussa capessere fas est*.

70 *Curate aliquo*] Hæc religio, & vera pietas erga Deum Opt. Max. perpetuo in his libris custoditur; qui Christianos Principes turpibus amoribus irretitos fecerunt, nec veritatem historiæ retinuerunt, nec boni poetæ munere functi sunt, prauos enim mores in suis poematibus introduxerunt, quod fieri vetat Aristoteles.

Pro-

71 *Protinus actam*] Agendam, vel quæ agitur, vel *aptam* hoc est instructam: illud verius, nam nullum vitium in scriptura: quod autem sequitur, *velisque, & remis*, dictum est ob celeritatem discedendi prouerbiali figura.

Postremo transacti] Ordo est, postremo expleta est ieiuna cupido transacti diei, expleta inquam est mensis passim perpetuis.

72 *Certatimque graues*] Aliquot exercitia militaria enumerat, de quibus plura reperias apud Vegetium.

Vrius interea] Οὔριξ ventus secundus dicitur, οὔριος secundus, vnde nauclero nomen factum: tecte autem allusum est ad Andream Aurium Ianuensem, cuius virtus in re nautica maxime enituit.

Ostia Drilonis] Drilon Dalmatiæ flumen; Lissus eiusdem prouinciæ oppidum Ptolemæo, & Plinio.

73 *Taulania cursu Littora*] Vbi Dyrrachium ipsum situm est: dicitur autem cursus etiam de nauigatione. Virgilius: *huc cursus fuit*.

Vgontem] Refert Robertus Monachus lib. 2. neque nō item apud Paulum Aemilium plura huc pertinentia reperias.

74 *Sceleris facies*] Rectè crimen extenuat, dum faciem sceleris, non simpliciter scelus vocat, atq; ita sensim rem imminuit, quo facilius Boemundum ab incœpto reuocet.

Fas erit Odrysium] Alexium Constantinopolis Imperatorem, ab Odrysa Thraciæ vrbe, vel ab Odrysa regione, in qua ea vrbs sita est; porrò Alexis opera Vgo, atque alij in custodia tenebantur.

Et longe scelerato à littore classis] Hac de re sic legimus apud Paulum Aemilium. *Igitur ne cæterorum exemplo copias diuisas duceret, continenti nauigatione, id quod Græcus minime expectasset, Corinthium sinum inuectus per Aetoliam, Thessaliam, continentemque illi Macedoniam, antequam à Cæsare copiæ contra venirent, iter fecit*; & reliqua.

Mox execratus acerbam Cassiopem] Ob Roberti patris interitum, qui ad Cassiopolim Corcyræ promontorium post alteram aduersus Alexium naualem pugnam ad Sessonam insulam prosperrimo successu commissam febri acuta correptus ex hac vita migrauit, anno partæ salutis 1082. Collenucius, Brutus lib. 2. de Instauratione Italiæ, cuius fragmentum circumfertur inter epistolas Clarorum virorum, quas Lugduni Gryphius publicauit, vt etiam superius admonui.

Bimarem cursu defertur in Isthmum]. Quoniā duobus finibus in-

tercipitur; Corinthus, quæ vrbs in ipſo Iſthmo ſita eſt, bimaris etiam appellatur ab Horatio.

76 *Tuſcorum antiqua*] A gente Medicea, quæ Florentiæ ſemper nobiliſſima habita fuit, & nunc Tuſcis latè dominatur Sereniſſimo Ferdinãdo Medices Imperij habenas iuſtiſſime moderante. de nomine Medix videndus eſt Feſtus; qui hunc Ennij verſum citat. *Trimus ibi capitur Medix, occiditur alter.*

Scythicis in finibus ortus] Gottos, Vnnos, Erulos, Vandalos, Longobardos, Turingos, Normannos, huiuſque generis barbaras nationes intelligit, quæ Italiam ſubegerunt, diuque in ea regnarunt: conſule Paulum Diaconum, Blondum, & Sigonium in libris de Regno Italiæ.

Fæſula colle] Cui ſubijcitur Florentia in planicie ad ripas Arni: de Fæſula conſule Ioannem Annium Viterbienſem, & Vincentium Borghinium.

77 *Ac niſi ſpem afferret*] Narrat hæc copioſius Pandolphus Collenucius.

Medium differre ſecuri] Dicitur hoc in contemptum artis magicæ.

78 *Et ſerus redijt*] Omnium poſtremus, ordinem igitur reſpexit, non tempus.

Candida circumdat] Quæ fuit corona antiquorum regum, & ſic regis a ſe occiſi pictum caput in clypeo geſtauit.

Ille Diochryſio] Michaeli nimirum Græcorum Imperatori, cui cognomen fuit Parapinacio, quod eo adminiſtrante imperium, in magna populorum inopia, & fame, caritas annonæ ſumma, diuturnaque fuiſſet, Zonaras.

Et nunc ni grauior] Imitatur Virgilium lib. octauo.

79 *Et regi centum*] Et hoc itidem eſt ex Virgilio.

Strato intectos] Ephippio ferrato: lorica hic ſumitur pro lamina ferrea.

80 *Fors inopina fauet*] Declarat quid ſit Fortuna, cœli nimirum occulta voluntas; per cœlum autem Deum ipſum intelligit nota figura; & ſic recedit à gentilitate, quod omnes Chriſtiani ſcriptores facere deberent.

Qua via Threiciam] Conſtantinopolim Thraciæ caput.

Incedunt armatæ acies] Vt in locis non ita tutis; hoc enim facere ſolent prudentes Duces.

Iniuſto ſub faſce] Ex Virgilio, qui dixerit. *Non ſecus ac patrijs acer Romanus in armis Iniuſto ſub faſce viam cum carpit*; quod non vno modo exponunt interpretes; ſed non libet in his minutijs

gram-

grammaticorũ diutius immorari, neque hoc mihi propositũ est.

Oncheste tuos] Apostrophe. sic Virgilius; *Taurum Neptuno, taurum tibi pulcher Apollo*. est autem Onchestus Boecotiæ vrbs non procul à lacu Copaide, quem modo intelligit poeta, vide Strabonem lib. 9.

Sperchiumque amnem] Is est fluuius Thessaliæ e Thymphresto Dryopico nascens, & in sinum Maliacum influens; illic nutritum fuisse Achillem à Chirone centauro memorant, quod nunc innuit poeta.

Celsi mirantur Olympi] Thessaliæ montem editissimum vsque eò, vt nubes penetrare, cœlumque ipsum attingere credatur, vnde montes omnes altiores Olympi dicuntur à poetis.

81 *Emathiæque Itala*] Ob pugnam inter Cæsarem, & Pompeium in eis commissam, de qua Plutarchus in vitis illorum virorum, & Suetonius in Cæsare: Lucanus. *Bella per Emathios plusquam ciuilia campos, Iusque datum sceleri canimus*.

Axius] Cur Axius Mygdonius nuncupetur sciri potest ex Plinio his verbis. *Mox in ora Ichnæ fluuius Axius, ad hunc finem Dardani, Treres, Pieres, Macedoniam accolunt. ab hoc amne Pœoniæ gentes, Parorei, Heordenses, Almopij, Pelagones, Mygdones*.

Cælo æquatus Adula] Mons altissimus, in quo fontes Rheni emergunt: Strabo.

Vindelici] Populi sunt inter Aemum, & Danubium, vbi etiã Rhoeti, Norici, Pannones, Scordisci, Dalmatæ, & Mysi: consule Plinium lib. 3. cap. 20. vocat autem *securim Amazoniam*, quoniam ea à Penthesilea inuenta fuisse creditur, auctore Plinio.

Rutilis tulit inde metallis] Non auro, sed ferro, quod nunc rutilum vocat, quasi candens ab igne, quo assidue mollitur; vel posita est vna species pro alia vulgata figura: vel *rutilum*, id est expolitum propter arma, quæ ex ferro conflantur.

Saus hinc, vnda Draus] Hæc flumina adhuc nomina retinent, dicuntur.n. la Saua, e la Draua, quæ in Danubium influunt, vtriusque meminit Plinius lib. 3. c. 25. vide præterea Antonium Bonfinium, & Ioannem Sambucum.

82 *Velitis os*] Diaconus ex Festo, *Velites, dicuntur*, inquit, *expediti milites, quasi volites, id est volantes*. adi, si libet, Isidorum lib. 9. *Os* autem *velitis*, quia corpore esset macro, non pingui & obæso.

Sperandam] Timẽdam. Virgilius. *Tantum potui sperare dolorem*.

Dux Leucorum] Goffredus, & ita sæpe eum vocat poeta à Leucis populis, quibus is imperabat.

83 *Sibi regna*] Hi ad bellum Hierosolymitanum suscipiendum

non sincera in Deum pietate adducebantur, sed auaritia, & regnandi studio, itaque merita eos pœna deinde consequitur.

Magnos promittere montes] Prouerbialiter dictum: montes aureos polliceri. consule Paroemiographum.

84 *Neomagum*] Allusio ad nomen Neomagi per antithesim; de quo oppido vide si licet, Munsterum, qui preterea de Mocontio, & Bonna plura narrat in illis suis libris inscriptis, Cosmographia vniuersalis.

Qui ponere capto] Enumerat aliquot boni ducis munera, quomodo etiam Tibullus ad Messalam, ibi. *Nam te non alius belli tenet aptius artes, Quà deceat totam castris prǽducere fossam, Qualiter aduersos hosti defigere neruos, Quemue locum ducto melius sit claudere vallo:* & reliqua in hanc sententiam.

85 *Talia desierat fari*] Odechalchius videlicet, non ipse veles.

Belga pater] Apostrophe ad Petrũ Eremitam, qui maiori animi ardore, quam prudentia non exiguam militum manum secum ducens iter arripuerat. Robertus Monachus, Paulus Aemilius, reliqui.

Multi etiam Egerio] Vt vniuersa hæc historia de Egerio, & Petro Ambianensi melius percipiatur, visum est hic appingere Pauli Aemilij verba, quæ legũtur lib. 4. de Rebus gestis Francorum. *Valterius, cuius genus, cognomenque verum incertum, tantùm quod procerum illorum solus dominatu careret, & solum suum nullum haberet, Egerius vocitatus, quatuordecim millia hominum moræ impatientium per Germaniam, Vngariam, Bulgariam, Thraciam, Daciam duxit, varijs casibus agitatus, & impotentia, contumaciaque suorum, & ferocia eorum, quorum per fines transibat: errans tandem Constantinopolim peruenit, dimidia ferè suorum parte desiderata. Ambianensis quoque aliquanto maiore subsequutus manu, nihilo felicior, continere suos nec ipse potuit, quin tanquam in hostico sæuirent, qua indignatione earum terrarum cultores moti, nostrorum cædem facere, vt quisque à signis dilabebatur: præterea ad duo millia plaustrorum, & magna vis sacræ pecuniæ amissa: reliqui ægrè Constantinopolim ad Valterium euasere:* hæc ille; sed & paulo ante de eodem Petro Ambianensi ita locutus fuerat: *Ambianensis Eremita, qui rem militarem puer attigißet, non perdidicißet, maiori animo, quam consilio e vestigio arma capere, se sequi iubebat, circumibat ciuitates: ei se quamplurima mortalium conglobabant: iuuentus præsto aderat, seniores pecuniam illi vltro conferebant, vt egens miles in itinere ea iuuaretur:* hæc mirificè conferunt ad Angelij locum, qui in manibus nunc est, planius, atque expressius intelligendum: restat, vt de Egerij nomine aliquid

quid dicamus; id adeo Liuij verbis absolnemus, quæ ita haben lib. 1. *Aruns prior, quam pater, moritur vxore grauida relicta, nec diu manet superstes filio pater; qui cum ignorans nurum ventrem ferre, immemor in testando nepotis decessit, & puero post aui mortem in nullam sortem bonorum nato, ab inopia Egerio inditum nomen.*

86 *Summis munitam mœnibus vrbem*] Res tota pluribus exponitur euidentia quadam.

87 *Quem Curta emisit ab vrbe*] Vrbs hæc ad Danubij ripas sita est, fermè vbi nunc Strigonium visitur, aut potius Buda. Franciscus Irenicus; Abrahamus Ortelius.

88 *Et impia mittat*] Morientium voces irritæ esse non consueuerunt, sed certos exitus portendere creduntur, veluti obseruare licet apud Homerum, & Virgilium: hic Odechalchius seruitutem Pannoniæ vaticinatur, quæ nunc Turcarum Imperio ex maiori parte subiecta est.

89 *Calapique, Saoque relictis*] Pannoniç flumen est Calapis in Saum influens iuxta Sisciam. Plinius. de Sao diximus superius.

90 *Solatia blanda laboris*] Ipsas vxores, & filios, quorum plurimi patres, & viros in expeditionem sequuti sunt. Gulielmus Archiepiscopus Tyri, Robertus Monachus, Leonardus Aretinus, & Paulus Aemilius auctores.

91 *Hyblæo vel melle fluebat*] Tale quippiam narrat Homerus de Nestore loquens.

Aulercæ pubis] Aulerci plures, vt docet Raymundus Marlianus; omnes tamen in Gallia.

Mandata tyranno] Regi Colomanno; cæterum *tyranni* vocem pro ipso Rege vsurpauit etiam Virgilius. *Pars mihi pacis erit dextram tetigisse tyranni*. Antonius Bonfinius Rerum Vngaricarum lib. 5. Decad. 2.

SCHOLIA
IN LIB. QVARTVM
Syriados.

Pagina XCV.

COMMVNEM orate parentem] Hoc consulto additur, vt etiam Turcarum salutem ei cordi esse debere innuat.

Fouet ille suos] Quisquis ille est, qui Christianorum curam gerit.

Ritusque nefandos Abijciant] Hæc nimirum causa est, cur Christus patiatur suos Angelos Turcarum patrocinium suscipere.

Vacuique sedilia cœli] Pro *vacua sedilia cœli* ob Angelos præcipites vnà cum Lucifero quondam eiectos, quorum sedes repleri oportere tradunt.

96 *Potis exercere*] Hoc consilio Scipio suadebat Carthaginem excindi non debere, atque iccirco etiam prauos à Christo tolerari scribit alicubi Diuus Augustinus: quòd paulo post docet hic noster apertius, ibi. *His nanque exercere bonos, punire nocentes, Atque augere soles præmi spes inde futuri.*

99 *Submittere mollia pergant*] Pro *molli*, vt referatur ad *iugum* ob illud; *Iugum meum suaue, & onus leue.*

Nec frustra decreta cadent] Siquidem ipse Deus ore suo ita locutus est. *Cœlum, & terra transibunt, verba mea non transibunt.*

Ne quærite causas] Quas nimirum Deus ipse nouit, cæteros omnes cælauit, eisdemque, cum opus est, aperit: sumptum ex Euangelio. *Nolite quærere tempora, & momenta.*

100 *Nutu tremefecit Olympum*] Ex Homero, & Virgilio.

Amantum] Amantes populi sunt Macedoniæ, aut certè Macedoniæ contermini in Pannonia inferiori, quam vocant; Ptolomæus, & Plinius. hos Abantes nuncupare videtur Homerus.

Amanthes

Amanthes deinde sunt in Africa Troglodicis proximi.

Colomannus habet] Colit, habitat, vt alibi diximus: notat Seruius: cæterum Almus, & Colomannus Geysæ filij fuerunt fratris Ladislai Pannoniæ Regis, quorum Almus tametsi minor natu à patruo hæres institutus fuit, *is bona simplicitate ductus* (inquit Bonfinius Rerum Vngaricarum lib. 4. decadis sec.) *Colomanno è Polonia redeunti regno cessit, ne primogenituræ fratrem iure defraudare videretur*, reliqua de hoc eodem Colomanno fusè prosequitur idem auctor lib. 5. eiusdem Decad. vbi etiam ipsius infelicem obitum refert: ea illic inspici velim, nam breuitatis causa consulto à me prætermittuntur.

101 *Omnibus officijs*] Quod deinde malo suo doctus præstitit Colomannus, vt refert idem Bonfinius.

102 *Et belli auspicio Regis*] Quod Ladislaus fuerat pollicitus, *ad quem ad Bodrogum oppidum Paschalia festa celebrantem ex Gallia, Hispania, & Britannia legati venerunt: quin etiam Gulielmum Gallorum regis fratrem peculiares quosdam oratores misisse Pannonici referunt annales; qui præ cæteris Regem instantissime orabant, vt cum Pontificia auctoritate, ac populi Christiani iussu, pro asserendo à Saracenorum potestate Saluatoris nostri sepulchro hanc susceperint expeditionem, delegatam sacrosancti exercitus præfecturam, & gubernationem libenter acciperet, neque sacratum legionum recusaret imperium, quæ inexpiabiles infidelitatis iniurias essent vltura. Rex pluribus se exorari non permisit.* ex Bonfinio.

Quem nunc præpropere] Is vero decessit anno salutis nonagesimo quinto supra millesimum, tertio Calendas Augustas, anno regni sui vndeuiceno. Bonfinius.

103 *Si vestrum Imperium*] Excusatio facti à iusta causa.

Patrui promissa] Ladislai, vt superius monui.

104 *Noarum quondam*] Iubeo te, lector studiosè, cõsulere præter cæteros Dominicum Nigrum in Commentarijs Geographicis, & Stephanum Broderith in Descriptione cladis acceptæ in campo Mohacz.

Brenno duce] De hoc quippiam superius adnotauimus; plura hic non est opus, neque enim verbosos Commentarios adornamus, sed scholia potius quædam breuissima conficimus, vt lucem aliquam huic poemati, qua parte ob historiæ, aut alterius rei obscuritatem lectoris cursum remorari posset, inferamus: cæterum huius loci imitatio sumpta est ab Horatio, qui dixit. *Nil desperandum Teucro duce, & auspice Teucro.*

Tauristasque] Tradit hoc Strabo lib. 7. vbi hos tres populos genere

genere Gallos esse disertis, ac vberibus verbis præcisè affirmat.

105 *Et dapibus mensæ*] Quod deinde abunde repræsentauit, vt, in reliquis, docet Bonfinius.

Quas gens perpetuis] Harum pellium meminit etiam hic noster in libris de Venatione: vide etiam si licet, ac fas est, Conradum Gesnerum, qui de Animalibus scripsisse dicitur.

Cuius pars vna frementem] Sceptra Regum Aegyptiorum, ita conficiebantur, vt eis in parte summa ciconia præfigeretur ex ære, vel ex auro, aut qualibet alia preciosa materia efficta, inferne vero vngula hippopotami, aut ipse etiã hippopotamus, quo symbolo innuebant veteres impietati præferẽdam esse pietatem, auctor, præter cæteros, Aristophanis interpres in Auibus; consule etiam Pierium Valerianum in ijs libris, quibus sacras Aegyptiorum notas persequitur; porrò de ciconia, & hippopotamo plura inuenias apud Plinium, & Aelianum ex veteribus, vt alios omittam; ex recentioribus, penes Conradum Gesnerum in libris de Animalibus.

106 *Anticpen agitasse ferunt*] Quam hic Orithiam quorundam sententiam secutus nominat poeta, Iustinus Otretam appellat; fuerunt hæ Reginæ Amazonum, quæ Imperium in Asia iuxta Thermodoonta Cappadociæ flumen obtinuerunt, eæ ne successibus deesset auctoritas, generatas se Marte prædicabant: plura de Amazonibus tradit Diodorus, & Iustinus lib. 2.

107 *Præstringuntque oculo spectantum*] Sic etiã Pyrgopolynices apud Plautum; *Curate vt splendor meo sit clypeo clarior, Quam solis radij esse olim, cum sudum est, solent; Vt vbi vsus veniat contra conferta manu Oculorum præstinguat aciem in acie hostibus.*

Cornua cui surgunt] Sumpsit hanc descriptionem ex Dãte Aligerio poetã Florentino, qui suum illud diuinum poema tribus actibus distinctum materna lingua conscripsit: in eo porrò Lucifer omnibus fermè his notis graphice describitur; est autem Lucifer dæmonum antesignanus, & quasi Imperator quidam, vt docent sacræ literæ.

108 *Ammerice*] Regio noui orbis sic dicta ab Ammerico Vespucio Florentino præclarissimo nauta, cuius opera ille tractus veteribus incognitus primùm innotuit; extant adhuc ipsius Vespucij Commentarij de illa sua nauigatione,

Et nobis aduersa premunt] Sunt fermè nobis antipodes, quod veteribus quibusdam persuaderi non potuit; veluti, inter cæteros, D. Augustino, & Lactantio Firmiano; in quo tamen falsi fuerunt; vide Ioannem Tzetzem.

Imperij

109 *Imperij quondam assertrix Germania*] Leo tertius Pont. Max. Occidentis imperium ab imperio Orientis primum disiunxit, illudque Carolo Magno Francorum Regi dono cócessit ob eius in Sacrosanctam Romanam Ecclesiam pietatem, inque summos ipsius Pontifices beneficia: plura, quæ huc faciunt, collecta reperias apud Sigonium in libris de Imperio Occidentali, neque non item apud Robertum Bellarmiinium in illo suo Commentario, qui inscribitur de Translatione Imperij Romani à Græcis ad Francos aduersus Matthiam Flaccium Illyricum: inde petat, si quis plura de hac re nosse cupit.

Nonne eadem Siculis] Non est consilium historias omnes fusius recensere, neque.n. verbosos commentarios, sed breuissima scholia concinnamus; adeat igitur lector Blondum Flauium, & Pandolphum Collenucium.

Ligeris prope fluminis] Cladem Abdemari notat, quam à Carolo Martello ipsum accepisse alicubi superius adnotaui. Paulus Aemilius.

Non dabitur Turcis] Imitatio Maroniana: illud *esto* concessio est cum quadam amaritudine, quæ pronunciatione exprimi debet, tota.n. pendet à gestu.

110 *Inamabile monstrum*] Per tapinosim: sic etiam Virgilius bis *inamabilem paludem* vocauit paludem ipsam Stygiam, vt quidam legunt; nam sunt, qui malint *innabilis* vtroque in loco.

Quam septem ambire feruntur] Ob septem vitia capitalia, quæ statim enumerat hac serie. Superbia, Inuidia, Luxuria, Ira, Auaritia, Gula, & Accidia. quibus duas administras addit Desperationem videlicet, & Necessitatem: est igitur pulcherrima Tartari descriptio ex sacris literis, non ex anilibus veterum figmentis ad vnguem efficta.

111 *Et semel ingressos*] Quod simpliciter de mortuis omnibus dixit Catullus. *Soles occidere, & redire possunt; Nobis cum semel occidit breuis lux, Nox est perpetua vna dormienda.* nunc verius de relegatis in Tartaro effert hic noster; vide etiam Ioan. Tzetzem Chil: 8.

Inamoena tyranni] Dictum vt illud, quod paucis versibus interiectis per tapinosim, aut miosim pronunciatum esse adnotaui. *inamabile monstrum*: sic fermè Virgil. *illaudati Busyridis aras*.

O Princeps tenebrarum] Ita enim quandoque Satanas appellatur in Sacris libris.

Sanguineque humano] Videndi sunt scriptores Rerum Indicarum, & Noui orbis, qui plures typis excusi circumferuntur.

Impius] Epithetum ociosum, cuiusmodi plura apud Homerum obseruare licet.

112 *Columnas Vellat*] Ob fabulam de Columnis Herculeis, hoc est de Calpe, & Abyla in angustijs maris mediterranei ad Oceanum.

Dirimens vada feruida] Findens, sulcans vndas maris Oceani.

Perenni aestate calentes] Ob zonam torridam, aut ob circulū librę, cui quædam prouinciæ noui orbis subijciuntur.

Breuibus disiungitur vadis] Quem nimirum limitem natans, & id quidem noctu Leander transmittere consueuit, vt est apud Musæum, & Ouidium: qua Bosphorus angustissimus est, quatuor aut quinque stadijs, vt plurimum patere traditur: angustiæ Hellespōti ad Sextum, & Abydum circiter quadrantem milliaris inuicem distant interiecto freto: vide Petras Gyllium, & Bellonium.

Reprendere fratres Aëreos] Dęmonas, qui ad tentandos mortales in aëre assiduè versantur. *Exijt qui seminat seminare semen suum, & dum seminat, aliud cecidit secus viam, & conculcatum est, & volucres cœli comederunt illud.* D. Lucas in Euangelio, cap. 8. vbi *volucres cęli* exponút Angelos aëreos, hoc est dęmonas ipsos.

115 *Nomine Alastor*] Quid valeat vox *Alastor* explicat Plutarchus in Quæstionibus Græcis, cap. 25. vide insuper Ioannem Tzetzem Chil. 12. hist. 447.

Faciem obscænā] Ad naturales corporis notas, alias etiam insuper ascititias addit, quæ hominis improbitatem manifesto designent: consule Aristotelem in libris Physiognomicis, & Ioannembapt: Portam: cæterum de hoc Thatinno métiọ extat apud omnes belli sacri scriptores; vide tamen præter cæteros Gulielmum Archiep. Tyri, cap. vltimo, lib. 2. & cap. 27. lib. 4.

117 *Triballos*] Populi sunt Mysiæ à Triballo Poeni filio Autarij nepote sic dicti, velut auctor est Appianus: nescio an ij sint, quos nunc vulgo Bulgaros vocant: consule Strabonem, & Plinium: sed & Ioann. Tzetzem adire poteris.

Arua Comontorius] Huius rei meminit Polybius lib. 4. ad quē lectorem plura scire cupientem breuitatis causa nunc relegasse sufficiat.

Titulumq;, & nomen ademit] Quod euenit anno à Christo nato 801. cum Leo Tertius Pont. Max. Carolum cognomento Magnum Occidentis Imperatorem pronunciauit: Collenucius Histor. Neapol. lib. 2. falsum tamen est, quod hic Thatinnus de Gallis inuidiæ ipsis conflandæ causa pluribus verbis affirmat;

nam Imperatoribus Orientis nomen pristinæ maiestatis minime ademptum fuit, sed illud Carolo Magno ex æquo communicatum, quod nunc in contumeliam vertit hic alter: vel ideo dictum, quoniam Græcorum Imperatores à Pontifice Maximo Regum more excipi solent; vt legimus in Cõmentario Rituum Ecclesiasticorum lib. 4. sectione 3. De conuiuio solemni Pontificis cum Cardinalibus, & Prælatis.

118 *Nuper nos depulit*] Paulo ante, cum scilicet Constantinopoli imperaret Nicephorus Botoniates deturbato Michaele Diocrysio, quem deinde Nicephorum Alexius ipse imperio deiecit: *ex illis turbis* (inquit Collenucius) *occasione sumpta Robertus Guiscardus Græcos Spinacorba, Hydrunto, atque Tarento expulit, easque vrbes, in quibus solis adhuc Græcorum reliquiæ quædam supererant, sibi subiecit.*

Nicephorus olim] Atqui historiæ veritas habet Nicephorum ab Alexio ipso, & ab Isacio fratre imperio spoliatum; hic tamen Thatinnus vafre admodum factum extenuat, eiusque culpam in alios transfert.

Sperne fidem] Sumptum ex Propertio.

119 *Aruaque Taurunum*] *Oppidum Pannoniæ, vbi Danubio miscetur Saus*, inquit Plinius: nunc Albam dicunt.

Vnde hinc Adriacas] De monte Aemo, quod pertinet ad hunc locum intelligendum, sic legimus apud Liuium lib. 40. *Cupido eum* (Philippum) *ceperat in verticem Aemi montis ascendendi, quia vulgatæ opinioni crediderat, Ponticum simul, & Adriaticum mare, & Istrum amnem; & Alpes conspici posse:* deinde haud ita multis interiectis subijcit idem auctor. *tertio demum die ad verticem peruentum: nihil vulgatæ opinioni digressi inde detraxerunt; magis, credo, ne vanitas itineris ludibrio esset, quam quod diuersa inter se maria, montesque, & amnes ex vno loco conspici potuerint.*

120 *Lenior Hebrus*] Vsque adeo placido cursu ferri dicitur hic amnis, vt in vtram partem fluat, vix dignosci possit; quare vsurpatione quapiam dictum fuit à Marone, *celeremque fuga præuertitur Hebrum:* consule Petrum Bellonium Obseruation. lib. primo, cap. 62. idque ita esse mihi olim narrauit Angelius ipse, dum iteneris sui Constãtinopolitani historiam familiari in sermone, ita vt fit inter amicos, recenseret addens insuper se in flumine illo, dum illac pertransiret, quandoque natasse.

Quo septem Bizanti arces] Constãtinopolis tipographiam nemo vmquam exactius descripsit, quam Petrus Gyllius in illo suo opere huic vni rei destinato, quod velim consuli à lectore

huius

huius vrbis ſitus cognoſcendi ſtudioſo.

Symplegades infregerunt] Has in Boſphoro Thracio flexiones quaſdam fuiſſe variorum, & multiplicium promótoriorum tradit Dionyſius Bizantius: alij inſulas quaſdam hoc nomine nuncupatas volunt, quæ & Planetæ, ſiue Cianeæ vocarentur. Ouid.

121 *Regem Auſonium*] Boemundum: de Auſonia vide Ioann. Tzetzem Chil. 5. hiſt. 16

Per quas Argiuum] Sicuti eſt apud Apollonium Rhodium lib. 2. & Catullum in carmine de Nuptijs Pelei, & Thetidis. Argonautarum res geſtæ nemini non ſunt cognitæ.

Bebrycium] De Bebrycibus populis ne te pigeat conſulere Ioann. Gulielmi Stuchij Scholia in Arriani peplum Ponti Euxini.

122 *Genibus flexis*] Πρόληψις, nam hic ritus ſalutãdæ Virginis inſtitutus fuit à D. Dominico anno ſalutis 1206. Inocentio Tertio Pont. Max. qua ratione quidam ſe poſſe tueri putant Virgilianum illud. *Eripe me his inuicte malis, aut tu mihi terram Inyce, nanque potes, portuſque require Velinos*. ſed errant: quomodo vero anticipatione, quam vocant, vti liceat, ſciri poteſt ex Velleio Paterculo haud ita longe ab initio lib. primi Hiſtor. nos etiam de hac re quippiam obiter adnotauimus in noſtris libris Locorum controuerſ.

SCHOLIA

SCHOLIA
IN LIB. QVINTVM
Syriados.

Pagina CXXIII.

ODRYSIAM *cingi custodibus vrbem*] Cōstantinopolim, quæ Thracij regni caput erat, sicut olim Odrysa vrbs, vnde populi Odrysij, nisi si e contrā nomen vrbi ab ipsis populis factum sit. Strabo; Plinius.

124 *Maris magni*] Adnotaui olim in meis libris Locorum controuersorum Mare magnum dici, quod alio nomine Tyrrenū nuncupatur; hic pro ipso Oceano occidentali accipitur, quod verè magnum dici mæretur; sed illud antiquis non erat satis exploratum, quemadmodum auctor est Plinius lib. 2. cap. 67. itaque Tyrrenum eo pacto vocabāt comparatione maris superi.

Marmoreum impellunt æquor] Quod & simpliciter marmor quandoque appellatur Virgilio, atque alijs poetis.

Mutua regnāt] Mutuò, vicissim, adiectiuū pro aduerbio Græcorum more, quod frequentissim'um est in bonis poetis.

Littus conspergitur alga] Imminuitur sententia, cum præcesserit. *Tolluntur fluctus ad sidera*: Homerus tamen ita loquitur interdum.

Vbi diuidit Indos] Qua re India alia intra, alia extra Gangem: consule Dionysium Afrum: Strabonem, & alios.

Impia Luciferi] Historia extat apud Isaiam cap. 14. ad hāc rem vide, quæ subtiliter disputat Ioannes Viguerius in suis Institutionibus, capite de Casu Angelorum, & insequenti.

125 *Arabia in media*] Vbi arenarū grādes cumuli à ventis excitantur, quibus peregrini persæpe conteguntur ita, vt suffocentur. Bellonius.

Ruit vnde nigerrimus imber] Mediam aeris regionem designat,

in qua meteorologicæ impressiones generantur, de quibus Aristoteles: cæterùm aerem hunc, qui inter lunam, & terram interiectus est, inhabitari à Dæmonibus, quosque Semideos, Heroasque vocant, tradit Plato, nec est alienum à Christianorum sententia, veluti docet D. Augustinus lib. 8. de Ciuitate Dei. consule præterea ad hanc rem Michaelem Psellum libro, qui inscribitur de Energia Dæmonum, sed & idem Viguerius adeundus est Institutionib. ad naturalem, & Christianã Philosophiam.
126 *Illic extorres genij*] Siquidem vna pars Angelorum in media aeris regione constitit, altera in infernum detrusa fuit, vt pluribus explicant ijdem D. Augustinus, Psellus, & Viguerius.

*Quo simul aduenien*s] Simul ac, vt apud Horatium, *quo simul mearis, Nec regna vini sortiere talis*, & alibi. *simul obligasti Perfidum votis caput; enitescis Pulchrior multo*.

Cohors teterrima fratris] Quo maior est improbitas eorum, qui improbi haberi volunt, eo maiore laude se dignos putant, quare non verentur ipsi tales se appellare, & si ab aliis ita nuncupentur, non modo non ægre ferunt, sed honorificentissimè secum agi existimant. Cornelius Tacitus egregium huius impudentiæ specimen nobis exhibet in Messallina Claudij vxore addita gnome, *infamiæ apud prodigos nouissima volupta est*. Sic etiam Seneca; *Nolunt solita peccare quibus peccandi præmium infamia est*.
127 *Qui falsa diu*] Neque enim mali dæmones non norunt, qui sit verus cultus, sed odio, atque inuidentia ab eo mortales quacunque tandem ratione possunt, auertere student.

Spatiumque propaget] Nam sciunt mali dæmones quandoque futurum, vt vnum fiat ouile, & vnus pastor; adhuc enim conseruant naturalia dona gratuitis, quæ vocant, tantummodo amissis, vt docent sacri Theologi. consule diuum Thomam, & quem paulo ante nominaui, Ioannem Viguerium.

Depellunt ipsi] Alijs enim ritibus Græca, aliis Latina Ecclesia addicta est, tametsi vtraq; Catholica censeatur, loquor nunc de ritibus tantum, nam de processione Sancti Spiritus, de Purgatorio, de Primatu Romani Pont. minimè quidem catholicè Græci ipsi sentiunt, ac loquuntur; Iidem tamen verum Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ cultum demum complexi sunt in Cõcilio Florentiæ celebrato Eugenio Quarto Summo Pont. anno à Christi Iesu natiuitate 1439. sed paulo post ad propriam hæresim reuerterunt, cuius impietatis pœnas nunc merito luunt.
128 *At Morpheus*] Mali genii nomen sumptum ex ethnicorũ fabulis, nam Morpheus somni administer esse perhibetur, qui

in quas-

in quascunque velit formas, se conuertat, mores, verba, gestusque illius, quem representandum susceperit adamussim effingens. Ouidius Metam, 11.

Odrysij] Alexii Imperatoris Græcorum, quem inferius Threicium regem appellabit.

Qui tum custos populique, patrumque] Fuit hic Patriarcha Constantinopolitanus, ab Imperatore ad eam dignitatem euectus, cum tamen neque eruditus, neque rebus gerendis valde appositus haberetur; tradit Zonaras, qui insuper addit ipsum eunuchum fuisse.

Et totam somno] Ex Homero, cuius, quemadmodum & Virgilij, incredibilem imitatorem se esse profitetur hic noster, quod sane verum est, sed non libet vtrorumque locos inuicem cōferre, neque hoc mihi propositum fuit, cum initio huic scriptioni manum admoui.

129 *Cinctum custode teneri*] Vbi, & à quo is vnà cum pluribus alijs captus fuerit, vidimus superius.

Latronum capita] Ingentis iniuriæ loco ducitur apud Gallos, si quis latro vocetur, quod ipsi suo more dicūt laron: huc modo respicit Alexius.

Occidu's qui nuper ab oris] Quod statim initio huius poematis Hesperijs dixerat poeta: *Hesperias acies*, idest occidentales, velut ibi exposuimus.

132 *Cui Thracia nomen*] Huius portæ meminit Dio; iuxta eam septem turres olim fuerunt, quæ Thraciæ dicerentur, harum si quis in primam vocem immisisset, aut lapidem proiecisset, ipsa similem vocem referebat quadam machinatione, & secundæ dabat repetendam, itaque per omnes vox procedebat, neq; alia aliam turbabat, sed singulæ vocem explicatam excipiebant. vide Petrum Gyllium de Tipographia Constantinopoleos. lib. 1. c. 20.

134 *Nec nostris nimium notus Boemundus*] Ob plura bella ab eo prosperrime cum Græcis gesta, vt superius dictum est.

Tancredus] Boemundi nepos ex fratre Rogerio.

Communemque hostem] Turcas, & Arabas.

Vix illam Thracius arcet] Nam vniuersam ferè Asiā, quæ Græcorū Imperatori parere olim sueuerat, sui iuris fecerant Turcæ.

Immittet se se] Quod deinde euenit anno partæ salutis 1453. 4. Kal. Iunias Cōstantino Palæologo Imperii habenas moderāte.

135 *Quos candida circum*] Huius coloris amictum thoracibus superinducunt milites, vt in tenebris facilius se ipsos agnoscāt, quod hic dicitur. *retegens humeros candore niuali*; veteres noctu

hoſtes aggreſſuri arma, & veſtimenta gypſo illinebant: Herodotus, & Pauſanias.

Strauit ſub pellibus] Sub tentorijs ex pelle conſutis; vnde ſupellectili nomen factum; ſicut docet Labeo.

136 *Qua data porta ruunt*] Ex Virgilio.

Tacitæ per amica ſilentia Lunæ] Et hoc etiã eſt ex Virgilio; quæ vero dicantur ſilentia tacitæ Lunæ apud Maronem pluribus explicat Angelus Politianus; ſed hic ſimpliciter intelligẽdum eſt.

137 *Et acer Appulus*] Boemundus; quem Iapygium, & Daunium quandoque vocat.

Duo fulmina belli] Ita etiam eoſdem ſuperius appellauit Virgilium imitatus.

Euertere fraude phalanges] De quo ſic dixerat lib. 2. *Inde animis, opibuſque ingens, & prouidus aſtu Ingenij, manibus promptus, facundus & ore Inſequitur Stephanus nulli virtute ſecundus, Si ſit opus tacitas hoſti componere fraudes, Occultoſque dolos celeri præuertere curſu, Inſtantemque fuga ſocijs auertere cladem.*

Nec non Tectoſagum] Iubeo te, quiſquis es, adire Marliani Indicem alphabeticum in *Tectoſages*.

Claræ cui gloria vitæ] Conſtructio aliquantulum perturbata, quam ſic delico; *cui dulcis gloria erat tantum inſtar claræ vitæ, ſicut dedecus erat eidem inſtar acerbæ mortis.*

Vmbrorum populi] Gens Vrſinia Romæ nobiliſſima, ac primaria multa in vmbria oppida olim obtinuit; recte autem hic Vrſanium Medici adiungit poeta; quoniam arctiſſimo familiaritatis, ac neceſſitudinis vinculo eæ familiæ inter ſe aſtrictæ ſunt.

138 *Lætum iubar*] Lucifer, quod ſcilicet iubar lucis effundat, vnde etiam quicquid ſplendet, iubar dicitur, vt iubar argenti, gemmarum: eſt autem Lucifer interdum Iouis, plerunque Veneris ſtella, vnde Veneris dicta eſt, vt à Virgilio. *Quem Venus ante alios aſtrorum diligit ignes.* Seruius ad illud. *It portis iubare exorto delecta iuuentus.* vide præterea Iſidorum lib. 3. Originum.

Iouis ignis] Iouis ſtella, quæ ſplendidiſſima eſt.

Arabias gentes] Arabius enim, & Arabicus adiectiue ab Arabia enunciamus.

Euxini fauces tranſmittere Ponti] De Ponto Euxino diligenter ſcripſit Arrianus, quem conſulas velim.

139 *Tuti propellimus hoſtes*] Per hoc tuti, ideo tuti, ſi hoſtes propellamus; de hac loquendi formula nonnihil ſuperius attigimus; ea ſæpiſſime vtitur Horatius.

Comnenius] Alexius ex familia Comnenorum.

Medios

Medios longis anfractibus agros] Inter castra, & vrbē porrectos.

Splendenti in cassidesortes] More militari: cum alioquin in vrnam aqua plenam conijcerentur; vt est apud Plautum, & Cicer.

Septem non longe à turribus ire] De septem turribus tetigi paulo ante, quod breuitas horum scholiorum pati visa fuit, plura inuenias apud Petrū Gylliū in Tipographia Constantinopoleos.

141 *Liuentes plumbi glandes*] Quas etiam Romani eiaculabātur. Virgilius. *pars maxima glandes Liuetis plumbi spargit*: quod iccirco admoneo, ne quis putet hic de tormentis illis bellicis igniuomis, quæ arcobugi vocamus, verba fieri, nam ea nondum in vsu esse ceperant, cum fuerint inuenta anno partæ salutis. 1380. quo tempore Veneti cum Ianuensibus ad Fossam Clodiam ingens illud prælium commiserunt.

Letali infecta veneno] Sagittas veneno inungi pluribus in locis tradit Plinius, sed etiam alicubi Aristoteles, ac Theophrastus, si recte memini, idem prodiderunt; nunc plerique populi noui orbis venenatis sagittis passim vtuntur.

142 *Et tecta Vocatum*] Ita hos populos designat Marlianus. *Vocates inter Aquitanos proximi Tarusatibus, Suntiatibus, Tarbellis, Bigerronibus, Garumnis, Garitibus, Cacosatibus, & Hispaniæ citeriori, in regno Francorum siti: ab his fortè Vascones dicti, hos coniectura est fuisse Vescatios*. hæc ille: qui de Tarbellis, Auscis, & Bigerronibus nonnulla commemorat, quæ apud ipsum videri poterunt, nam omnia huc conuehere longum sanè opus esset, & à meo instituto prorsus alienum.

Sicorim mutare Garumna] Sicoris fluuius est Hispaniæ Tarraconensis, oriturque inter Pyrenæos montes à Surdaonibus, & Ceritanis, Ilerdamque influit, à qua non longè ad Machinensiam oppidum Ibero miscetur: Garumna è Pyrenæis itidem montibus nascitur, Celtasque diuidens ab Aquitanis per Santonum fines in mare Oceanum excurrit. Ioannes Episcopus Gerundensis lib. 1. Paralipom. Hispaniæ; Franciscus Tarapha de Regibus Hispaniæ. Lucius Marineus de rebus Hispaniæ lib. 1. Raymundus Marlianus. Indices Galliæ populorū, vrbiū, fluuiorum, &c.

Neruius] Neruius Atrebas, & Morinus virorum nomina ab ipsis Galliæ populis ducta sunt: vide quem modo nominaui Raymundum Marlianum.

Orgetorix] Vetus nomen Gallorum, cuius crebra mentio extat apud Cæsarem in Commentarijs.

Aclidibus] *Aclides iacula breuia* inquit Nonius; plura Seruius apud Maronem; mihi non vacat omnia persequi.

Gesisque, sparisque] *Hastis virilibus*, inquit Seruius Honoratus, nam etiam viros fortes Galli gesos vocant: idem sparum telum rusticum in modum pedi recuruum interpretatur, vtriusq; meminit Virgilius, quemadmodum & aclidis, de quo modo locutus sum.

143 *Epiro in media*] Nonnihil superius à nobis adnotatum est de bellis gestis in Epiro & Græcia à Robeto Guiscardo, & Boemundo eius filio cum Alexio Imperatore Constantinopolitano.

Sagarim] A Sagari fluuio, qui Sangarius quoq; nuncupatur.

Daphnem patefecerat vrbem] De Daphne quippiam superius adnotaui ad librum primum.

144 *Tergeminos vitæ*] Tres, Horatius. ***Illum tergeminis tollere honoribus.***

Nicephoron] Botoniatem, qui Peribleptæ Monasterium ingressus est, cum ei Alexius Comnenus imperium abstulisset: Ioannes Zonaras.

Indutum varijs] Quæ vario ipsius ingenio responderent.

Bryenni] Nicephori Bryennij Dyrrachij reguli, & Ioãnis eius fratris meminit Zonaras in Michaele Duca, nec non alterius cuiusdam in Alexio, qui esset ipsius gener.

I nunc] Sarcasmos.

145 *Proiectis Dorylon armis*] Valde ignominiosum fuit apud antiquos arma abijcere, præsertim clypeum; itaq; insignis contumeliæ loco militibus obijci consueuit huiusmodi peccatum, veluti ex Aristotele præter cæteros sciri potest: ῥιψάσπιδες à Græcis appellantur, qui abiecto clypeo fugiunt e prælio, atque ita vocatus fuit Demostenes: nota est nobilis illa vox Lacedemoniæ mulieris, quæ filio in militiam proficiscenti occinuerit: ἢ σὺν τούτῳ, ἢ ἐπὶ τούτου.

Albo vectus equo] Non quod eo colore præditi equi meliores simpliciter sint alijs, nam Virgilius inquit. *Color est deterrimus albis*. sed respexit poeta ad prouerbium. Albis equis præcedere; de quo consule Paroemiographum.

147 *Atque antiqua Lygos*] Byzantium; hanc vrbem Pausanias, cum Romæ Tullus Hostilius regnaret, in Thracia ędificauit, eique Lygos nomen imposuit, quam Byzantius Rex à se Byzantiũ deinde appellauit. Diodorus. consule præterea Sebastianum Munsterum.

Veterum claro] Hanc Ioannis Cæsaris Ducæ neptem fuisse prodit Zonaras.

149 *Pars iucundissima lecti*] Tradit idem Zonaras ab Alexio Ire-

nem

tem vxorem aliquandiu non quidem spretam, sed haud valde tamen adamatam, deinde verò ita dilectam, atque eousque in honore habitam, vt is cuncta propemodum vxoris consilio administraret.

Anxius in nos] Quare ab Ouidio amorem sollicitam rem vocatum scimus.

Liburni] Germaniæ regio, Crabatem, Lazio, Contado di Zara, Vincto. Ortelius.

Nouam Byzantis ad vrbem] Fuit enim dictum Byzantium Noua Roma.

De Methymnæis] Plures cados vini Lesbij præciosissimi; est enim Methymne vrbs illius insulæ, in qua optimum vinum nascitur. Ouidius. *Gargara quot segetes, quot habet Methymna racemos.*

150 *Odrysiæ vicinæ ad limina portæ*] Quã videlicet Thraciam vocant; huius meminit Dio, & Cedrenus. consule prætereà Gyllium lib. 1. cap. 20. dixi etiam superius, si rectè memini.

152 *Threicias arces*] Constantinopolim ipsam, intra quam septem colles, quasi septem arces inclusi sunt: & alioquin in collibus arces olim construebantur: vel *arces*, idest oppida, seu quæcunque loca munita; quod magnum est securitatis indicium.

Dubijs ausi se credere mensis] Infidis, veneni suspicione non carentibus. Horatius; *vides vt pallidus omnis Cœna desurgat dubia*: dicitur etiam cœna dubia dapsilis, & copiosa; Terentius. *cœna dubia apponitur. Quid isthuc verbi est? vbi tu dubites, quid sumas potissimum*: exponit Parasitus verbum suum alioquin anceps.

Ductor] Per Turcarum ductorem Solymanum Regem Nicææ intelligit.

153 *Et superi Regem*] Vsus modo est Alexius prouerbiali sententia, quæ habet, *Iusiurandum est egregius artifex doli.*

Graiorum auram de more vocatam] Vel Græcis verbis, vel formula ipsa verborum, qua panis, & vini in Christi carnem, & sanguinem conuersio fit, nam de hac re non conuenit Græcis cũ Latinis, vt docet Claudius de Sainctes in præclaro illo suo opere, cui titulum fecit. De rebus Eucharistiæ controuersis. repetitione 7. cap. 1. ad finem. vel Græco ritu in sacrificio peragendo, cuius ritus sic meminit Diuus Gregorius epistola sexagesima tertia libri septimi ad Ioannem Episcopum Syracusanum. *Quia Alleluia dici ad misses extra Pentecostes tempora fecistis; quia Subdiaconos spoliatos procedere, quia Kyrie eleyson dici, quia orationem dominicam mox post canonem dici statuistis*: & reliqua: cõsule Antonium Monchiacenum Democharem de Obseruãda Missarum

celebratione, cap. 15. quæ pars est quartus tomus insignis illius operis, qđ inscripsit. Christianæ religionis, institutionisque Domini nostri Iesu Christi, & Apostolicæ traditionis, & cætera: Catholica, & historica propugnatio.

Nunc septem ostentans] Dixi ad librum antecedentem, sed vide Petrum Gyllium, & Sebastianum Munsterum libro quarto Cosmographiæ vniuersalis.

Nunc templum aratis] Quod sancta Sophia nuncupatur: consule, quem modo nominaui, Petrum Gyllium lib. 2. c. 3. ipsemet Angelius hanc vniuersam Cōstantinopoleos descriptionem mihi olim adeo graphice explicauit, vt in ea vrbe versari plane mihi viderer, atque hoc appositissime ille præstare potuit, tum ex lectione veterum, recentiorumque scriptorum, tum ex repetita memoria, cum is in ea vrbe plures annos fuerit commoratus.

154 *Hic steriles*] Narrat idem Gyllius lib. 4. cap. 6.

Lustrata heroibus] Argonautis: de quibus aliqua Catullus, plura Valerius Elaccus commemorat, sed in primis adeundus est Apollonius Rhodius: consule præterea Hyginum capite 14.

Hic Amycum Pollux] Euagatio poetica, siue episodium de ipsis Argonautis: vide Hyginum cap. 17.

Orbatum ad Phinea] Adi Palæpathum, & Fulgentium; quippiam etiam reperias apud Virgilium, plura apud Ouidium, ad quos lectorem reiecisse sufficiat: ex nostris adeundus est Natales Comes in libris, quibus titulum fecit *Mythologia*.

Sed gemini iuuenes] Calais nimirum, & Zetes Aquilone vento, & Orythia Ericthei filia geniti. Hyginus.

155 *Cyaneas inter cautes*] Inter Symplegadas, vt superius admonui, ad quarum etymon nunc alludit poeta. Ouid. *timuit concursibus Argo Vndarum sparsas Symplegadas elisarum, Quæ nunc immotæ perstant, ventisque resistunt.*

SCHOLIA

SCHOLIA
IN LIB. SEXTVM
Syriados.

Pagina CLVII.

C*ARDINE prorupit*] Declaratur hoc ex illo Virgilij: *Hic vertex nobis semper sublimis, at illum Sub pedibus Styx atra videt, manesque profundi.* nec non ex illo. *Præsertim si tempestas à vertice sylvis Incubuit.*

158 *Nanque ibi nullus*] Ex Homero.

Deus hoc auertat in hostes] Dixi ad librum secundum exemplis insuper allatis; quæ passim etiam extant in Græcis, Latinisque scriptoribus.

Nec pudet Arabijs] Arabibus; & hoc etiã superius adnotaui.

159 *Ille hæc Tullingo*] Goffredo Tullingorum duci; *populi sunt finitimi Heluetijs inter Celtas non longè ab Allobrogibus, eos nunc vocamus Lotharingios à Lothario eorum rege Carolomani stirpe*, inquit Marlianus.

Militia qui numquam] Superius etiam lib. 2. Vgõtem iuuenem, nec dum firmata ætate describit; militiæque imperitum. *Florensque animis iuuenilibus Vgon; Vgon syluarum latebras consuetus iniquas Quærere, & informes vrsos prosternere, aprosque Regia progenies, sed qui nec bella, nec hostes Nosset adhuc, laudisque auidus tamen vnius esset; Et nota virtute duces complexus amaret.*

Capiti imposuit] Quod ita superius lib. 2. expressum fuit. *Interea capiti tegmen cui fausta precati Rite sumus verbis solemni more peractis, Impositum subeat meriti diadematis instar*, & reliqua.

Tum Robertiades] Boemundus Roberti filius.

161 *Parere paratus*] Alliteratio exornationis causa adhibita.

Factis, & sanguine clarus] Supple tam, vt constet ratio recti sermonis.

Atque altum spirans] Hæc enim concitate, atque indignabunde di-

de dixit Boemundus, quare pronunciatione adiuuanda sunt.

In molimine] In discrimine; vel mole, vt, *Tantæ molis erat Romanam condere gentem*.

162 *Graiæ secum mendacia gentis*] Adeo mendaces habiti sunt Græci, vt de eis prouerbium increbuerit, Græcia nō nouit fidem; vtitur Euripides in Iphigenia Taurica, & Græca fide mercari est præsentem pecuniam dinumerare.

Sub vtroque iacentes Vertice] Boreali nimirum, & Australi.

Nate oculis] Cur aliquem nobis cariorem oculis esse dicere consueuerimus, docet alicubi Aristoteles: certe poetæ ita loqui consueuerunt. Virgilius, vt quidam interpretantur, *o, luce magis dilecta sorori*: expressius Catullus ad Quinctiam; *Aut aliud, si quid carius est oculis*. atque alibi sæpe: hinc ferre aliquem in oculis dicimus, & oculitus amare, ac reliqua inde ducta, de quibus Paroemiographi plura habent.

Hic locus illorum est] Sumptum est hoc argumentum ex Ciceronis fragmēto de Republica, quod nunc inscribitur de Somnio Scipionis: consule ipsum, & Macrobium.

Cælestis adedit Ignis] Purgatorij ignē intelligit, quem idcirco cœlestem vocat, quia expurgatis maculis homines cœlo dignos reddit, aut etiam vt inferorum ignis excludatur.

Atque iterum lætas] Quoniam semel Goffredi anima, quēadmodum & reliquorum hominum, cum primum fuit à Deo creata, cœlum ipsum incoluit, & inde profecta est: docet Dantes Aligherius.

163 *Aspice paruo*] Iterum dico, M. Tullius adeūdus est in Commentario de somnio Scipionis, nam mihi non vacat, nec mei instituti est locos inuicem conferre.

Sed vt impia, quæ sunt] Nullum bellum iuste infertur, nisi pro religione, & Dei veri cultu, itaque aduersus Turcas, Hæreticos, & alios infideles non modo Euangelio, sed etiam ferro pugnandum est, neque hoc aduersatur diuinæ legi; tametsi hæretici ipsi nimium sibi indulgētes Euangelio tantum, ad cuius sonum obsurduerunt, secum pugnari volunt, idque sacra lege caueri fabulantur; dixi tantum non licere bellum Christianis inferre, & verò, nam illatum propulsare nemo prohibet, idque natura ipsa homines, & animantes omnes manifestò docet, infert igitur hic noster. *Christicolùmque adeo fines tueantur, & aras*.

Vt vos votis damnet Deus omnibus] Vt omnia quæ cupitis à Deo consequamini, atque ita votorum solutioni obnoxij sitis. Virgilius ita locutus est. *damnabis tu quoque votis*.

Quid

164 *Quid moror in terris*] Sumptum ex Diuo Paulo Apostolo, qui spiritu aliquando ad cœlum raptus inclamaret, se cupere dissolui, & esse cum Christo.

Corporis exsolui vinclis] Ita quidem fieri debere docent sacræ literæ, vnde fortasse Plato hausit eandem sententiam, quemadmodum ex Platone deinde hausit Cicero in Somnio Scipionis.

Sola terræ] Terram ipsam, ita loquitur Lucretius.

Venienti deserat hosti] Militi non minus turpe fuit locum deserere, quam arma abijcere; quod supra adnotaui: docet Salustius in Bello Catilinario.

Oppida principio] Vaticinium de futuro bello, & varijs in eo euentibus; est autem excursio poëtica, siue episodium à negocio principali nihil abhorrens.

Vb. Mysorum] Hoc dicitur propter obsidionem Nicææ, qua in vrbe sanctissimum illud Concilium fuerat antea celebratum trecentis octodecim sacris patribus conuocatis aduersus Arrium diuersas substantias in Patre, Filio, & Spiritu Sancto confingentem; fuit autem is Arrius Lybs genere presbyter Alexandrinæ ecclesiæ Baucalidis appellatæ, quocirca Pharius hic modo nuncupatur: interijt insolito, & nouo genere mortis: nam in vrbis foro ventris onere vrgente cum ad cloacam secessisset, vnà cum stercoribus intestina omnia effudit. plura de eo, eiusque hæresi narrant Eusebius, Epiphanius, Sozomenus, Theodoretus, Philastrius, Suidas, Michael Bucchingerus, Laurentius de la Barre, alij, quos hic commemorare nihil attinet.

Ditabis opimis] Communiter nunc accipit spolia opima pro exquisitis, & magni precij, vt cum ait lib. xi. *& præda cupidus ditescit opima*; porrò quæ magis propriè spolia opima nuncupentur, alicubi superius demonstraui.

166 *Atque in se refluens*] De Mæandro Plinium audire operæpretium fuerit, cuius hæc leguntur libro 5. c. 29. *Amnis Mæander ortus e lacu in monte Aulocrene, plurimisque affusus oppidis, & repletus fluminibus crebris, ita sinuosis flexibus, vt sæpè credatur reuerti, Apameam primum peruagatur regionem, mox Eumeneticam, ac dein Bargylleticos campos, postremo Cariam placidus, omnesq; eos agros fertilissimo rigans limo, ad decimum à Mileto stadium lenis illabitur mari.* Ouidius. *Non secus ac liquidis Phrygius Mæander in vndis Ludit, & ambiguo lapsu refluitque, fluitque.* rursus. *Quique recuruatis ludit Mæander in vndis.* hinc picturam flexuosis ambagibus instar Labyrinthorum implexam Mæandrum dicimus, & ita eam vocat Maro.

Pisidiæ campos] De Pisidia regione, eiusque populis plura commemorant Plinius nō vno in loco, Strabo, & Dionysius Afer; qui quidem Dionysius illorum trium oppidorū disertè meminit Selgam præ cæteris, valde cōmmēdans, de qua Strabo etiam cōsuli velim lib. 12. & Eustachius in Commentarijs ad Dionysium, nam de Selga ea referunt, quæ huic loco intelligendo valde conducunt.

Nec nomina norunt] Selga tamen esse putatur Philadelphia, vt refert Dominicus Niger: uerum huic famæ non adhibet fidem hic noster.

Et miseri] Epiphonema; sumpta vero est sententia ex quadam epistola Seruij Sulpitij ad Ciceronem, quæ spectatur lib. 4. ad Familiares.

Frondibus assimilis] Ex Homero.

Vbi longa vrbem] Antiochiam, de cuius obsidione adeas licet Gulielmum Archiepiscopum Tyri, Robertū Monachum, Leonardum Aretinum, alios; eam hic noster narrat inferius lib. xi.

Fugæque] Hoc dictum ob discessum Stephani, Gualtherij, Gulielmi, & aliorum.

Aduenient] Duce Corbana Persarum regis satrapa.

Cælumque tegent] Quod quidam dixit de exercitu Xerxis in Græciam transuecto, cui Spartanus quidam respondit; ergo in vmbra pugnabimus; refert Plutarchus.

Romano sanguine Carras] Ob stragem Crassi exercitus à Surena editam, vt est apud Plutarchum, & Appianum.

168 *Reijce nate procul*] Quod & deinde fecit, vt refert Gulielmus Archiepiscopus Tyri.

Regum Rex] Hoc ideo, quia legimus in sacris libris, *Rex regum, & dominus dominantium*, huc enim modo respicit poeta.

Paliuron acutis] Frutex est prædurus, & spinosus; meminerunt eius Plinius, & Dioscorides.

Debellare hostes] Alludit ad illud Maronis. *Tu regere imperio populos Romane memento, Parcere subiectis, & debellare superbos.*

Læto sic pectore]. Neque enim propinquę mortis mentione iniecta fuerat territus.

Propria hæc] Perpetua, sicut illic apud Terentium. *Ego vitam Deorum propterea sempiternam esse arbitror, Quod voluptates eorum propriæ sunt*. notat ibi Donatus.

Non longo succedent ordine] Septem tantum reges Hyerosolymis imperarunt, nam Balduinus à Saladino Negemendi filio Aegypti Sultano regno exutus fuit anno à Christo natu 1187.

6. Kal.

6. kal. Octobr. ab hoc Balduino ad Goffredũ ſeptem reges enumerantur, qui octuagintanouem annos imperium Palæſtinæ obtinuerunt: Vuolfangus Drechſlerus, Sigebertus Gemblacenſis, Martinus Polonus, Paulus Aemilius, Gerardus Mercator, Matthæus Palmerius, alij multi, quos conſulto prætereo.

Tracemque ſuperbum] Hoc deinde euenit anno 1452. 4. kalen. Iunij, quo tempore Conſtantino Palæologo Conſtantinopolis à Mehomete ſecundo Turcarum Imperatore fuit erepta: Macedonia deinde, & vniuerſa Græcia, Illyrium, & bona, magnaq; pars Pannoniæ à diuerſis Turcarum Imperatoribus ſubacta fuit, quibus de rebus videndi ſunt Bonfinius, Sabellicus, Iouius, Mercator, Gemblacenſis, alij multi, quos hic commemorare non eſt opus.

171 *Vaſtabit Cyprum victrix*] Rem narrat his verbis Paulus Aemilius libro 6. *Anglus ſerius Meſſana ſoluit; & tempeſtate in Cyprum compulſus, cum litoribus arceretur virtute terram tenuit, inſulæque tyrannum, qui ne Græco quidem Auguſto ſuo niſi modo coactus paruerat, bello cepit, totã inſulã ſui iuris fecit, præſidia arcibus impoſuit.*

Externis regnum dominis] Vido nimirum Luſiniano Pictoni, quam rem ita exponit Aemilius. *ac ne vlla reliqua foret irarum, ſimultatumque materia, Vgoni Regi ſemel ſalutato Anglus perſuaſit, vt regnum Cypri à ſe capeſſeret: Templarijſque, quibus ipſe illud oppignerarat, rem creditam ſolueret, cederetque iure, quod ſibi eſſet in Regnum Hyeroſolimitanum, cæteramque Syriam. Vido in Cyprum tranſmiſit ſublatis ſecum rebus ſuis; quo regno Luſinianorum familia ad memoriam vſque noſtram potita eſt.*

Phœnicum interea] Ptolemaidem, *quæ amiſſis Hyeroſolymis*, inquit Aemilius, *Regia vrbs Latinis Aſiaticis erat*, hinc dicet hic noſter. *Acemque euertet caput Imperij, ſedemque.*

Licet oſtia Nili] Conſule Paulum Aemilium libro 5.

Gallia Regem] Almericum, de quo plura Aemilius.

Mendeſij ditem] Quę ſita eſt ad vnũ ex Nili oſtijs ſibi cognomẽ.

172 *Acemque*] Ptolemaidem, quæ Acre antiquitus dicebatur, vulgo variè, modo Aconem, modo Acin vocant. Aemilius.

Sexcentæ æſtates] Vaticinium ex penetralibus Aſtrologiæ ab Angelio depromptũ, quam ipſe facultatẽ omniũ optimè nouit.

Gens aurea] Alludit ſic per tranſcurſum ad ſæculum aureum, de quo Heſiodus, & Ouidius: res eſt nemini ignorata.

173 *Veſana lues*] Defectio à vera Chriſti religione, ſanctaque Rom. Eccl. Catholica, quàm nos vere Chriſtiani profitemur.

Allobroges, ſolioque locabunt] Tacitè Geneuam deſignat, quæ

vrbs

vrbs hæresiarum arx, & caput; omniumq; hæreticorum asylum habetur. sita est in ea prouincia, quæ modo Sabaudia nuncupatur, vide, si tibi licet Munsterum.

173 *Quæ toties sumptis*] Quare Gallorum reges nomen Christianissimorum inuenerunt; sæpe enim Pontifices ab iniurijs Germanorum Imperatorum, atque aliorum Sacrosanctæ Ecclesiæ hostium tutati sunt, quemadmodum constat ex Paulo Aemilio, Platina, Blondo, Sabellico, alijs multis, quos frustra nominarim, cum res valde nota sit, & nemini obscura.

Florentemque opibus vallem] Alludit ad nomen Florentiæ.

Boeotius amnis] Arnus iccirco Boeotius nũcupatur, quia Mediceorum gens, quæ nunc Hetruscis dominatur olim in Boeotia imperauit, latẽter igit' ad hãc historiã alludit poeta eo epitheto.

Morinum de sanguine] Fuit enim Catharina filia Laurẽtij Medices ex Magdalena Bononia, seu Lotharingia, ea nupsit Henrico, qui deinde regnum Galliæ adeptus fuit.

175 *Dent iura vocati*] Henricus Dux Alẽconius Henrici, & Catharinæ filius à Sarmatis Europeis, quos nos Polonos vocamus, mortuo Sigismundo Augusto ad regni habenas moderãdas summo procerum consensu accitus est.

Rege amißo] Sigismundo Augusto Iagelonio.

Premet Austrius armis] Philippus Rex Hispaniarum; porrò tumultuum Belgicorũ plenæ sunt historiæ nostrorum hominũ: & extant Commentarij ea de re conscripti in volumine, cui titulus, Annales Flandriæ.

Faucesque, fretumque] Idem per diuersa, fauces æquoreas. vt. *In partem, prædamque Iouem*.

Angusto quod Calpem] Duo sunt montes, vnus in Asia, alter in Europa ad fretum Herculeum: poetæ fabulantur Herculem duas ibi columnas statuisse, vltra quas nauigare non liceret: sed nostrorum auorum memoria Lusitani, atque alij vniuersum fermè Oceanum perlustrarunt inuentis ibi magnis insulis, & eo, quem orbem nouum appellant. consule Petrum Martyrem, Ioannem Petrum Maffæum, Leuinum Apollonium, Volumen, quod inscribitur Nouus orbis, & alterum materna lingua conscriptum, atque in tres partes distributum; quod Iunctæ Venetijs excuderunt.

Sæcla ferarum] Feræ ipsæ: ita loquitur Lucretius.

Vada cæca] Hactenus incognita.

Columbus] Christophorus Columbus Lygur; huius viri nauigationes descriptæ reperiuntur in volumine illo, quod statim nomi-

nominaui: de Columbo extat Elogium Pauli Iouij eius viri res gestas breui complectens.

Priscorum errata parentum] Qui sub zona torrida habitari posse negabant. Horat. *Pone sub curru nimium propinqui Solis in terra domibus negata.* sub ea cœlum esse perpetuo temperatissimũ pluribus docet Andreas Cæsalpinus lib. 3. Quæstionum Peripateticarum cap. 7. id quod antea demonstrauerat Albertus Magnus: de re ipsa nautæ Hispani, qui Oceanum Atlanticum perlustrarunt, nos amplius dubitare non sinunt.

176 *Tum quoscunque alios*] Siquidem nullis, præterquam Hispanis ad illum orbem nauigare permittitur, inque eam rem diplomate regio opus est.

Vnique volet sibi sumere totam] Cum tamen & eius, quem paulo ante nominaui, Christophori Columbi, & Americi Vespucij Florentini, & Ludouici Vartomanni Romani, & Aloysij Cadamusti Veneti, atq; aliorum plurium tum Italorum, tum Gallorũ opera maior, præstãtiorque illius orbis pars detecta fuerit.

Illam olim Ammericen] Ab Ammerico Vespucio eius inuentore; de regionibus illis, moribusque illorum hominum consule auctores, quos statim nominaui, nam locus, & consilium meum non patitur, vt de eo plura hic referam.

177 *Auidi vescuntur*] Vt sunt Channibales, & plures aliæ gentes illius orbis, de quibus aliquid strictim inferius tangam.

Cum primum Tarraco classem] Tarraconem posuit pro quolibet Hispano homine, fortasse ét Ferdinãdum Magaglianũ intelligit.

178 *Fernandus Medices*] Excurrit in laudes Ferdinandi Medices Magni Cosmi filij; is Ferdinandus nunc vniuersæ propemodum Hetruriæ iustissime, ac summa in pace dominatur, de quo longa sanè historia mihi pertexenda esset, si vniuersas huius herois dotes recensere vellem.

Tyrio circumdabit ostro] Nam fuit etiamnum adolescens in Cardinalium numerum à Pio Quarto Pontif. Max. summo omnium purpuratorum patrum consensu allectus.

Nilus] De origine Nili fuit olim res valde dubia, ac perobscura, nunc certissima, & clarissima effecta est, vt de ea minime sit amplius dubitandum, compertum est enim ipsum oriri in perexcelsis montibus Aethyopiæ vocatis Ben, qui vltra æquinoctialem surgunt.

Qui longinquis in finibus] Egnatius Loiola sacri ordinis Iesuitarum institutor, cuius vitam eleganti sermone Latino nuper complexus est Ioannes Petrus Maffæus illius ordinis sodalis vir doctrina,

ctrina, morumque integritate valde conspicuus; eandem etiam materna lingua conscriptam legi à Petro Ribadenera; ad quos lectorem studiosum reiecisse sufficiat.

179 *Exiguos numero socios*] Tum cum primum societas illa fuit ab Egnatio instituta, sexaginta sociorum numerum haud excessisse memorant, hac enim conditione ordo ille à Summo Pontifice fuit approbatus, qui tamen limes Pontifice permittente deinde sublatus est ingenti Reipublicæ Christianæ commodo. Maffæus.

Nullas metuent accedere ad oras] Plurimi Theologi ex sacra illa Sodalitate ad Indos assidue se conferunt, vt eos pietatem nostram edoceant, ritibusque Sacrosanctæ religionis imbuāt; multæ extant epistolæ ab illis patribus conscriptæ de cultu, & moribus illarum gentium.

Infida Britannia] Innumeri propemodum patres ex illa societate ab Henrico, & Elisabetha Britanniæ regibus diris supplicijs affecti sunt; propterea quod constantissimè verum Christi cultum retinere vellent aduersus impias illorum Regum blasphemias: auctor Sanderus.

Channibales] Hi populi humana carne plurimum victitant, cuius rei causa venationes instituūt: quemadmodum scriptum reliquit Petrus Martyr de rebus Oceanicis lib. 3. Decad. primæ; sed & Americus Vespucius, atq; alij rerum illarum scriptores multā commemorant de immanitate harum gentiū, quæ apud ipsos inspici poterunt.

Taprobane] Insula est maris Atlātici sub æquatore sita, quam nunc Sumotra vocant; in ea proceriores quam vsquam alibi, elephantes nasci tradit Lodouicus Romanus Nauigationum libro sexto, cap. 13.

180 *Iapo*] Et hæc quoque insula est vasti illius Oceani haud procul à China ad Septentrionalem plagam sita; adi volumen illud Louanij excussum anno 1570. cuius est epigraphe; Epistolæ Iapanicæ, & reliqua.

Male tuta Sinarum] Regio quam vulgo la China nominamus, de qua plura inuenias apud Ioannem Gonzales in volumine, qđ de illa tellure, ac populis materna lingua conscripsit.

Ambiguo positæ sub sole Molucæ] Insulę in Oceano à Magagliano, vt puto, inuentæ, quæ iccirco ambiguo sub sole positæ dicuntur, quoniam ad eas diuerso itinere peruenitur, pro cuius varietate, modò in Oriente, modo in Occidente sitæ sunt; de ipsis videnda est Epistola scripta à Maximiliano Transiluano, ad

Cardinalem

Cardinalem Saltzburgēsem, quæ in Volumine inscripto Nouus Orbis impressa circunfertur.

Excitus clangore tubæ] Quo signo Christiani homines ad terram flexis genibus beatam Virginem deiparam pio instituto cōsalutant. dicitur autem hoc per anticipationem, sicut & illud; *Ter sonitum tuba rauca dedit, quo scilicet omnes Admoniti genibus flexis & ad ardua palmis Sidera sublatis reginam hominumq;, Deumque Et matrem illius, nostros qui solus ab orco Vindicat, atque oris animos cœlestibus infert, Voce salutarunt humili.*

181 *Matutinis perfectis ordine sacris*] Missa videlicet, vt loquuntur. nota verò pios mores Christiani hominis, quod etiam superius admonui.

Vim prodigus auri] In hoc prodigus; notaui alicubi superius hanc locutionem.

Exercituum Deus adsit] Quem Sacræ literæ Sabaoth vocant.

182 *Rbolone satus*] Robertus Dux Normandiæ.

183 *Libros*] Quibus vetus, nouumque testamētum descriptum cōtinetur, hic enim mos est Christianis, cū persāctè iurare volūt.

184 *Cæcæ surgunt vbi mœnia gentis*] Chalcedonios accipe cæcos dictos ex hac causa; Cum Byzantij conditores post ædificatam à Megarensibus Chalcedonem Apollinis oraculum consulerent, responsum acceperunt, vt contra cæcos habitationem locarent: cæcos enim ille Chalcedonios vocabat, quia cum prius ad ea loca nauigassent, omissa tàm locupleti ripa, tenuiorem accepissent. Strabo lib.7.

Infida in fœdera] Dictum vt illa, inuptæ nuptiæ, insepulta sepultura, insana sapientia, funus necfunus, ars iners, & si quæ sunt alia.

186 *Pura circumtulit vnda*] Totum ex Virgilio; quod concinne in suum vsum transtulit poeta ex ritu Christianorum, qui aqua lustrali expiari solēt; loquor fusius hac tota de re in libris de Ritibus sacrorum Etnicorum quos Annæi Senecæ imitatione scribendos suscepi, vt aliquo pacto illorum iacturam meo labore sarcirem; sed inter tot meas domesticas occupationes nullo principis alicuius viri fauore mihi aspirante, eos adhuc ad exitum perducere nequiui; quid posthac futurum sit, Deus ipse nouit: certè nostrorum hominum liberalitas rara est, neque hij virtutem amant, sed voluptatibus omnino sunt adicti, quibus vt se expleant, nullis sumptibus parcunt admodum.

SCHOLIA
IN LIB. SEPTIMVM
Syriados.

Pagina CLXXXVIII.

RADIANTIA *sydera lambit*] Vtitur hoc verbo Virgilius de Aetna loquens, ibi; *Attollit globos flammarum, & sydera lambit:* nec longe abest, quod ibidem ait. *Ter spumam elisam, & rorantia vidimus astra.*

Pondus, molemque sinistram] Idem per diuersa, ἓν διὰ δυοῖν; sic Maro. *In partem, prædamq; Iouem.* & ; *pateris libamus, & auro.*

Hic tu] Loco Apollinis, & Musarum Sanctum Spiritum inuocat, meminit enim Angelius se & Christianum esse, & Christiano lectori, & de bello verè Christiano loqui.

Pariter] Hoc additum est consultò ad coarguendum errorem Græcorum.

Ignoti marmoris] Aequoris, quod & Maro quoque marmor vocat. *in lento luctantur marmore tonsæ:* ideo autem obscuras vndas ignoti maris, quia nullus antea hoc argumentum attigit.

Inque animi] Vocat mentem animi exemplo Lucretij; sed & Plautus quoque, & Catullus ita locuti sunt.

189 *Cimbrorum regum*] Ab ipsis Normannorum regibus originem ducens.

Filius huic fratris] Dixi ad lib. 5. Tancredum filium fuisse Rogerij Boemundi fratris.

Syrius ardet] Aestu nimirum feruentissimo. Virgilius. *Iam rapidus torrens sitientes Syrius Indos Ardebat cælo.*

Millia Trinacrijs] Ab ipsa Sicilia à tribus promontorijs Lilibęo nimirum, Pachyno, & Peloro eo pacto nuncupata; vel à triangula specie, vt inquit Plinius. huius insulæ descriptio petenda est ex Strabone, & Dionysio Afro; eiusque interprete Eustachio.

Claustra

Claustra colunt] Sic etiam locutus est Maro. *rarescunt claustra Pelori.*

Arethusa tuos] Fons Siciliæ, de quo plura fabulantur poetæ: meminit Virgilius Aeneid.3.& Ouid.lib.5.Metamor.adi prætere a Fulgentium, & Hyginum.

Symethi] Meminit huius fluminis Plinius in descriptione Siciliæ.

Trinacriam dirimit] Tradit hoc Strabo. lib.6.

Aspera saxa rotantem Pantagiam] Liquebit epitheti proprietas ex fabula, quę habet. *Hic fluuius facile cum plenus incederet implebat sonitu totam Siciliam, vnde & Pantagias dictus est, quasi vbique sonans: hic postea cum Cereri quærenti filiam obstreperet, tacere iussus est numinis voluntate, πάταγος enim strepitus Græcè dicitur;* refert Seruius ad illud Maronis. *viuo præteruehor ostia saxo Pantagiæ.*

Memorem Cyclopis amorum] Fabula extat apud Ouidium 13. Metamor.

190 *Sabellus*] A quo Sabellorum gens nobilissima, quæ nunc etiam Romæ claret.

Quintilius sanguis] Creditum est, atque ita à Francisco Sansouinio in illo suo volumine, quo aliquot nobilissimas Italiæ Familias, earumque originẽ complexus est, traditum legi, Sabellos ipsos à Quintilio quodam Romano originem ducere.

Eque suo moriens] Vni ex septem collibus vrbis nomen imposuit; alij Auentinum ab auibus, quæ se ab Tyberi ferrent, dictum volunt; vel ab aduentu hominum, qui ad Dianæ templum, quod eo in monte à communi Latinorum sit constitutum, commeabant: vel ab aduentu propter paludes, quibus hic mons à reliquis vrbis montibus disclusus fuerat, vnde ratibus ad eum aduehebantur quadrantem pro naulo persoluentes. Varro: consule etiam Panuinium in Commentarijs Reip. Romanæ.

Farnisque]. Genus arboris, a quo terra Falisca; nisi si ab Aleso Argiuo, quod putat Ouid. dicens. *Venerat Aonidrs fatis agitatus Alesus, A quo se dictam terra Falisca putat.* Faliscorum descriptionem fuse habes apud Leandrum Albertium.

Legiferos] Ob ius Fæciale, quod Romani ab illis populis acceperunt, quocirca eosdem æquos appellauit Maro: interim tamen tectè admodum alludit hic noster ad Paulum Castrensem summum auorum nostrorum memoria Iurisconsultum.

191 *Dauni se in castra*] Boemundi; quod autem statim sequitur, *volentem Scilicet ex tanto*; est ex Virgilio.

Farnesia nomen] Aspiratione in digāma Eolico immutato; Alesus Falesus, inde Farnesius; adscribam huc Seruij Honorati verba, quæ huic loco magnam lucem important. *Faliscos Alesus condidit: hi autem immutato h in f Falisci dicti sunt: sicut Febris dicitur, quæ antea Hebris dicebatur, Formiæ quæ Hormiæ fuerunt ἀπὸ τῆς ὁρμῆς, nam posteritas in multis nominibus f pro h posuit. Iustos autem dixit quia Pop. Rom. missis Decemuiris ab ipis iura fæcialia collegit, & nonnulla supplemēta duodecim tabularum accepit, quas habuerāt, nam ab Atheniensibus decem habuerunt tabulas.* hæc Seruius ad illud Maronis. *Hi Fascenninas acies, æquosque Faliscos.*

Qui tempora sacra corona] Ob Alexandrum Farnesium, cui cum is Pontificatum Summum adeptus esset, Paulo tertio nomen inditum. fuit hic vir pietate, & doctrina insignis, plurimaque præclara, & verè regia ingentis animi facinora edidit, itaque sui nominis fama Christianum orbem repleuit.

Domuere rebelles] Ob Alexandrum Farnesium Pauli tertij nepotem Ducem Parmensium, qui, dum hæc scribimus, insignia summi Imperatoris documenta in Belgio edit, huius res gestas in ea prouincia narrant plures rerum Belgicarum scriptores; in hoc vno Alexandro Italorum virtus nunc maxime elucet.

Agyllæ] Ridiculariam fabulā de huius vrbis nomine refert Seruius Grammaticus in Commentarijs Virgilianis ad illud. *Est ingens gelidum lucus propè Cæritis amnem. Agylla (inquit) ciuitas est Thusciæ à conditore appellata, cui ex inscitia Romana aliud est inditum nomen; nam cum Romani euntes per Thusciam, interrogarent Agyllinos, quo modo diceretur ciuitas; & illi, vtpote Græci quid audirent ignorantes, & optimum ducentes, si prius eos salutarent, dixerunt χαῖρε, quam salutationem Romani ciuitatis nomen esse arbitrati sunt, & detracta aspiratione eam Cære nominauerunt, vt dicit Hyginus in Vrbibus Italicis.*

Ferrugineos Hyacintos] Quę sūt insignia nobilissimę Farnesiorum gentis, à quibus quidam ipsi nomen factum esse existimant, nescio quid ex Hebraicis fontibus deducentes.

Cilnius] Ex qua gente fuit Mæcenas Aretio oriūdus, ad quem nunc alludit hic noster, dum Cilnium poetarum amatorem facit, & in clypeo cycnum depictum gestare narrat, nam cycnis poetæ comparantur, Horatius. *Multa Dircæum leuat aura cycnum.* vide eiusdem Od. 20. lib. 2. frustra sim si de Mæcenate plura hic commemorare velim.

192 *Griccia progenies*] Vetustissima olim Senis familia, quæ nunc estincta est.

Camæ-

Camanarum cultrix] Plurimum enim Musarum studijs vacant Senenses.

Biturgia] Hanc esse nonnulli censent, quam nunc vulgò Borgo à San Sepolcro vocant; hæc vrbs mea est dulcis, atque amabilis patria; distat ab ortu Tyberis circiter quindecim millia pas suum in Vmbria ad eius fluminis ripas.

Vitelli] Vitellia familia Tyfcerni præpotens est, ac nobilissima; describitur hic autẽ Aloysius, qui & Chiappinus Vitellius dictus est, cuius ingens nomen inter optimos duces; plura etenim bella mira prudentia, ac fortitudine administrauit.

193 *Sapis*] Sapis, Isaurus, Vsens, Metaurus, Aesis flumina sunt Flamminiæ: consule Leandrum Albertium.

Iuginium] Oppidũ, quod nunc vulgò Vgobbio nuncupamus.

Vbaldus] Guidobaldus Robereus, seu Monsfeltrius Vrbini Dux; ad hunc enim modo alludit poeta.

Senæ] Senogalliæ; quæ Vrbini Duci paret.

Et Venetum in tuto statuat res] Guidubaldus Vrbinatiũ Princeps à Venetis summus exercitus imperator renunciatus est in bello, quod pro Pisanis aduersus Florentinos susceperunt.

Persæ nominis hostem] L. Ventidium Bassum, qui contra Parthos rem præclarè gessit; Parthia porrò est in Perside, vt docet Ammianus lib. 23. sed & idem Ventidius irrumpentes in Syriã Persas tribus prælijs vicit. Eutropius lib. 7.

Truentus] Flumen in Piceno, quemadmodum Matinus, quod Batinum Plinius vocat, & Vomanus.

194 *Aterni*] Fluuius inter Ferentanos vulgo dictus Pescara: Leander Albertius.

Corfinij] Corfinium oppidum in Pelignis olim valde munitũ, Lucano teste, nunc prorsus dirutum, & cuius vix apparent vestigia: locis ijs, in quibus oppidum situm erat, imperãt etiã num Cantelmi ex nobilitate Neapolitana præcipui. Collenucius.

Ingens Amiterni] Imitatur Virgilium dicentem. *Vna ingens Amiterna cohors*.

Garganus Iapyx] Et hoc ex Virgilio expressum est: *Ille vrbem Argyripam patriæ cognomine gentis, Victor Gargani condebat Iapygis aruis*: de Gargano, qui nunc mons Sancti Angeli nuncupatur, adeas licet Leandrum Albertium, apud quem plura etiam reperias de omnibus oppidis, ac fluminibus hic commemoratis.

Septemplice portu] Vnde nomen oppido factum à cornu cerui; refert Strabo, & ex nostris quem modo nominaui, Leander Albertius.

195 *Mollis quicunque Tarenti*] Vel ob nobilem illam lanam, quæ tantopere à veteribus celebratur, vel potius à moribus effœminatiſſimis illorum hominum; quò circa imbelle ipſum appellauit Horatius.

Aulon] Sumptum ad verbum fermè ex Martiale, *Nobilis & lanis, & Baccho fertilis Aulon*.

Naufragum Syllaceum] Sic Virgilius: *Caulonisque arces, & nauifragum Syllaceum*.

Vltores ſcelerum Locros] Sceleris à Dionyſio Syracuſanû tyranno perpetrati, cum is Locrenſes virgines bello captas proſtituiſſet, atque alijs multis probris affeciſſet; pete hiſtoriam ex Strabone libro ſexto.

Conſcia virtus] Quoniam quidem in vno Olympico certamine victores omnes Crotoniatæ fuerint; vnde natum prouerbium. Crotoniatarum poſtremus reliquorum Græcorum primus.

Aeſar quos irrigat] Fluuius, qui & Aeſarus Straboni, & alijs.

196 *Ipſa ſibi ſeptem*] Brutiorum metropolis, quæ ſeptem colles à ſitu vrbis pro inſigni geſtat. Leãder Albertius: hæc ſub Othone Imperatore, & Ioanne XIII. Pont. Max. ab Arabibus capta, atque exuſta fuit: tradit Blondus.

Sanſeuerina domus] Nobiliſſima gens hæc fuit ex conuentu Neapolitano, quem vocãt Seggio di Nido; & quæ adhuc multis oppidis illius tractus imperat, quorum partem ennumerat hic noſter verſibus in ſequentibus.

Sagræque Crotoni] Poſt Locros Sagra fluuius labitur, in cuius ripa Caſtoris, & Pollucis aræ ſitæ ſunt, ad quas decem Locrorum millia, vnà cũ Rheginis aduerſus Crotoniatas numero centũ & triginta millia marte collato victores euaſerunt; quò ex negocio ortũ eſt aduerſus incredulos prouerbiũ. Notiora quã quæ apud Sagam: Strabo lib. 6. vtitur prouerbio M. Tullius de Natura Deorum lib. 2. at hiſtoriam apud Iuſtinum etiam reperias.

Non vllis humeros in prælia telis] Atque ita ſanè olim Romani milites armabantur, notat Seruius: arma autem dicuntur ab armis, non quòd tergus armaretur, vt putat Iſidorus, ſed quoniam ea humeris ſuſtinerentur.

197 *Caſuri in vulnera*] Naturale eſt, vt qui occumbunt, in vulnus cadant, Lucretius. *Namque omnes plerunque cadunt in vulnus, & illam Emicat in partem ſanguis, vnde icimur ictu*.

Minuti virtus] Vt apud Horatium, virtus Catonis, & alia his ſimilia: conſule Muretum Var. lect. lib. 3. cap. 4.

Furius] A Furio Camillo, de quo Plutarchus, & Liuius.

Ducto-

Ductoribus Afris] Consule Blondum Flauium.

Vetus æmula Romæ] Quod post Cannensem pugnam conspectum fuit: de ea vrbe sic extat apud Liuium lib. 23. *Prona semper ciuitas in luxuriam, non ingeniorum modo vitio, sed affluenti copia voluptatum, & illecebris omnis amœnitatis maritimæ, terrestrisque tum vero ita obsequio principum, & licentia plebis lasciuire, vt nec libidini, nec sumptibus modus esset: ad contemptum legum, magistratuum, senatusque accessit tum post Cannensem cladem, vt cuius aliqua erat verecundia, Romanum quoque imperium sperneret*; plura de Campanorum luxu, & superbia reperias illic apud T. Liuiũ, quæ huc congerenda esse non duxi.

Nola iugo] Emendauit, quod Virgilius dixit *Ora iugo*, cum & ipse quoque Nola antea scripsisset: porrò de hac vrbe multa idẽ Liuius narrat: sed consule in primis Ambrosium Leonem in libris de Nola.

Opposuit muros] Tota historia narratur à T. Liuio lib. 23.

198 *Nuceria*] Quare nunc vulgò Nocera de Pagani nuncupatur, vt tradit Volaterranus; quidam à pagorum multitudine sic dictã volunt; qđ minus fit verisimile: consule Leandrũ Albertiũ.

Fida patrum Latio] Pete historiam ex Liuio.

Atella procaces] Vnde Atellanæ fabulæ, in quibus inter acerbitatem verborum, & sententiarũ risus maxime captabatur, veluti in illo versu de Tiberio; *Hircum vetulum capris naturam ligurire*. vide Scaligerum in libris de Poetica.

Et facunda nucum] Auellanarum videlicet; quæ inde nomen repererunt auctore Seruio: eædem Prænestinæ dicuntur.

Sedes arcana Sibyllæ] Ob Sibyllam Cumæam.

Venafrum] De quo Horatius, *Viridique certat Bacca Venafro*. Martialis. *Hoc tibi Campani sudabit bacca Venafri*.

Ac de Barbarie] Ob M. Tullium Ciceronem virum eloquentissimum, qui Arpinas fuit.

Et magna filia Romæ] A militibus nimirum Syllæ, vel etiam ab Augusto ædificata: Leonardus Aretinus; Vincentius Borghinius de Origine Florentiæ: liber est materna lingua conscriptus.

199 *Fæsula*] Adi Ioannem Annium Viterbiensem, qui de duodecim etiam Hetruscis vrbibus plura commemorat; sed & eundem Vincentium Burghinium consulere operæpretium fuerit in Commentario de Hetruria, ipsiusque vrbibus; qui & ipse quoque materna lingua conscriptus est.

Cum nullos habuit] quemadmodum postea Romanos habuit.

Finitimis vellet præferri] Florentinis, à quibus deinde subtracta est.

Assuetos perferre, & frigora] Hinc Virgilius. *Assuetumque malo Ligurem*.

Cui dat Feronia nomen] Dicitur enim Garfagnana, quasi Caput Feroniæ: consule Strabonem.

200 *Libertatis amans*] Et quæ sola inter Hetruscas vrbes adhuc ea potitur.

Tuscorum ab origine regum] Bononia à Felsino Hetruscorum rege sic dicta: reijcio te, quisquis es, qui de hac vrbe plura scire cupis, ad Leandrum Albertium.

Et Rubico Italiæ finis vetus] Dixi superius ad librum 1.

Populi Creuere Claterna] Qui plurimi sunt in Piceno circa vrbem Claternā, ex cuius ruinis, & excidio creuerunt Cæsena; Forum Clodij, Forum Liuij, Forum Pompilij, Forum Cornelij; & alia oppida illius tractus, de quibus Plinius, & Albertius.

Mutinæ generosa renatæ] Siquidem prius in editiore loco sita erat; vel etiam alludit poeta ad illud, quod narrant de hac vrbe, videlicet ipsam olim ab ingenti terræmotu concussam subsedisse, ac totam ferè corruisse. refert Leander Albertius: & Sigonius de Regno Italiæ.

201 *Consagæ a stirpe*] Ea stirps nunc Mantuæ felicissime regnat ductu, atque auspicijs Serenissimi Principis Vincentij Gulielmi filij; quod autem subdit de Oromedonte, dictum est ob gigantem illum, cuius ita meminit Propertius. *Te duce vel Iouis arma canam, cæloque minantem Cæum, & Phlegræis Oromedonta iugis*. alludit autem ad Rodomontem Gonsagam, cuius virtus in re bellica summa fuit, atque omnibus admirabilis.

Submittere Othonis] Ne longum faciam præter meum institutum, vide ad hanc rem, quæ scripta reliquit Paulus Iouius Præfatione in vitas duodecim Vicecomitum.

Ditibus Insubrum] Mediolani videlicet.

Attius acer] A quo familia Estensis, siue Atestina originē ducere creditur; consule Ioannem Baptistam Pignam: ea nunc Ferrariæ imperium obtinet, de qua familia satius est omnino tacere, quam pauca eloqui: ex ea sanè, veluti ex equo Troiano, præstantissimi Principes omni tempore prodierunt, quorum res gestæ omnibus historijs celebrantur.

202 *Natusque ad prælia Treuir*] Horum populorum virtutem multis in locis commendat Cæsar: sed & de his, atque alijs, qui statim sequuntur, iubeo te consulere Raymundum Marlianum.

Troiano à sanguine creti] Secutus est Lucanum, quatenus Aruernos Troiano sanguine progenitos esse ait, nā quod eosdem

Romanorum fratres ille idem facit, peccatum memoriæ videri potest, nam Aedui; non Aruerni hoc cognomine insigniti sunt, vt statim docui; Lucanus sic. *Aruernique ausi Latios se fingere fratres: Sanguine ab Italico populi:* sed ob hoc saltem Romanorum fratres dici possunt, quia à Troianis originem ducunt.

203 *Frater fidissimus vrbis Aeduus*] Ita fuerunt dicti hi populi ob egregiam eorum in Romanam rempubl. beneuolentiam: Tacitus. *Orationem principis secuto patrum consulto; primi Aedui Senatorum in vrbe ius adepti sunt; datum id fœderi antiquo, & quia soli Gallorum fraternitatis nomen cum populo Romano vsurpant*: sic etiam scriptum reperitur in Panegyrico Flauiensium nomine apud Constantinum dicto. *Quæ nam igitur gens toto orbe terrarum in amore Romano nominis Aedius se postulet anteponi? qui primi omnium inter illas immanes, & barbaras Galliæ gentes plurimis Senatusconsultis fratres populi Romani appellati sunt; & cum à cæteris Rhodano ad Rhenum vsque populis nepos quidem posset, nisi suspecta sperari, soli consanguinitatis nomine gloriati sunt:* ac deinde. *Imputauere se origine fabulosa in Sicilia Mamertini, in Asia Ilienses; soli Aedui non metu territi, non adulatione compulsi, sed ingenua, & simplici caritate fratres Rep. Rom. crediti sunt.*

Quæ gens] Heluetiorum aliquot pagi, siue potius Geneenses ipsi, quorum ciuitas asylum est hæreticornm; in eam confluit omne genus facinorosorum hominum, quique verum Christi cultum penitus exuerunt.

Montautius] Respexit ad Ioannem illum Aucutum, cuius per honorifica extat mentio apud Iouium in Elogijs; ex hac gente ottos facit Barbolanos Montis acuti comites; id oppidulum situm est in editissimo colle non longe ab vrbe Biturgia, quam meam esse patriam dixi.

Crinibus intortis] Ex Martiale, cuius illud est. *Crinibus in nodum tortis venere Sicambri, Atque aliter tortis crinibus Aethiopes.*

Cacannum] Cacanni, siue Chagani meminit Zonaras nó vno in loco: hunc modo ex familia Agilolfinga, quæ in Germania nobilissima fuit, ortum facit hic noster. sed est sciendum Reges Norici omnes vno nomine Cacannos fuisse appellatos, quemadmodum Parthiæ Arsaces, Aegypti Pharaonas, ac deinde Ptolemæos, Albani Syluios, Latini Murrhanos, Bithynni Nicomedes, atque aliæ gentes alijs nominibus suos reges nuncuparunt; porrò *Cacanni omnes ex vna illustri Agilolfingorum familia eligebantur*, inquit Ioannnes Boemus lib. 3. de Omnium gentium moribus, qua parte de Bauaria, & Charinthia loquitur.

Illa

204 *Illa quaternis*] Vide Gulielmum Archiepiscopum Tyri, & Aemilium.

Belferci] Hunc Belchesum appellat idem Aemilius; quodque hic narrat Angelius de imperij diuisione inter filios ab eo facta, paulo aliter inuenias apud illum alterum libr. 4. quem omnino consulas velim.

Phario cum rege] Cum Aegypti Sultano, quem vocant.

Cuius agrum] Antiochiam intelligit.

205 *At Tomyris*] Hæc modo introducitur exemplo Virgilianæ Camillæ.

Bithynæ] Nicææ: de huius vrbis obsidione sic est apud Paulum Aemilium lib. 4. *Vrbs quadrata forma est æquis vndique lateribus: quod meridiem spectat lacu Ascanio munitum, alto, procellosoque, ac, cum ventis intumuit, minaci: ab oriente Vgo Magnus cum Normano, Flandroque, ac Blesensi, ab occidente Bononiensis cum fratribus, a Septentrione Tarentinus cum reliquis Italici nominis castra metati sunt: machinæ, tormentaque, ac quicquid ad vrbium excidia pertinet, comparatum*; reliqua leges illic per otium.

206 *Rhamundus*] Comes Tolosatum: de hoc tamen in Nicææ expugnatione nulla mentio apud Aemilium.

207 *Canibusque, auibusque vorandos*] Ex Homero: sic infra. *feris corpus laniandum, auibusque reliquit*; atque alias sæpe.

Mutumque metum] Ingens metus vocem adimit; sic Lucretius; *Muta metu terram, genibusque summissa petebat*. Virgilius. *Molle pecus, mutumque metu*.

Vastatorem Atylam] Qui Dei flagellum appellari voluit, adi si libet, Paulum Iouium in Elogijs: & Blondum Flauium, vt alios interim omittam.

208 *Bacchum inficit*] Vuam, quã nũc poetice Bacchũ vocat; superius, cũ de Sacrosanctis religionis nostræ mysterijs loqueret', vinum non Bacchum, sed Noæ donum appellauit, vt illic docui.

Non illa] Vacat dictio illa, sicut interdum apud Maronem, vt alicubi notat Seruius.

Raptoribus] Lupis, dixi superius, si rectè memini; certè est ex Marone.

209 *Tectosagum ductor*] Rhamundus Tolosatum Comes.

In acta] In campo, in litore, vtitur Virgilius.

Sublimi flantes à vertice] A septentrione, dixi superius.

Et Stygio in primis] Arte magica fabricatus.

Vnum Halyn] Profetam Persarum, qui apud illas gentes sanctissimè colitur.

210 *Equeferi*] Equi. Virgilius. *In latus, inque feri curuam compagibus aluum Intorsit.*

Centenæ aßurgunt] Quot nimirum hostes interfecerat; quod statim sequitur, & est sumptum ex antiquitate.

211 *Armosque feri*] Equi, vt paulo ante monui.

Pedes emicat] Ipse pedes, pedibus insistens.

Versus equum] Ex Homero, vt multa alia.

Agri medio] Et hoc ex Homero, sed & alia insuper multa, de quibus omnibus lectorem admonere superuacaneum esse duco.

Ductor Narbonis] Rhamũdus, quem Tectosagum ductorem superius appellauit.

212 *Laserpicifera Battus regnator arenæ*] Historiam narrat Iustinus: epithetum verò sumptum est ex Catullo: hinc Batti silphium prouerbiali figura. consule Parœmiographum.

Ex adamante] Ex chalybe, dixi alicubi superius.

213 *Quando illi populos olim*] Propero ego ad reliqua, itaque Blondus hac de re consulendus est.

Caudaque sibi diuerberat armos] Qua ratione iram exuscitat, seque ad fortitudinem stimulat, vt ex Homero scire licet, qui hac vtitur comparatione: adi, si libet Plinium, & Aelianum.

214 *Machaone natus*] Alludit ad Machaonem Aesculapij filium Podalirij fratrem.

215 *Ipse Atrebas*] Commius, vt eum paulo post nominat.

216 *Mox Bardum, & Gaddum*] Bardorum, & Gaddorum familiæ adhuc Florentiæ nobilissimæ habentur, ingentibusque diuitijs florent, in harum familiarum gratiam hi modo hic nominãtur.

217 *Acta per terga securi*] Ostendi superius ex Lucretio saucios in eam partem cadere, qua vulnus acceperunt, est ẽt ex Marone.

Quæ natum in bella secuta est] Multæ matres, & vxores Christianos in sacrum illud bellum profectos secutæ sunt. tradit Aemilius, & ante eum Archiepiscopus.

218 *Inuictæ paludem*] Irrisio hæc est cum quadam amaritudine

SCHOLIA

SCHOLIA
IN LIB. OCTAVVM
Syriados.

Pagina CCXXI.

COMITEM *sese addidit*] Quod superius dixerat lib. 5. *Seque illi veterum*, & reliqua, *comitem venienti Vrsanius vltro Addiderat*.

Nunc ò] Inuocatio in re difficili, ac memorabili ex præcepto Horatij: sic etiam Virgilius. *Vos ò Calliope precor aspirate canenti, Quas ibi tum ferro strages*; idem antea fecerat Homerus Iliad. E.

Culmen habes] Habitas: illuc enim Diuæ Catharinæ corpus ab Angelis aduectum fuisse tradit historia: vide Lipomanum.

Siquando alias] Cum adhuc impubes esset poeta, ac studijs literarum tum primum vacare cepisset; quam rem ipse fusius narrat in Carmine huic diuæ dicato, quod his libris attexitur.

Erumpant centum] Imitatur Homerum, & Virgilium addita exornatione à comparatione sumpta, *ceu vasta tonitrua*; nam simpliciter Virgilius dixerat. *Non mihi si linguæ centum sint, oraque centum, Ferrea vox*; & reliqua.

222 *Letum pro laude pacisci*] Ex Marone, qui dicat. *Letumque sinas pro laude pacisci*: alibi, *vitamque volunt pro laude pacisci*.

Vult Deus hoc fieri bellum] Quam fuisse militarem tesseram dixi ad librum. 2.

223 *Fecerat & pulchra*] Sic etiam Virgilius. *& pulchra faciat te prole parentem*.

Te quoque] Vaticinium futuræ cædis Biturigis; ex Homero, & Marone.

224 *Strata viarum*] Lucretius. *Strataque iam vulgi pedibus detrita viarum Saxea conspicimus*.

Gladio

- *Gladio metit*] Virgilius ait. *Proxima quæque metit gladio*: consule alicubi Petrum Victorium in Varijs lectionibus.

226 *Vulnificusque chalybs*] Ensis. Virgilius. *Vulnificusque chalybs vasta fornace liquescit*: intelligit autem ferrum ipsum.

227 *Intentusque oculis*] Atque ita re vera se se animo comparauerat Alexis, vt victoris fortunam sequeretur, quod Solymanus vel coniectura ipsa, vel ex Thatinno, aut aliter ex Alexio cognitum habere potuit.

Harpem] Ensem falcatum ex adamante factum à Vulcano, quo Perseus Iouis, & Danae filius vsus fuit, eundem etiam Mercurio tribuunt poetæ; quo cum ipsum Argum occidisse fabulantur. huiusmodi enses nunc Turcæ, ac Persæ gestant.

- *Soboles Rolonis*] Robertus Rolonis filius Normandiæ Dux.

228 *Cum Dux*] Goffredus, cuius ingentem erga Deum Optim. Max. pietatem perpetuo his libris expressam habemus.

Decurrendi etiam] Decurrere labores dixit quomodo Lucretius, *decurrere lumina vitæ*. vbi tamen ego legerim *limina*.

Imperij aßertor Carolus] Cui Magno cognomen factum fuisse diximus à magnitudine rerum gestarum. hunc gladium dono ei dederat Vrbanus Summus Pontifex: vide ad lib. 2.

229 *Summi ius ille*] Quod vidimus superius libro primo.

Perpetuam deposcere pacem] Solemnibus votis, quibus æternam requiem defunctis à Deo precamur.

Intereaque animæ] Dicuntur piorum animæ statim in cœlum migrare, quia dignæ effectæ sunt, quæ Resurrectionis die illuc ascendant purgatis interim maculis expiatorio igne.

231 *Vrbis*] Nicææ.

Genibusque, & corde tremebat] Sumptum ex Horatio dicente, *& corde, & genibus tremit*. loquit̃ de Cloe puella p cõparationẽ.

Tyranni] Regis in bonam partem, dixi superius. vide Isidorũ.

Mœnia] Pro vrbe ipsa, vt quadret sententiæ verbi *populari*.

232 *Tomyris*] Sumpsit hoc nomen poeta ob celebrẽ illam Scytharum Reginam, quæ Cyro crudelitatem illis verbis exprobrauit: *Satia te sanguine, quem sitisti, cuiusque insatiabilis semper fuisti*. Iustinus.

- *Quas ego*] Imitatio Maroniana; sic enim legimus Aeneid. 11. *O decus Italiæ virgo quas dicere grates, Quasue referre parem?*

Maximus orbis] Si plurimorum regnorum dominus fiam, atque ita maiorem occasionem te egregie remunerandi nanciscar.

233 *Ad furta paratas*] Ad nocturnas insidias.

Sic ore locuta est] Ῥημὰ σμός. Virgilius non vno in loco.

Sic

Sic placitum fatis] Virgilius; *sic visum superis*: hic autem appositissime fatorum meminit poeta ob impiam Turcarum, atque Arabum opinionem cuncta fermè in fata conferentium.

Mocburæ] Ciuitas est Arabiæ vulgò Mecha nuncupata, antiquitus Petra; in ea Mehemetis corpus asseruari creditur; illucq; ipsius visendi causa innumeri fermè Turcæ, atque Arabes quotannis proficisci solent: quidam in oppido Almedina Mehemetis cadauer spectari scribunt: vide Petrum Bellonium Obseruationum lib.2.cap.53. & lib.3.cap.1.

Improba regno Exuat] Refertur ad fortunam, non ad viã, quæ proxime antecessit, ex impia, vt dixi, persuasione illarum gentium, quæ maximas vires Fortunæ, & Fato tribuunt, ita verò eas docuit egregius ille Propheta Mehemetes; consulendus est ridiculus, ac stolidus Alcorani, siue Alforcari liber, in quo legis Mehemeticæ capita collecta esse ferunt; de quo vide Petrum Bellonium lib.3. earumdem Obseru.

234 *Et mihi venandi*] Quæ commoda Imperatoribus exercituum, ac militibus afferat venandi studium, docet pluribus verbis Xenophon in libro huic rei destinato: quo circa cum ait Salustius in proœmio de bello Catilinæ. *Neque verò agrum colendo, aut venando, seruilibus officijs, intentum ætatem agere*: notat illos, qui ex agricultura, & venatione quæstum faciunt; atq; hoc pacto locus ille exponi mihi videtur, non quomodo Victorius interpretatur lib.6.cap.1. Variar. lection. mihi olim subijt legere, *aut venundando*, pro *venando*: sed fuit non inepta fortasse coniectura, minime tamen necessaria, quam nunc reijcio.

236 *Res euersas audacia*] Ex Homero in Odissea. Ouidius sic; *Audentes forsque, Deusque iuuant*. Liuius. *fortes fortunam adiuuare aiebant*: fuisse autem sententiam hanc prouerbio iactatam, auctor est Cicero in Tusculanis.

237 *Nutricum tenus esse videt*] Ex Catullo, apud quẽ ita legimus in Carmine de Nuptijs Pelei, & Thetidis. *Illaque, atque alia viderunt luce marinas Mortales oculi nudato corpore. Nymphas Nutricum tenus extantes e gurgite cano*. adi Petrum Victorium Variarum lection. lib.20.cap.5.

Sese ostentare] Voce, atque re ipsa declarare, nam intempesta nox aspectum adimebat.

Semifera verrentes æquora cauda] Cicero caudæ pistricis spiniferi epithetum addidit in conuersione Arati. *Spiniferam subter caudam pistricis adhæsit*: de pistrice bellua consule Plinium.

Pedibusque atros] Indicaui superius auctores, qui de horum popu-

populorum moribus adeundi sunt.

Fugit illa] Hic verbum *fugere* celeritatem notat, aliquando eidem locus est, cum telum per imprudentiam nobis excidisse significare volumus: quod alibi etiam admonui. de verbo ῥεῖν, huicq; significatione pari *fluere* adi Victoriũ Var. lec. lib. 28. c. 18.

238 *Petit ore cruento*] Vnde hic loquendi modus, quo quempiam occubuisse significamus, ductus sit, pluribus docet Petrus Victorius Variar. lection. lib. 29 cap. 17. inde pete.

Viduant custodibus] Ita etiam locutus est Maro. *tam multis viduasset ciuibus vrbem*.

Improba edendi] De significatione huius vocis *improbus* quippiam adnotaui in Commentarijs ad Calphurniũ, & Nemesianũ.

Druidum qui sanguine] De Druidibus Gallorum sacerdotibus loquitur Cæsar de bello Gallico lib. 6. nonnulla etiam notata reperias apud Petrum Pithoeum Aduersar. subsc. lib. 1. plura apud Ioannem Picardum de Pisca Celtopædia, & Stephanum Forcatulum de Gallorum imperio, & philosophia: quos omnino ad hanc rem consulas velim.

239 *Custodem ad limina*] Ea forma dictum, qua puer ad cyathos, ad pedes, ad manus, ad lites, ad baculum: notat Canterusne, an Lipsius? certè nonnihil de hac loquendi phrasi inuenias apud Turnebum, & Ioãnem Guilelmum Stuchium in libris Antiquitatum conuiuialium: nos hic veluti canes è Nilo, bibimus, & fugimus; magis enim seria habemus, in quibus tempus insumamus; itaque ad ea nobis redeundum est.

240 *Quando discordibus inter*] Cum discordibus opinionibus certatur, omnia in suspenso remanent; qui fructus est altercationis.

Somno, vinoque sepultos] Maro. *Somno, vinoque sepulti Procubuere*. vbi tamen quidam legunt *soluti*: sed haud multo inferius. *Rutuli somno, vinoq; sepulti Conticuere*.

Mala gaudia] Sic Virgilius. *& mala mentis Gaudia*. quem locum carpit Seneca Epistola quapiam: memini me nonnulla adnotare ad hanc rem in meis libris Locor. Controuers. ac deinde in Assertione aduersus Yuonem Villiomarum.

241 *Glaciesque atras*] Sic dictum, quomodo hyemem atram, & imbrem atrum vocauit Maro; nam glaciei colorem cæruleum ab aqua idem tribuit. *Cærulea glacie concretæ, atque imbribus atris:* nescio an Calphurnius sit, an verò Nemesianus, qui hac eadem ratione niuem atram appellauit, ne fortè existimes Anaxagoræ opinionem ipsum illic innuere voluisse; adnotaui ad illum locũ.

Truncos] Busta capitibus carẽtia. Virg. *iacet ingẽs litore trũcus.*

Infracta

Infracta securibus ossa] Valde fracta, in minutas partes concissa: dixi superius.

242 *Tormento capita imponunt*] Ex ipsa historia sumptum.

Tetro manãtia tabo] Virg. *vidi, atro cũ mẽbra fluẽtia tabo Mãdarct.*

Ignescunt iræ] A definitione; est enim ira feruor caloris in corde, veluti ex Hippocrate, & Platone definit Galenus lib. 2. de Sanitate tuenda.

Generosa Triulci] Triulciorum familia inter primarias Mediolani semper fuit habita, inque ea exercituum optimi, & clarissimi duces floruerunt, præter cæteros, Ioannes Iacobus Triulcius ab omnibus fermè historiographis vehementer commendatur, eius meminerunt Iouius, Guicciardinius, alij.

243 *Vbi Taurinos*] Vbi sita est Augusta Taurinorum, vel simpliciter inter Allobroges, in quibus claret familia Puteorum, ad quam modò alludit hic noster, dum Phrearum nominat, nam Græcè φρέαρ valet puteum.

Gratissimus amnis] Ex Marone. *Cæruleus Tybris cælo gratissimus amnis.*

Parti] Pro parte metri causa. Cicero. *parti miscetur in vna:* sic etiam illud Ouidij legit Gifanius. *In mare perueniunt partim, partique recepta Liberioris aquæ.*

Affixit humi] Vel *afflixit*, sed non est necessarium.

Vrbemque reliquit] Vrbis defensioné, vel extra mœnia cecidit.

244 *Suffulta columna*] Vnde columen regni, familiæ, & similium ab ea columna, quæ vniuersum ædificium sustinet, cuique cõcameratio tota incumbit: notaui alibi ex Demetrio hanc rem pluribus verbis, at hic non est locus.

Dum septem] Τριῶνες, Virgilius. *Septem subiecta trioni.*

245 *Aspicit æquis*] Haud aliter Virgilius. *Nec Saturnius hæc oculis pater aspicit æquis.*

246 *Fandi memor, atque nefandi*] Ob ipsum Thatinnum hoc dr̃, & est ex Virgilio, ibi, *At sperate Deos memores fandi, atq; nefandi.*

Falarica venit] *Venit* præteritum tempus est, vnde statim sequitur, *Perculit, exhausitque.*

247 *Ensibus incubuere suis*] De quarundam gentium consuetudine, in quibus multi amicis carissimis morte sublatis se ipsos sponte interficere non dubitant, idque fecisse maxi mæ laudis loco sibi ducunt.

Vrbem compositis] Narrat Aemilius lib. 4. cuius verba quoniã plura sunt; quàm vt commodè ex meo instituto huc transferri queant, illic inspici mando.

SCHOLIA
IN LIB. NONVM
Syriados.

Pagina CCXLIX.

AD DYNDIMA] Mons est Phrygiæ, in quo percelebre Cybeles templum fuisse perhibetur; eius meminit Propertius. *Dyndimus, & sacræ fabricata iuueta Cybellæ*: plura reperias apud Strabonem, & Plinium, qui de fluminibus ab hoc nostro statim nominatis nonnulla referunt diuersis in locis.

Flumina Corycij] Antri Corycij poetarum versibus tantopere celebrati meminerunt ijdem Strabo, & Plinius, nec non Solinus, & Pomponius Mela, notat etiam Apollonij interpres.

250 *Nec minus Eustachides*] Goffredus filius Eustachij.

Vt populum nube intectum] De fuga Hebræorum ex Aegypto duce Moyse, totiusque illius itineris admirandis euentibus narratur historia in libro, cui titulus Exodus; percommode autem, ac perappositè de ea hic mentionem ingerit poeta, quoniam & ipsi quoque Christiani iter faciebant Hierosolymam.

251 *Per inane*] Per aerem, hoc enim modo valet vox *inane*, non quod aer inanis sit, nam nullum in natura inane, si Aristoteli credimus, sed quod ita videatur: vtitur hac dictione in hunc sensum Virgilius addito etiam vacuo hunc in modum; *Tum lapis ipse viri vacuum per inane volutus Nec spatium euasit totum*.

Quam tosta suum] Sic etiam Homerus, & Virgilius tostarum, & assarum carnium, haud vnquam elixarum meminerunt: notat Seruius Grammaticus in primum Aeneid. petas licet ex Plutarcho: velim etiam consulas Athenæum lib. 1.

Viridi liquentia vina Donysa] Vina pura, hoc enim valet liquēs ad vinum relatum: viridem Donysam appellauit etiam Virgilius

ob eius coloris marmor, quod in ea insula copiosè nascitur; est autem sita in mari Aegæo, inque ea optimum vinum prouenit, cum sit valde saxosa.

252 *Becius*] Frãci scum Bencium intelligit ex Societate Iesuitarum, virum probum, & in carmine pangendo valde exercitatum; cuius plura literarum monumenta egregium hominis ingenium testantia nuper in lucem prodierunt, is est (nam adhuc viuit magno studiosorum commodo) poetæ nostri amicissimus.

Qui certa secutus] Historia extat in sacris libris, in quibus narratur post obitum Moysis Deum præcepisse Iosuæ filio Nun, vt Hebræos trãs Iordanem in terram promissionis perduceret. fingitur autem Bencius canere historiam huius Ducis ob similitudinem, quam ea habet cum rebus gestis Goffredi.

253 *Procubuere solo*] De Vrbe Ierichunte accipe, cuius moenia sacerdotum buccinis septies increpentibus, ac populo vocem tollente solo æquata sunt, vt legimus in historia Iosuæ cap. 6. hoc gestum est auspicijs eiusdem Ducis, vide Sulpitium Seuerum.

Funere mersant] Virgilius; *& ab vbere raptos Abstulit atra dies, & funere mersit acerbo.*

Celebrem Gabaona] Gabaonitæ à Iosue fœdus, ac pacem subdolè impetrarũt, cum verbis humillimis ipsam petijssent affirmantes se longè illinc profectos esse illam vnam ob causam. Gabaon verò vrbs magna Heuæorum, vt est in Exodo cap. 9. & 10.

Nuniades] Nun pater Iosue, vnde Nuniades patronimica forma; cap. 1. Exodos. Sulpitius.

Cœli requiem mirantibus astris] Hãc sententiam ita extulit Virgilius. *Et mutata suos requierunt flumina cursus*: cuius carminis hic est verus sensus. *flumina mutata suos cursus*, idest cum suos cursus mutassent, *requierunt*; non, *mutata requierunt suos cursus*; neque enim dicimus requiesco cursum, sed simpliciter requiesco: qua de re lectorem hic admonuisse non fuit inutile, siquidem neminem adhuc videre mihi contigit, qui locum hunc perperam non sit interpretatus, neque aliter exponere soleo illud alterum Maronis; *Hic tamen hanc mecum poteris requiescere noctem*, quanquam *hac nocte* auferendi casu illic scriptum est in cunctis ferè exemplaribus: itaque Arufrani Mesij sententiam non probo, quam refert Carisius: quod ad historiam attinet, iam superius indicaui, vnde ea petenda sit.

254 *Institerant dura*] De his exercitijs militaribus consulendus est Vegetius.

Super æthera discum] Horatius huius exercitationis meminit ibi;

ibi; *Seu te discus agit, pete cedentem aera disco*, & Oda 8. lib. 1. *Neq; iam liuida gestat armis Brachia, sæpe disco Sæpe trans finem iaculo nobilis expedito*; Angelius porrò imitatus est Homer. Odys. E.

Aut celeres onagros] Virgilius eosdem appellauit timidos à causa epithetum ducens; nam timiditas celeritatem parit, & quæ animalia timida natura creauit, eadem cursu valere voluit. Anacreon.

255 *Concordia pectora*] Per appositionem.

Et sanctam Solymorum] Vnde Hierosolyma cõposito vocabulo.

Attius] Vide quæ superius de Atestina géte à me dicta sunt; & præter Ioannem Pignam, & Paulum Iouium, consule Gasparem Sardum in suis Epistolis.

256 *Deus ipse suos*] Præclara sententia, & duce, qui omnes suas spes in Deo collocatas habeat, verè digna.

Reflectere] Conuertere, retro flectere.

257 *Auriferumque Hermum*] Creditus est enim Hermus fluuius aureas arenas vehere; is Pactolum in suum alueum recipit, qui & ipse quoque aureis ramentis abundat, quare alio nomime Chrysorroas dictus fuit, meminit vtriusque hic noster haud multo inferius.

Hypæpas] Oppidum est Lydiæ Stephano, & Straboni, eius ita meminit Ouidius. *Orta domo parua, paruis habitabat Hypæpis*: loquitur de Arachne: Hypæpeas mulieres pulcherrimas fuisse perhibent, vt scribit Cælius Rhodiginus, qua de causa pulchrarum epithetum addidit illi vrbi hic noster.

Magnæ] Cybeles, quæ & magna mater dicta est: Catullus; *Niueis citata cepit manibus leue tympanum; Tympanum tubam Cybeles tua mater initia, Quatiensque terga tauri teneris caua digitis: Canere hæc suis adorta est fremebunda comitibus: Agite, ite ad alta Gallæ Cybeles nemora simul, Simul in Dyndimenæ domina vaga pecora*, & cætera. Cybelus mõs est Phrygiæ, vt docet Vibius Sequester, in quo Magnæ matris sacra solemniter celebrabantur, de quibus multa Gyraldus.

Celænas] Apamiam, vt censet Plinius, quanquam Strabo diuersas faciat.

Populetur Isauros] Lycaoniæ, inquit Strabo, est etiam Isaurica Taurum versus, deinde Isauria, quæ vicos duos habet eiusdem nominis, & eum, qui vetus dicitur Beneuentium, his alia loca obtemperant, omnia latronum domicilia, quæ Romanis negocia exhibuerunt. Publius verò Seruilius cognomento Isauricus, quem nos vidimus, hæc Romanis subegit, & multas piratarum

munitiones, quæ in ora maritima erant, vi cepit; hactenus Strabo ex interprete.

Antiochi de nomine dictam] Antiochiam; reijcio te ad ea, quæ alicubi superius de hac vrbe adnotaui.

Vbere glebæ] Virgilius. *Terra antiqua, potens armis, atque vbere glebæ.*

Quo gloria tanta] Fit enim interdum, vt pluribus infortunijs nos Deus appeti sinat, quo eius auxilium manifestius appareat; huius rei luculentum exemplum in Iob persona nobis proponunt sacræ literæ.

258 *Iamque adeo Sagarim*] Quē & Sangariū appellari diximus.

259 *Indomiti loricam æris*] Insuperabilis, quemadmodum ex aduerso domitus, qui iam superatus est. Horatius; *Virginea domitus sagitta.*

Primæ sub tempora lucis] Dixi superius ex veterum persuasione de veritate insomniorum, quæ sub lucem apparent.

Morinum cum victor ab vrbe] De nonnullis rebus pręclare gestis à Goffredo Bulionio, cum is adhuc iuuenis esset, iubeo te consulere Franciscum de Rosieres tomo 6. Stemmatum Lotharingiæ Ducum.

Cattorum acies] Hi populi sunt Germaniæ trans Rhenum, Lygijs Pannoniæ populis, Cheruscis, Hercyniæque sylue proximi, ac Hermonduris; nescio an sint, quos Caritinos Ptolemæus vocat. Marlianus, Fabricius, Ortelius, cæteri.

260 *Edocet Addemarum*] Supremum Antistitem, quique Pontificis personam illic sustinebat, cui propterea suum visum aperit Gotfredus, quemadmodum superius ad librum primum adnotaui de Petro Eremita.

Et frustra auxilium] Per eclipsim, desideratur enim ferte; aut aliquod verbum huic par.

Interea cælo] Sumptum ex Marone.

261 *Macedoniaque sarißa*] Qua scilicet apud Græcos olim milites phalangis Macedonicæ vtebantur. Polybius, & Liuius.

Petit impete] Pro impetu; Lucretianum est.

Tum mihi vel tellus] Mutuò sumptum ex Marone.

Nunquam moriemur inulti] Et hoc etiam de Marone mutuò, siue precario sumptum.

A cardine] Vel à vertice, vt superius alicubi dixi, vel ideo, quia cælum à Septentrione circumagitur veluti cuidam innixus cardini, sicut portarum valuæ.

Bonæ virtutis] Verbum medium, sicut dolus, fraus, ars, laus,

atque

atque his similia, qua de re pluribus disputaui in assertione pro meis Locis controuersis aduersus personatum illum Yuonem Villiomarum, qui nuper leui quadam sumpta occasione illud suum teterrimũ virus euomuit, quod aduersus Italos omnes iamdudum conceperat; itaque verborum hic compendium faciam.

264 *Cydonia cornu*] Cretensia a Cydone illius insulæ nobili vrbe, cuius incolæ Cydones; ij sagittãdi arte peritissimi fuisse perhibentur, vnde Cydonij arcus, sagittæ, atque alia huius generis per excellentiam quandam. Virgilius. *Parthus, siue Cydon telum immedicabile torsit*. Claudianus. *Quæ vires iaculis, vel quum Gortynia tendis Spicula, quam felix arcu, certique petitor Vulneris, & certum mentiri nescius ictum, Scis quo more Cydon, qua dirigat arte sagittas Armenius, refugo quæ sit fiducia Partho:* in ea insula etiam Gnosij, Dyctæi, Gortyni optimi iaculatores habiti sunt.

Ceu cõsueuere] Et de hoc pugnãdi genere memini me quippiã adnotare in meis libris Locorum controuersorum; ac deinde in ea ipsa Assertione, quam statim nominaui, inde pete, si libet.

Inque fero] Equo, vt bis supra, quod & ipse illic adnotaui.

Horrendum sæuit] Horrende; adiectiuum pro participio Græcorum more.

265 *Pactolus, & Hermus*] Flumina videlicet aurifera, vt creditum est antiquis, vel potius, vt poetæ ipsi finxerunt, qui Midam in Pactolo se lauisse narrant, vnde factum sit, vt is aureis arenis fluere ceperit.

Serò sapientis] Cum in eo esset, vt Cyri iussu, à quo in custodia asseruabatur, occideretur, nam cum pyram ascendisset, inclamauit ò Solon, Solon, is autem in sermone Cyro dixerat ex viuentibus neminem beatum vocari debere. consule Herodotum in Clione: refert etiam Laertius, & alij, porrò Cræsi regna fuerunt in Lydia.

Ergo illum] Has enim occasiones populi studiosissime aucupantur, vt regum auarè, atq; aspere dominantium iniurias vlciscantur, at ij dum res alta in pace prosperè fluunt, nihil minus curant, quam vt suæ ditioni parentes iustè, ac liberaliter habeant: Celtisci igitur mores cunctis Principibus proponit poeta; vt eos vitare studeant metu saltem infelicis euentus, si id vera virtute præstare nequeunt: quod libuit adnotare, vt hoc poema non sine fructu legatur.

266 *Verso cecidere in prælia vultu*] Non supino, sed in hostes conuerso, quia vulnera in pectus, non in faciem acceperant.

Maluetiæ] Maluetiorum familia Bononiæ nobilitate, atque

 opibus

opibus nulli aliæ cedit: in ea hodie maxime claret virtute bellica Pyrrus, quem nunc tacitè designat hic noster.

Cambyses] Alludit ad veterem illum Cambysem, cuius Herodotus, Xenophon, Iustinus, & alij meminerunt.

Præstantior arcu] Additur hoc ob factum illud, quod hunc in modum narrat Herodotus in Thalia. Cum aliquando Cambyses ex Prexaspe viro nobili, ac primario, sibique vehementer caro quæsiuisset, quidnam Persæ de se loquerentur, respōdit ille cætera quidem omnia mirum in modum Persas laudare, illud vnū non probare, quod nimis vino indulgeret, hoc audito Cambyses indignatus, Prexaspique ostendere volens Persas haud quaquam recte sentire, iussit ad se acciri Prexaspis filiū, qui sibi erat à poculis, vt si cor eius non fallente ictu traiecisset, ostenderet se sobrium esse: hæc locutus in puerum intendit arcum, ipsumque percussit, atque humi collapsum iussit discindi, & inspici ictum, cumque in corde sagitta esset iuenta, lætatus est, & reliqua.

Lutetio] A metropoli vrbe Gallorum, quæ Lutetia Parisiorum nnncupatur.

267 *Cum læti ad pocula*] Amara exprobratio ad sopitam virtutem excitandam, sed nihil ea tunc Boemundus profecit.

268 *Vestigia lenta referre*] Persistit in metaphora Leonis, quam paulo ante sumpserat, id vero animal nunquam citato cursu fugit, sed sensim, ac lento gradum se recipere consueuit. Plinius. Aelianus.

269 *Atque Arabum incusat*] Irridet poeta Astrologiam, cui pręcipue facultati Arabes incumbere consueuerunt, vt illorum hominum plura monumenta demonstrant.

Sata culta] Ita loquitur Maro.

270 *Ruit ab radicibus ornos*] Locutio Maroniana.

Cœlum clamoribus implent] Sequutus est Homerum, qui Græcos tacitos, Troianos instar sturnorū clamātes prælīu inire facit.

Surgebant vertice flores] Quorum feracissima est illa regio, in qua Susæ vrbs sita est.

Tum manibus cœlum] Pictura clypei hominis superbi, ac ferocis; de bello Gigantum plura reperias apud Hesiodom in Theogonia: Claudianus Gigantomachiam inchoauit; vide nonnulla apud Pausaniam in Arcadicis.

271 *Improbe*] Virgilius. *ille asper, & improbus ira Sæuit in absentes*. dixi ad Calphurnium, & Nemesianum.

Tmolus] Mons Lydiæ Sardibus incumbens: in eo optimum vinum nascitur: vt ex Virgilio docemur.

Contegit

Contegit in tergum reiecto vmbone] Volo hic e rē nata emendare, atque adeo explicare locum Horatij, quem Muretus minimè fuit assecutus; is est Oda.7.lib.2.ibi. *Tecum Philippos, & celerem fugam Sensi relicta non bene parmula*. lego *relata*: vt parmam intelligamus; quæ in tergum ab Horatio inter fugiendum reiecta esset; ea autem illo pacto non bene referri dicitur, cū pectus contra hostes, non tergus muniendum sit; non igitur se scutum abiecisse illic fatetur Horatius, quod turpissimum fuisset, sed fuga vna cum alijs salutem quæsiuisse, quo in facto longe minor subest infamia.

Nec te humiles] Intellige hunc ab aliquo alio, non à Goffredo fuisse interemptum

272 *Mutatos viden esse Deos?*]. Ex Virgilio, & Horatio.

Auscultet Opheltæ] Pareat, obtemperet Opheltæ monenti, vt se in montes recipiat.

Et audax] Hoc ipso audax, si conetur, iterum prælium redintegrare. dixi de hoc loquendi genere in Commentarijs in Calphurnium, & Nemesianum; & superius alicubi in Scholijs ad hunc nostrum.

273 *Præcipiti Ladan*] Ladas cursor fuit Alexandri Magni tanta pedum celeritate præditus, vt vestigia in arena non imprimeret, quare statua ipsi apud Argos in tēplo Veneris dicata fuit, quam νικηφόροι, appellarunt. Ladæ meminit Martialis.

274 *Ense metentem*] Translate: sic Virgilius. *Proxima quæque metit gladio*: vsurpat etiam alicubi Ouidius; sed non succurrit mihi locus; nec tamen quærendi laborem sumere necessarium mihi esse iudicaui.

275 *Mentē cōsistere in vno*] Tale quippiā reperias apud Maronē.

Ninus] Filius Solymani repetito nomine ex antiquitate.

Aspera cautes] Virgilius Aeneam quercui comparat hinc, atque hinc ventis agitatæ.

Ceu flos] Appositissima comparatio, qua Catullus etiam vsus fuit; eamdem Virgilius quoq; vsurpauit dicens. *Purpureus veluti cum flos succisus aratro Languescit moriens, lassoue papauera collo Demisere caput*. loquitur de Euryalo ex vulnere moriente.

Admittit cassida lucem] Per anticipationem; siquidem buccullæ repertor, quæ faciem contegit, fuit auorum nostrorum memoria Bartolomæus Liuianus, vt tradit Iouius.

SCHOLIA
IN LIB. DECIMVM
Syriados.

Pagina CCLXXVIII.

ESSE *super*] Pro superesse; ὑστερολογία, siue ὕστερον πρότερον in compositione verbi.

Faciensque alto conuicia cælo] Sic dictum est de cicadis nescio an ab Ouidio, an à quo alio. *faciunt conuicia soli*.

O maculæ] Sic dictum quomodo à Catullo. *ò lutum, lupanar;* sic etiam vsurpamus scelus flagitium, dedecus, atque his similia.

Hosticus] Hostilis. Horatius. *Hunc neque dira venena, nec hosticus auferet ensis.*

279 *Mæoniæque oras*] Hæc regio exusta dicitur, patetque longitudine quingentorum stadiorum, latitudine quadringentorũ, vniuersa arboribus caret, præter vitem, quæ exustum vinum fert, ita elegans, vt nulli cedat, summa camporum facies cinerulenta est, montana, petrosa, & nigra, tanquam exustione quadam, quidam putant hoc ex crebro fulminum ictu, aut fulgurum contingere. Strabo.

Hic vatum inuentis] Exustionis illius telluris causam poetæ suo more ad Typhonis fabulam retulerunt, affirmantes eum ibi, cum fulmine ictus esset sepultum iacere; meminit Strabo, & Laurentius Coruinus in sua Geographia, vbi de Moeonia, siue Mœsia loquitur.

Rabieque furentes] Quæ præ nimio æstu ipsos corripere solet; præsertim Syrio ardente, vt inquit Plinius. consule Aristotelem, & Aelianum.

Abiecere suos] Aborsæ sunt omnibus, inspectantibus, nec tamen partus dolores miserantibus Archiepiscopus.

280 *Sitientes Syrius agros*] Mutuo ſumptum ex Marone.

Cælique cauernis] *Et magnas cæli compleſſe cauernas*, inquit Lucretius: ſic ætherias cauernas eadem ratione dictum.

Hoc votum] Adeundæ Hieroſolymæ, quod Goffredus cōcepit, cum poſt vrbem Romam à ſe captam in grauem morbum incidiſſet, quemadmodum refert. Franciſcus de Roſieres tomo 4. Stemmatum Lotharingiæ Ducum; quanquam non tam de ſuo voto, quam de aliorum quoque loquatur Goffredus.

Soli abs te] In Euangelio, vbi Petro ius ſoluendi, ac ligandi in terris à Chriſto tribuitur.

Quam mouit] Ex lapide expreſſit eo virga percuſſo: narratur hiſtoria cap. 17. Exodi. refert, vt puto, Sulpitius Seuerus.

Conſiſtere ſolem iuſſiſti] *Tunc loquebatur Ioſua Domino, quo die dedebat Dominus Amorrhæos coram filijs Iſrael, & dicebat ob oculos Iſraelis Sol in Gabaone inſiſte, & Luna in valle Aialonis, & moratus eſt Sol, & Luna ſubſtitit, donec vlciſceretur gens hoſtes ſuos: an non hoc ſcriptum eſt in libro legis? & ſubſtitit Sol in medio cæli, neque properauit occumbere circiter die integro.* ex hiſtoria Ioſuæ cap. 10.

Totum tremefecit Olympum] Hoc antea vſurpauerat Virgilius. *Annuit, & totum nutu tremefecit Olympum.*

282 *Feſto clamore ſalutant*] Noto more, cum optatam tellurem detegimus: ſic nautæ apud Maronem *Italiam læto clamore ſalutant.*

Vndis refluentibus] Ob multos flexus in ſe recurrentes illius fluminis, de quo non nihil ſuperius tetigi.

Et meminiſſe iuuat] Quod nō mediocrem voluptatem afferre ſolet. Virgilius. *forſan & hæc olim meminiſſe iuuabit.*

283 *Atque in Piſidiæ*] De hac regione plura legas apud Dionyſium Afrum; ego citatiſſimo curſu ad reliqua propero.

Cydnique ad flumina ferri] Qui fluuius eſt Ciliciæ ſic dictus Syrorum lingua ab aquarum candore, de eo quippiam ſuperius adnotaui.

Rogeriades] Rogerij filius fratris Boemundi, vt ſupra dixi.

Duce Balduno] Balduino altero fratre Goffredi.

Callhiroem] Ciuitas eſt Paleſtinæ alio nomine dicta Lece, prope eam viſitur nobilis ille fons calidus, in quo Herodes ſe lauiſſe traditur. Ioſephus; de Charris dixi ſuperius.

284 *Hic vbi ſe crebris*] Tradunt illic Goffredū inter venandum immanem vrſum, qui cum milite quopiam colluctabatur, in ſe concitaſſe, nec niſi graui accepto vulnere ipſum interemiſſe, itaque menſibus aliquot lectica vectum iter feciſſe. Archiepiſcopus Tyri, Paulus Aemilius, Franciſcus de Roſieres, alij.

Seceſſus

Secessus quondam] Antrum Corycium intelligit, quem pluribus describunt Strabo, & Solinus, ad quos lectorem reijcio.

Edessam] Vrbs est in Syria, fuit altera in Arabia alio nomine Antiochia nuucupata: nunc de priori intelligendum est, quam Orpham, siue Rotam vocari tradunt. Ortelius.

Geminæ regnator Hydaspes Armeniæ] Maioris videlicet, & minoris; hoc autem effectum est opera Pancratij, qui ex Græci Imperatoris custodia elapsus ad Latinos se contulerat, Paulus Aemilius.

285 *Resplendet Luna minores*] Horatius. *micat inter omnes Iulium sidus, velut inter ignes Luna minores.*

De nomine dicta Sibyllæ] Sibyllam Persicam accipe: cæterum historia habet à Rege Armeniæ conopeum dono missum fuisse Goffredo, quod Pancratius Armenus nactus in itinere ministris regis abstulit, & Duci Boemundo suo nomine dono misit, quod factum ægreferente Goffredo rem suam sibi eripi, multis dissensionibus causam præbuit. Archiepiscopus Tyri.

Extremas nam limbus] Euagatio poetica similis illi Catullianæ de puluinari Ariadnæ: est autem pulcherrimum episodium quadam quasi necessitate historiæ cohærens.

Pelagi faciem mentita virentem] Operæprecium est Plinium ita loquentem audire. *Probatissimi sunt* (loquitur de berillis) *ex ijs, qui viriditatem puris maris imitantur.*

Omnipatens cælum] Illud Virgilij, *omnipotentis Olympi*, quidam *omnipatentis* legunt, & ita nunc loquitur hic noster.

286 *Pendentem rostro*] Ex Cyri Virgiliana, vbi sic legas. *Quacunque illa leuem fugiens secat aera pennis, Ecce inimicus atrox magno stridore per auras Insequitur Nisus, qua se fert Nisus ad auras, Illa leuem fugiens raptim secat æthera pennis*, fabula pluribus refertur ab Ouidio Metamor. 8.

Genialis hiems] Quo tempore ante focũ genio indulgere consueuimus. Horatius. *Vides vt alta stet niue candidum Soracte: nec iam sustineant onus Syluæ laborantes: geluq; Flumina constiterint acuto: Dissolue frigus ligna super foco Large reponens, atque benignius Deprome quadrimum Sabina ò Thaliarche merum diota.*

Fœcundos lepores] Qui superfœtare solent, nam de veris leporibus, non de cuniculis accipi malo. Martialis. *Fœcundi leporis sapiens sectabitur armos*: potes, si vacat, adire Pliniũ, & Aelianũ.

287 *Oceano Lygur emenso*] Christophorus Columbus Ianuensis, de quo non nihil superius adnotaui.

Turrim Nembrotus] Extat historia in libro vocato Genesis.

Ductor atrox] Holophernes princeps militiæ Assyriorum, cuius historia narratur in libro vocato Iudith. refert Sulpitius.

288 *Cum mulier*] Iuditha filia Merari vxor olim Manassis, de qua videndus est liber sacer ab ea inscriptus cap. 8.

E medijs ceruicibus exhalantem] Vsurpatiuè, ac minus propriè vtitur hic poeta participio exhalantem, cum dixerit, *e medijs ceruicibus*.

Tellus Oenotria] *Italia ita dicta, vel à vino optimo, id est oinos, quod in Italia nascitur, vel, vt Varo dicit, ab Oenotrio rege Sabinorum.* hæc Seruius ad illud Maronis. *Oenotrij coluere viri*.

289 *Pipini proles*] Fuit Carolus cognomentò Magnus Pipini Gallorum regis filius, quem, vti superius etiam diximus, Leo Summus Pontifex Occidentis Imperatorem constituit, is à magnitudine rerum gestarum id cognomentum reperit. Turpinus, Aemilius, Rosieres: multi præterea alij, quos hic recensere nihil attinet.

Illyricosque] Si quis epitome quadam cõprehensas res in bello præclare gestas à Carolo Magno nosse cupit, adeat Frãciscum illum de Rosieres, quem modo nominaui, is enim verborum compendio vniuersas fermè victorias ab illo Rege, atq; Imperatore partas exequitur tomo tertio Stemmatum Lotharingiæ, ac Barri Ducum.

Florentia dia] De origine Florentiæ plura scripta reliquit Vincentius Borghinius illo suo Cõmentario, cui titulum fecit Dell'origine della Città di Firenze, est.n. materna lingua cõscriptus.

Facilisque dedit clementia nomen] *Lodouicus Caroli Magni filius Pij cognomentum adeptus, quod religioni Christianæ intentissimus esset, Pontificesque Romanos diutius adiutasset, patre defuncto Imperator Occidentis, Rexq; Franciæ constituitur*, inquit Rosieres: consule præterea Paulum Aemilium.

Iuueni non ille nepoti] Bernardo nimirum Pipini Ludouici fratris filio Longobardorum Regi, qui cum ab Imperatore defecisset, ipsique Alpes obstruxisset, ne in Italiam transire posset, in deditionẽ acceptus oculis priuatus est, ac deìde capite multatus.

Maturus & æui] Virgilius. *æui maturus Alethes*.

290 *Nec procul hinc virgo stabat*] Christinam Lotharingiam ex Carolo Lotharingiæ duce, & Claudia Henrici Gallorum regis filia ortã, quæ Ferdinãdo Medici Magno Duci Etruriæ nupta est.

Inque sacro virtus] Dum is adhuc Cardinalem gereret.

At Gessoriacum] Per Gessoriacum Heroem Goffredum ipsum intelligit Gessoriaci oppidi regulum, quod est in Morinis ad litus

tus

tus Oceani, vnde breuissimus in Angliam traiectus, nunc vulgò nuncupatur Cales, erat autem tunc temporis sub Comitatu Boloniæ. porrò historia, quæ hic per transcursum refertur ab Angelio, petenda est ex Archiepiscopo Tyri lib. 9. cap. 7.

291 *Votique*] Versus hypermeter, siue hypercatalecticus, qualis ille Virgilij. *Inseritur vero ex fœtu nucis arbutus horrida, Et steriles platani.*

Ida parens] Ab alijs Goffredi mater non Ida, sed Itta, aut etiam Idda nuncupatur; fuit autem Gothofredi, siue Goffredi Barbati Ducis Lotharingiæ filia, Gibberi soror, Eustachio Comiti Bulionio nupta. Rosieres, paulo tñ aliter narrant Aemil. & Meyrus.

Non hic vt sedeas] Desidiosus consistas. Virgilius. *Immunisque sedens aliena ad pabula fucus.*

292 *Celebri cognomine Orontem*] Antea dicebatur Typhon, postmodum id nominis adeptus est ab Oronte eo, qui primus ponte eum constrauit. Strabo. hic noster haud longe inferius rem totam pluribus exequitur.

In tantam potuit] Occasio, & commoditas etiam sapientissimos viros transuersos abripit.

Fulgenti accingitur ense] Non auro, aut gemmis ornato, sed terso, ac nitido: sic infra lib. 11. *& dura cientem Prælia Tigritem splendenti percutit ense.* Cicerô. 5. Tuscul. de Dionysio tyranno loquēs. *In hoc medio apparatu fulgentem gladium è lacunari seta equina appensum demitti iussit*: quod Alexander Aphrodisiensis ad tertium librū topic. Aristotelis ensem λαμπρὸν τιμιώτερον nominat, nō splendentem intelligit, sed auro, & gemis exornatum, cuiusmodi Aeneæ ensem describit Maro dicens. *atque illi stellatus iaspide fulua Ensis erat.* itaque errauit Petrus Gherardius in illius loci interpretatione.

293 *Turcarum immane*] Crudele, & sæuum; non magnum, & late patens.

Selgæ sata culta] Selge vrbs est Pysidiæ Lacedæmoniorum colonia; ad quam castra posuerant Christiani ibi se oblectantes omni genere voluptatum, vt dictum est.

Lalassis] Fluuius est Isauriæ. Plinius. Dominicus Niger; quāquam non flumen, sed oppidum Lalassim facit ille alter.

Mergite culmi] Merges spicarum manipulus. Virgil. *Aut fœtu pecorum, aut Cerealis mergite culmi.*

Iconium] Plures vrbes reperio huius nominis, at nunc de Iconio Lycaoniæ intelligendum est, de qua Strabo, Plinius, alij; *in eam benignè Christiani admissi fuerunt ab oppidanis*, inquit Aemil.

Præru-

Præruptaque Tauri Saxa] Hoc mõte nullus alius lõgior, atque excelsior toto orbe reperitur; cuius descriptionem habes apud Plinium lib. 5. cap. 25.

294 *Lapidosaque corna*] Epitheto hoc fuit vsus etiam Virgilius, ibi, & *prunis lapidosa rubescere corna.* rursus. *Victum infelicem baccas, lapidosaque corna Dant rami.*

Sufficere immanes] Suggerere nobis baccas, corna, herbas, atque alia esui apta.

Ereboque imanantes] Ob profundissimas conualles.

Nam simul illas] Simulac, Horatius. *Simul obligasti Perfidum votis caput; enitescis, Pulchrior multo.* notat Lambinus ad Odam 4. lib. 1. plurimis aduocatis exemplis.

Fundoque exæstuat imo] Ex Virgilio, qui dixerit. *liquefactaque saxa sub auras Cum gemitu glomerat; fundoque exæstuat imo.*

295 *Mandaret vota procellis*] Ventis ea mandari dicuntur, quæ irrita fiunt. consule Dionysium Lãbinum in Commentarijs Horatianis ad Odam 26. lib. 1. Carminum *Musis amicus*, & cætera.

Saltus timeatis Amani] Qui idem est cum Tauro, aut saltem eius pars Ciliciam spectans. Ptolemæus, & Stephanus auctores.

Eiecere suis Parthos è sedibus] De bellis à Romanis aduersus Parthos gestis nil opus est hic plura commemorare, cum longissimæ narrationes extent apud Plutarchum, Appianum, Cornelium Tacitum, Ammianum, Eutropium, & alios rerum Romanarum scriptores, illud non præterierim, quod legitur apud Eutropium lib. 8. Adrianum scilicet finem Romani imperij esse voluisse Euphratem.

Deseruisse duces] Quod olim Romanorũ quidam imperator, cuius nomen mihi excidit, in simili occasione suis militibus indignabundus ipsis timiditatem exprobrans dixisse fertur.

296 *Crispantur leniter vndæ*] Sumptum ex Catullo, vt statim dicam. vtitur verbo hac notione Valerius Flaccus libro 1. *Alma nouo crispans pelagus Titonia Phœbo*: idem fermè vsurpat Claudianus de Raptu Proserpinæ.

Dant sonitum] Quem cachinnum vocat Catullus, ibi, adscribam autem vniuersum locum, quoniam ex eo hic alter expressus est. *Hic qualis flatu placidum mare matutino, Horrificans Zephyrus procliuas incitat vndas, Aurora exoriente vagi sub lumina Solis, Quæ tandem primum clementi flamine pulsæ, Procedunt, leuiterque sonant plangore cachinni; Post* &c.

Dalmaticas rupes] Dixi superius ex Collenucio ad lib. primũ.

Mollibus in pratis] Atque ita quidam res se se habet, summitas

enim

enim Tauri multis in locis amœnissima est.

297 *Angusta viarum Ardua*] Noue dictũ, *ardua angusta*, nisi sit, & *lætos superare angusta viarum*, & *Ardua*, interposita enclitica, ardua viarum, & angusta viarum.

Vertere aciem] Nam se iam ad reditum comparauerant, iterq; ad cultiora Pisidiæ, Phrygiæ, Ciliciæque loca arripuerant, vt dixit superius.

Vno ore salutant] Sic Troiani primum conspecta Italia, *Italiam Italiam socij clamore salutant*.

Dici de nomine Orontis] Tetigi superius hoc eodem libro ad illud, *Et flumen celebri cognomine Orontem*: vidẽdus tamẽ est Strabo lib. 16. vbi rem totam pluribus narrat.

Præsidijs vincta Turcarum] Narrat Archiepiscopus Tyri; Paulus Aemilius, Franciscus de Rosieres, cæteri.

298 *Lexobijque*] Hos cum Britannis cõiungit, propterea quòd sub eodem duce militabant, is erat Robertus Normandiæ Dux Regis Anglorum filius; nam Lexobij sunt inter Celtas proximi Osismis, Nannetibus, Ambiliatibus, Diablintribus, & Aulercis in Prouincia Rotomagensi Ducatu Normandiæ. Marlianus.

Londini] Metropolis hæc est Britanniæ, de qua consule Iouiũ in descriptione illius insulæ, Polydorum Virgilium, Hectorem Boethium, Humfredum Lhuyd, & alios, quos tute probe nosti: quem hic Cononem vocat poeta, non inuenio in historijs, atque annalibus Anglorum: Virgilius meminit Conani cuiusdam Britãniæ citerioris Ducis, qui sine virili prole decessit superstite vna duntaxat filia nomine Constantia, quæ Gaufredo Henrici filio nupserit: Guscellum nominat Archiepiscopus Tyri, ipsumque febre graui correptum decessisse narrat.

Transmittunt] Respexit ad multitudinem hominum, quibus exercitus constat: sic Virgilius. *Pars in frustra secant*, &c; *turbarunt*, verum hæc minutis istis magistellis relinquamus.

Rex Seleucus] Nicator, qui Antiochiã condidit, vt docet Strabo lib. 16. & alij, dixi alicubi superius.

299 *Sed luco appositam Daphnes*] Vlterius (inquit Strabo) sita est Daphne ad stadia quadraginta mediocris habitatio, & lucus ingens, & opacus, fontanis aquis irriguus, in cuius medio est fanum, & Asylum Apollinis, ac Dianæ delubrum in quo Antiochenses finitimi festa celebrare consueuerunt; luci ambitus est stadiorum octoginta; nunc ipsam Antiochiam intelligit poeta, cui Hassanus vnus ex Belferei filijs, vt supra docui, imperabat; alij nominant Cassianum.

Arsacidum

Arsacidum] Factum est certis quibusdam de causis, quas in præsentia, ne longum faciam, minime commemorandas mihi esse censui, vt quarundam gentium reges, ac principes cognomenta ex suo nomine posteris relinquerent; hinc Parthi ab Arsace quopiam Scytha viro forti, ac strenuo omnes deinceps suos reges Arsaces nuncuparunt. adi, si ocium tibi suppetit, Alexandrum ab Alexandris Neapolitanum Genial. dierum lib. 1. cap. 2. vbi plura etiam obseruat Andreas Tiraquellus in suis Annotationibus, quibus titulum fecit Semestria.

300 *Agique, & ferri*] Locutio crebro ab antiquis scriptoribus in hoc negocio vsurpata, itaque exemplis supersedeo.

301 *Et infringens mentes*] Hinc illud Ennij, vt puto. *Tum pauor sapientiam mihi omnem ex animo expectorat*. est simile quippiam alicubi apud Valerium Flaccum.

302 *Connectant prædas*] Virgilius. *Semperque recentes Connectare iuuat prædas, & viuere rapto.*

Tu vero] Vox Alexandri Magni, cum aduersus Darium esset pugnaturus. referunt Plutarchus, Arrianus, & Curtius.

Modo tonsa iuuentæ] Qui tunc primum tonderi ceperat: huic affine est illud Virgilij: *Candidior postquam tondenti barba cadebat.*

303 *Oromedonque ferox*] Rodomontem Gonzagam accipe.

Aptat nequicquam capiti] Latens admonitio futuri euentus, sic Virgilius de Didone loquens, atque alibi non vno in loco.

304 *Ne quis nutuue*] Ex disciplina, atque instituto eorum, qui in singulare certamen prodeunt, hæ siquidem, atque aliæ similes leges certaturis, ac spectatoribus indici solent.

Ductorum ex ordine primi] Qui proprio vocabulo Patrini nuncupantur.

305 *Diuersa e parte*] Contraria, aduersa: vtitur alicubi Iuris consultus in Pandectis: & hic noster libro insequenti.

Consumpsent] Per apheresim pro consumpsissent.

306 *Leuis spoliatus tegmine parmæ*] Ad differentiam scuti, quod grauius erat, adi Manutium de Quæsitis per epistolam.

Letifero celerem cornum] Ex Marone, qđ pertinet ad sententiã.

Educat agricolæ studium] Respexit ad illud Catulli. *Vt flos in septis secretus nascitur hortis Ignotus pecori, nullo contusus aratro, Quem mulcent auræ, firmat Sol, educat imber*. & reliqua.

SCHO-

SCHOLIA
IN LIB. VNDECIMVM
Syriados.

Pagina CCCII.

VASTOS *arcus*] Ingentibus arcubus vtuntur Britanni, veluti eorũ morũ ſcriptores produnt.

Recluduntque enſes] Vagina eripiunt, vt dixit Virgilius: enudant, ſtringunt gladios.

309 *It cælo clamorque virum*] Ex Marone. *It cælo clamorque virum, clangorque tubarum*, vbi Seruius notat dictum eſſe *it cælo* pro *ad cælum*.

Sopitus cecidit] Qui fœderis, & pactorum violator extitit, ſtatim meritas pœnas luit; atque ita ſemper gerit ſe hic noſter, vt quos malis moribus præditos introducit, eoſdem infelici exitu interire faciat.

Pedibus traxere in caſtra reuinctis] Ex Homero; hinc ductum, vt dicamus prouerbiali figura, pedibus aliquem trahere, quod vſurpauit Cicero ad Atticum, & ad Familiares lib. 7. vbi ita legas: *Nam de indicijs quod quereris, multò laborq́ minus, trahantur per me pedibus omnes rei*, non diſputo modò de ſignificatione huius prouerbialis ſententiæ aduerſus parœmiographum, ne lauream in muſtaceis quærere voluiſſe videar, præſertim cum Henricus Stephanus quippiam de hac re locutus ſit ſuis ad Ciceronem Obſeruationibus, ad quas reijciò lectorem.

300 *Caudam fundentis equinam*] Sic etiam reperias apud Maronem. *Aere caput fulgens, criſtaque hirſutus equina*.

Oſſi ſpina ſacro] Ὀσῶ. ἱερ. ea pars eſt in corpore humano, quæ cum ilio iungitur, ſic dicta, quod in ea aliquid ſacri inſit, atque arcani quoniam partus tempore diuinitus aperiatur, eductoque fœtu ſolideſcat miro quodam naturæ opificio: Alij verò, quod partes, quæ huic oſſi adiacent, dijs offerri in ſacrificijs ſolerent,

id quod Menandri teſtimonio confirmant. Plutarchus verò ſcribit apud veteres ἱερὸ grande ſignificaſſe, quod Hemeri teſtimonio probat; ſic & Hippocrates ἱερὰν νόσον comitialem morbum appellauit: & antiqui ſcriptores quicquid ingens, ac præclarum habere volebant, ἱερὸν dixere. vide Ioannem Gorræum in libris Definitionum Medicarum.

Corporis auctu Ingentem] Lucretius ita loquitur, vt cum ait. *Eſſe infinito debebunt corporis auctu.*

Non ſecus] Cõparatio reſpicit ad casũ, nõ ad illud qđ ſtatim anteceſſit, qđ quiſpiã exiſtimaſſet. *pedibuſq; leues diuerberat auras.*

311 *Limoſo in margine Beli*] Vt ratio nominum propriorum hoc loco à poeta vſurpatorum, totiuſque rei, quæ hic narratur, liquidius conſtet, adſcribam Plinij verba; *Fuit oppidum Crocodilon; eſt flumen; memoria vrbium, Dorum, Sycaminon, promontorium Carmelum, & in monte oppidum eodem nomine, quondam Ecbatana dictum iuxta Getta; Iebba ſinus, Pagidi ſiue Belus, vitri fertiles harenas paruo litori miſcens. ipſe à palude Cendeuia à radicibus Carmeli profluit:* hæc ille, ſed plura etiam, quæ mirifice huc conferunt, apud eundem legas lib. 36. cap. 26.

Auſonius iuuenilem] Virgilius ſic. *Nam tibi Tymbre caput Euandrius abſtulit enſi.*

Crediderat Gemmes] Nomen Turcicum.

Verum aliter ſuperis viſum] Virgilius. *Viſum aliter ſuperis.*

312 *Aut ferri ex acie*] Quam nos dicimus acciaio; Græci στόμωμα nuncupant, de cuius confectura loquitur Ariſtoteles. 4. Meteorologic: vide Hieronymum Magiũ Miſcellãneor lib. 2. cap. 8.

Atque vna ſecum Orchanes] Et hoc nomen eſt Turcicum.

313 *Herculea contuſus tempora claua*] Quali nimirum Hercules vti conſueuit.

Perſeide cæſus ab harpe] Dixi ſuperius ad libr. 10. de harpe, vnde ſciri poteſt, cur eam Perſeidem nunc vocet poeta.

314 *Bithyna ſedenim*] Nicæa ſcilicet, vt ſupra vidimus.

Pyramon] Audi Plinium ita loquentem. *Sed redeamus ad oram Syriæ, cui proxima eſt Cilicia: flumen Diaphanes, mons Crocodilus, portæ Amani montis: flumina Andricus, Pinarus, Lycus: ſinus Iſſicus: oppidum Iſſos, inde Alexandria flumen Chlorus, oppidum Aegæ liberum, amnis Pyramus, portæ Ciliciæ, oppida Mallos, Magarſos, & intus Tarſos:* hactenus ille.

Corporeque exiret telum] Eleganter dictum pro vitaret ictum motu corporis, vt hic noſter ſtatim interpretatur. notat, ni fallor, Iuſtus Lipſius in Saturnalibus.

Disijcit in geminas] Narratur huius immanis vulneris à Goffredo illati admirabilis historia ab Archiepiscopo Tyri; nec est hyperbole poetica, vt quidã fortasse existimare possent ducti exemplo nostrorum poetarum, qui de Orlando, Rinaldo, Rodomonte, atq; alijs nescio quibus fictitijs heroibus, quos Carolus Magnus vel nunquam vidit, vel non vidit tales, quales præter omnem fidem à nostris finguntur, paria, atque his longe magis portẽtosa figmẽta sũmo ineruditæ plebeculæ applausu cõmemorãt.

316 *Plus, ehu*] Sic Publius Syrus. *nimirum hoc die Vno plus vixi, mihi quàm viuendum fuit.*

317 *Montesque afflarat anhelis*] Haud aliter Maro ad halitum equorum respiciens. *Et me sæuus equis Oriens afflauit anhelis.*

Candentem indutus amictum] Candidum: Virgilius. *Qualis vbi aut leporem, aut candenti corpore cignum Sustulit.* & reliqua. aliter deinde accipere oportet, quod idem ait. *Turbine fumantem piceo, & candente fauilla.*

Sed opima] Quanquam ea non fuere propriè opima spolia, tñ qm̃ Goscellus Dux erat Normandiæ, & Britannorũ Regis filius, atq; itidẽ Belfercus patre Principe natus, idcirco vsurpatiue spolia opima hic nominantur, q̃ ipse Goscellus de Belferco retulit.

Et rem carmine signat] Verba, & sententia Virgilium auctorem agnoscunt, qui dicat. *Postibus aduersis figo, & rẽ carmine signo.*

318 *Iubet in diuersa quadrigis*] Hoc eodem supplicio fuerat antea affectus Metius Suffetius à Tullo Hostilio Romanorum rege, vt refert T. Liuius, & Dionysius Halicarnassæus.

Nũ quę terræ] Respicit ad historiã Iob, q̃ legit' in sacris libris.

319 *Sine fine fatigans*] Horatius. *prece qua fatigent Virgines sanctæ minus audientem Carmina Vestam.*

Experiare animos] Tentat Christus, tentat Diabolus, ille vt pios in fide confirmet, hic vt eosdem in tartara secum abripiat; dixi poeticum hoc figmentum referre imaginem historiæ Iob, indeque sumptum esse, quod nunc iterum affirmo.

Prætexit fraudem] Discedat Thatinnus cum suis militibus.

Vnde olim responsa suis edebat] Erat enim ibi celebre Apollinis oraculũ, ad qđ omnes Asiaticæ gentes cõfluebant, refert Strabo.

Dubijs ambagibus] Notum est antiquorũ Oracula multis, obscurissimisque ambagibus sua responsa inuoluere consueuisse; qua de re plura à nobis dicentur in libris de Vniuerso diuinationis genere; interim sciri velim ab his ambagibus, dubijsq; respõsis Apollinem fuisse cognominatum Loxiam, veluti Pindari interpres nos admonet, idem quoque scriptum reliquit Phornu-

tus, & Synesius de Somnijs, notat etiam Seruius in Cõmentarijs Virgilianis, non desunt tñ, qui aliunde cognominis huius originationẽ petant, sed nõ est hic locus plura de hac re cõmemorãdi.

320 *Afflictis alimenta dabant*] De penuria, summaque rerũ omniũ egestate, qua in obsidione Antiochiæ Christianus exercitus conflictabatur, videnda sunt quę, præter cæteros, Gulielmus Archiepiscopus Tyri scripta reliquit, nã ea huiusmodi sunt, vt cuncti fateri cogamur ipsum præclaram illam victoriam, omnibusq; seculis memorandam non nisi particulari Dei Opt. Max. nutu, inque suos milites benignitate fuisse consecutum.

Marcentes poterant pelles arcere] Milites enim sub pellibus iacere consueuerunt, ibiq; arma, atque alia instrumenta necessaria secum habere, vnde nomen supellectilis ductum est.

Dirorum à sede nigrantum] Duo epitheta, quorum vnũ in substantiuum cõuerti debet; nam vocantur diri æterno inferorum igni addicti, quemadmodũ Christianos pios nuncupari vidimus.

321 *Thracum ductor*] Thatinnus, qui nullã occasionẽ nõ captabat tã pij negocij disturbandi, veluti ẽt alicubi superius vidimus.

Collum submittat aheno] In duram seruitutem redigatur. Horatius. *Sic visum Veneri, cui placet impares Forma atque animos sub iuga abenea Sæuo mittere cum ioco.*

323 *Dux Senonum*] *Gulielmus cognomẽto Carpentarius* (inquit Aemilius) *& Petrus auctor sacri belli castris clam se surripuerunt, hique ob nobilitatem Vgoni Magno redditi, vt de eis ipse statueret.*

Votique, fideq;] Pro fidei, sicut die, facie, atq; alia huius generis; de quibus consulendus est Gellius lib. 9. cap 14

324 *Congestio e cespite*] Ex suggesto ex glebis aggeratis cumulato, vnde Romanorum duces ad exercitum verba facere consueuerunt: quemadmodum ex pluribus locis diuersorum historicorum sciri potest.

Depellere sede] Vrbe Nicæa, in qua Solymanus regnauit.

Pertentare fidem] Monui superius, & est insigne exemplum historia Iob, de qua iam dictum est.

325 *Nil desperandum*] Ex Horatio. *Nil desperandum Teucro duce, & auspice Teucro.*

E corde parumper] Ita loquit' Ennius, quẽ citat Hirtius, siue Oppius de Bello Hispan. *hic tñ, vt ait Ennius, nostri cessere parũper.*

Ad paucos equites] Qui duo millia nõ excederẽt, vt narrat Aemilius; numerũ peditũ qui tũc superfuerint ad vnguẽ nõ referũt illius belli scriptores, quatenus quidẽ memoria repetere possũ.

Si quicquam veri] Ex impia superstitione illius gentis.

Hh 2 Illi

326 *Illi ego Sidonio*] Purpura Tyria, q̃ p̃ciosissima semper habita fuit. Martialis; *Emit lacernas millibus decẽ Bassus Tyrias coloris optimi.* rursus. *Millibus decem dixti Emptas lacernas munus esse Põpillæ:* plura de purpura notata repias à Lazaro Bayfio de Re vestiaria.

Armorumque adeo strepitus] Quæ res nota est generosi equi: vide apud Xenophontem.

327 *Sector Iberus*] Sectores dicuntur emptres bonorũ proscriptorum, vel qui fisco alios deferunt, vt ex eorum damnatione compendium faciant. Asconius, Valla, Budæus; reliqui, porrò quod sequitur *Diues agris*, est ex Horatio.

Malcus] Quod est nomen Hebræum, ita enim Pontificis seruus vocabatur apud Ioannem Euangelistam cap. 18. cæterũ Hebræi inter Turcas plurimum mercaturæ incumbunt, in Hispania verò multi Hebræi olim habitabant, quos Ferdinandus Aragonius auorum nostrorum memoria toto regno exegit.

Tu vero tantum ob meritum] Imitatio Virgiliana.

328 *Parmam fert læua nigrantem*] Augurium futuræ cædis.

Ad Camiæ] Adi Gulielmũ Archiepm Tyri; & Paulũ Aemiliũ.

Succeduntque alij] Secundæ nimirum excubiæ.

329 *Obscuræ per amica silentia lunæ*] Multus sermo inter grammaticos increbuit de hac pariphrasi apud Maronem; sed consule præter cæteros, Angelum Politianum.

Argentique, ærisque grauis] Non signati, sed in lateres, & massas conflati, si quidem argentum, atque ęs informe in thesauris recondi consueuit: hinc Virgilius. *Auxilioque viæ veteres tellure recludit Thesauros, ignotum argenti pondus, & auri.* de auro atque argento, siue ære signato, facto, & infecto consule Isidorum Origin. lib. 16. cap. 17.

330 *Flagrant laquearia cedro*] Splendorem longe iaculantur, sed erant, qui existimarent scribi debuisse fragrant, qua de re cum Angelium consuluissem, ipse minimo in discrimine eam rem se ponere mihi respõdit, & sanè vir est haud quaquam superstitiosus, huiusmodique grammaticarũ subtilitatũ minime curiosus.

Quis tanta recuset] Dissimulanter hæc, & per quandam irrisionem dicuntur à Boemundo, vt paulo infra patebit.

Sine fraude reclulam] Talis est Sinon ille Virgilianus.

Subrisere duces] Audita promissione Hassani, qui gladium Goffredo, hoc est Herculi clauam eripere se posse sperabat.

Quod amici cupisti] Addit hoc de suo Boemundus, nam nullum verbum apud ipsum fecerat Phormus de suo voto.

Sed grauius, quã ferre queas] Cuiusmodi fuerũt arma Achillis,

quæ

quæ Patroclus induit cũ Hectore pugnaturus: adi Ouid. I Metam.

Vnum se posse reatur] Se solum nullis aliorum principum viribus adiutus.

331 *Bagoas*] Repertum nomen ex antiquitate, nam Bagoas viri nomen fuit, qui veneno Artaxerxem sustulit, ita etiam Eunuchum quendam turpiter ab Alexandro Macedone adamatũ vocatum scimus auctore Suida, valet autem Bagoas lingua Persica spadonem, siue castratum; vnde ait Ouidius. *Quem penes est dominam seruandi cura Bagoæ*.

Canibus lacerandum] Et hoc itidem sumptum est ex Homero, veluti etiam alicubi superius adnotaui.

Omnibus idem animus] Virgilius. *Omnibus idem animus scelerata excedere terra*.

332 *Maturat quæ stella diem*] Lucifer. Catullus de Hespero loquens. *Nocte latent fures, quos idem sæpe reuertens Hespere mutato comprendis nomine eosdem*.

333 *Altasque ruunt*] Eruunt actiuè, Virgilius. *rapiuntque ruuntque*, expressius. *Quid dicam iacto qui semine cominus arua Insequitur, cumulosque ruit male pinguis arenæ*.

Angusto conclusum calle Bagoas] Quod maxime illi cauendum fuerat, cum pugnantium numero præstaret. Sallustius de Bello Iugurthino. *Postquam Rutilium consedisse iam, & animo vacuum accepit, simulque ex Iugurthæ prælio clamorẽ augeri, veritus ne legatum cognita re, laborantibus suis auxilio foret, aciem, quam diffidens virtuti militum artè statuerat, quo hostium itineri officeret, latius porrigit, eoque modo ad Rutilij castra procedit*. sed plura, ac magis propria exempla apud Liuium reperias.

Lexobius] In Gallia Celtica populi ad Oceanum; dixi alicubi superius: cõsule, quẽ iam toties nominaui, Raymũdũ Marlyanũ.

Ambarros] Hos, atque alios populos ad nostri æui nuncupationes reuocare difficillimũ omnino foret. de his suo more meminit Marlianus.

Ancipitis] Vnde viro nomen, ἀμφίβολος enim Græcè, nescio quid ambigui notat, & plura inde deriuata vocabula.

334 *Cambysæ à sanguine cretus*] Qui fuit pater Cyri, de eo plura commemorant Herodotus in primis, & Iustinus: vide etiam Xenophontem in Pædia.

Ceu falce recurua] Respondet comparatio verbo, quo fuerat vsus poeta; *Ense metit*, de quo quippiam dixi superius.

Cilicum populis] Videndus est Archiepiscopus Tyri, & Paulus Aemilius.

Metauro] Flumen est, quod per ditionem Vrbini Ducis excurrit, vulgoque à nostris il Metaro nuncupatur: ab hoc eodem flumine illius ipsius principis ditionem descripsit Petrus Bembus dicens; *E col piè vago discorrendo il piano Parte le verdi piagge il bel Metauro*.

335 *Ad mensam suetu*] Pincernæ munere fungi solitum: erat autem pedagogium illius regis.

Sonitumque grauem] Virgilius. *Corruit in vulnus; sonitum super arma dedere*.

Inimica refugit] Maluissem *recessit*, sed fortasse illo altero maior cedendi, seque in fugam conijciendi festinatio exprimitur.

Dubijsque putant] Opponitur τῷ *dubijs* τὸ *exitium præsens*. illud certum, hoc incertum, ergo sperant se in vndis salutem reperire posse, vitamque nando seruare.

Pugnando amissam] Quam procul dubio amissuri sunt, amissam igitur idest amittendam, vel aliud est salus, aliud vita; ergo ij vitam quidem retinebant, salutem amiserant, alioquin pro eodem sumitur, vnde vox illa militaris *salutem*, & inde aduerbium *saltem*: Gellius.

337 *Obsessa obsedit*] Simile illi Lucretiano. *decepta ne capiatur*: neque non item illud Maronis; *Num capti potuere capi*.

339 *Hic est ille dies*] Ennius Annal. 14. *Nunc est ille dies, cum gloria maxima sese Nobis ostendat si viuimus, siue morimur*. refert Priscianus lib. 12.

Bocca audax animo] Sub huius Boccæ persona latenter commendat poeta Raynerium Boccam iuuenem Pisanum parentibus nobilissimis ortum, quique virtute militari plurimum excelleret, eo ipse quoque familiariter vsus fui, dum vixit.

Plintia] Oppidum in Sicilia, quod vulgo Sciach nominant, vnde originem trahere creditur familia Bocchia.

SCHO-

SCHOLIA
IN LIBRVM XII.
Syriados.

Pagina CCCXLI.

LEVIS *vnda soporis*] Translatitio ab aqua, quæ sésim, ac leniter influit. citat Priscianus ex Varrone. *Deinde vbi pellicuit dulcis leuis vnda soporis.*

Cum corde putantem] Voluentem, reputãtem; Virgil. *Constitit Anchisa satus, & vestigia pressit Multa putans, sortemque animo miseratus iniquam.*

Et nunc occlusa] Nimium ex vero solliciti, cunctaque timentis, ac suspicantis animi mores exprimit.

Restituit rebus] Nolo hic de natura coloris pluribus philosophari, neque enim ostentationis causa huc laborem suscepi, sed vt illi morem gererem, cui nihil, quod in me sit, negare possim: dico igitur hanc esse valde poeticam descriptionem ortus diei, quæ crebro occurrit tum apud Græcos, tum apud Latinos. Virgilius ex aduerso dixit: *vbi cælum condidit vmbra Iuppiter, & rebus nox abstulit atra colorem.*

342 *Quo longe infensos*] Longè depellere, non longè infensos: sic infra: *Et procul audaces Gallos a mænibus arcent.*

Impositoque iugo] Pro imponendo, vel si fuerit impositum.

Quem vana animi] Hæc sententia dignissima est suo auctore: nil tale proferentem Goffredum faceret prudens, atque eruditus poeta.

Rebus in extremis tentandum extrema] Ex Hippocratis sententia in Aphorismis, qui extremis morbis extrema remedia adhibenda esse docet.

343 *Decernere mussant*] Vtitur hoc eodem verbo Virgilius dicens. *cuncti se scire fatentur, Quid fortuna ferat populi, sed dicere mussant.* rursus. *Mussat rex ipse Latinus.*

Persæ expectantur] A Belferco Persarum rege.

Hußanus] Quem Acianum vocat Archiepiscopus Tyri: Cassianum Robertus Monachus.

Cum primum è turre sacerdos] De more Turcarum: consule Ioannem Antonium Menauinum in libris inscriptis Della legge, religione, e vita de Turchi: nec non Commentarios originis eorundem conscriptos materno sermone à Theodoro Spandugino Cantacuscino.

344 *Sceleratam excindere gentem*] Virgil. *sunt & mea contra Fata mihi ferro sceleratam excindere gentem.*

Sic volo, sic iubeo] Tyrannica vox. *Sic volo, sic iubeo, sit pro ratione voluntas.*

Christicolum primis retegit] Primoribus Christianorum, qui in vrbe erant, aperit: hic Benserra vocatur modo nomine familiæ Benzerra, hoc est filius armati, velut Archiepiscopus Tyri interpretatur, ipsi tamen verum nomen fuit Ermiserrus, vt idem scribit lib. 5. cap. 11. hoc ingens factum, plenumq; pietatis erga Christianos nunc Benserræ tribuit hic noster, quod est præter veritatem historiæ.

345 *Sublimi in turre morantem*] Quæ vulgo nuncupatur, Turris duarum sororum, tota hæc historia distinctius narratur à Gulielmo Archiepiscopo Tyri libro nuper indicato: eam inde pete quisquis es huius rei cognoscendæ studiosus.

Ausoniæ ductorem gentis] Boemundum, quo cum Benserra, siue Ermiserrus arctissimam amicitiam contraxerat.

Tu sponsor, & obses] Præter veritatem historiæ; neque enim Benserræ filius ad Boemundum missus fuit, sed quispiam alter, cuius nomen non prodit Archiepiscopus.

346 *At pius Eustachides*] Quocum rem totam communicauerat Boemundus.

Trinacrius heros] Tancredus Boemundi nepos.

Parauerat æquas] Ita dimensas, vt murorũ altitudini rñderét.

347 *Benserra*] Benserræ filius, vt narrat hic noster; sic autem eum modo vocat, aut à nomine patris, aut à nomine familiæ, veluti si quis me Titium appellaret.

Ingreditur primus] Recusantibus alijs tãto discrimini primos se obijcere, itaque Boemundus ipse cũctos antecellit, inque turrim ascendit.

Gallosque omnes] Qui vel iam ingressi fuerant, vel fama cuncta augebat, vt in similibus rebus fieri assolet, quocirca de ea recte fuit dictum à Marone. *Fama malum, quo non aliud velocius vllum,*

-lum; *Mobilitate viget, vireśque acquirit eundo. Parua metu primo, mox se se attollit in auras*, & cætera.

348 *Expetat*] Exigat, ac nescio an ita excribi debeat, meaque culpa factum sit, vt eo modo nunc impressum legatur. Cicero tamen in ea, quæ est de Aruspicum responsis, ita loquitur.

Præfecitque suis] Tarentinis videlicet.

Clypeũque] Hassani regis, siue Aciani, vt eũ vocat Archieps.

Ternis tectus] Aere durissimo, est enim positus numerus pro intensione rei. Horatius. *Illi robur, & æs triplex Circa pectus erat*, Homerus, Virgilius, alij alium numerum in re simili expresserunt; sed de ternario in hanc sententiã multi multa dicunt, quæ pluribus prosequi non est necesse.

At rabie fera corda tumens] Virgilius. *Et rabie fera corda tument.* loquitur de Sybilla; nunc autem dictum est *tumens corda* pro simplici tumet, vel tumida corda habens: tale est Virgilianum illud. *& sibila colla tumentem Deijce*.

350 *Ituræis*] Populi sunt Ituræi Arabibus contermini, nisi si sint ipsi Arabes, quod quidam tradiderunt; eorum meminit Strabo, apud quem tamen Ἰτυραῖοι in nonnullis codicibus impressum visitur.

Quin etiam Hassanum] Archiepiscopus Tyri scribit Aciano caput ab Armenis fuisse amputatum ipsiusmet gladio; hic noster poeticè hanc laudem tribuit Boemundo.

Passim omne natabat Sanguine] Sic fermè Virgilius. *Omnia plenis Rura natant fossis.*

Ginglam spectantis Edessæ] Gingla oppidũ est Comagenes non procul ab Euphrate: Edessa huic vicina, quæ alio nomine Bambyce, & Hierapolis nuncupatur: de Corbagà, siue Corbanæ aduentu consule Archiepiscopum lib. 6. cap. 3. & insequentibus.

351 *Canumque corona*] Quod dixit Lucretius, *canibusque viere*, sic enim procul dubio legi debet, non *ciere*, quomodo peruasit in cunctis manuscriptis, ac formis excussis exemplaribus: est autem *viere* cingere: Sextus Pompeius exponit *viere* pro alligare, vt in illo. *Ibant malaci viere Veneream corollam*: vnde vimina, & vasa viminea, quæ vinciuntur ligata. Nonius etiam *viere* vincire, & inflectere, citatq; illud Varronis de Re rust. lib. 1. *Vt habeas vimina vnde viendo quid facias*. est igitur apud Lucretium, *canibusq; viere*, quod apud Virgilium; *Saltusque indagine cingunt*: atque ita locum illum & legi, & exponi debere autumo.

352 *Senonumque Ducis*] De quo diximus superius: videndus est ad hanc rem Archiepiscopus lib. 4. cap. 21. qui Thatinni fugæ

tantum-

tantummodo meminit, ex principibus Christianis nullum nominatim designat, huius alterius fugæ idem meminit lib. 6. cap. 5. & 10. consule præterea Robertum Monachum lib. 4.

Lumina tot præclara ducum] Vide quæ adnotaui in meis libris Locor. controuers. ad locum Paterculi.

Castraque Persarum] Quod deinde euenit, vt infra dicitur.

333 *Hostisque dolos frustratur, & artes*] Quia parum abfuit, quin Antiochia per fraudem ab hostibus recuperaretur. Archiepiscopus Tyrius de bello Sacro lib. 6. cap. 3.

Ergo iram vt summi] Ex veritate historiæ, quam refert Archiepiscopus lib. 6. cap. 17.

Pacemque exquirere] Virgilius dixit exposcere. *Sed votis, precibusque iubent exposcere pacem.*

354 *Mœstissimus ales*] Tribuit Angelo affectus humanos de more poetarum, quin & sacræ literæ non modo Angelos, verum et Deum ipsum huiuscemodi perturbationibus affinem faciunt.

Et Lax de plebe] Huic Petro nomen fuisse refert Archiepisc.

Testudine templi] Quod beato Petro dicatum fuit: qui vero Petro illi apparuit non Angelus, sed D. Andreas fuisse narratur, atque ita scribit Archiepiscopus.

355 *Roboris auctu*] Eodem modo hanc vocem ad arborem transtulit Lucr. *cædere si quē Ancipiti videas ferro procul arboris auctū.*

Hanc pius Addemarus] Hoc miro silētio ab Archiepiscopo inuoluitur, meminerunt alij huius sacri belli scriptores.

Paucis aduerte docebo] Sic Maro. *nunc qua ratione, quod instat, Confieri possit paucis aduerte docebo.*

Apertum] Vel apertum, postquam perforatum fuit, vel expositum, & quod vulneri pateret.

356 *Deijcis e summa*] Sumptum e Psalmo. *Dimisit potentes de sede, & exaltauit humiles.*

Vidit ab occasu] Alludit ad cometem, quem eo anno visum fuisse in occidentali plaga scribit Mattæus Palmerius in Chronico suo: meminit, ni fallor, Cornelius Gemma de Naturæ diuinis characterismis.

Flammarum erumpere nubem] Ita loquitur Virgilius, ibi. *Interdumque atram prorumpit ad æthera nubem.*

Et cum Addemaro] Raimundum etiam addit Archiepiscopus.

Ast alij fraudem] Vnde periculum deinde facere voluit Petrus ille, cui Angelum apparuisse dictum est, eam rem pluribus narrat Archiepiscopus lib. 7. cap. 18.

357 *Solitis desigite diris*] Anathemate.

Disci-

Discipulos sancta] Ad aram Spiritui Sancto dicatam.

358 *Te patrem æternum*] Sumptum ex sacris nostris precibus, quas crebrò Sacerdotes in templis ad Deum fundunt.

359 *Elicuitque leuem*] Sic enim scriptum reperitur in Euãgelio secundum Ioannem c. 19. *ad Iesum autem cum venissent, vt viderunt eum iam mortuum, non fregerunt eius crura, sed vnus militum lancea latus eius apperuit, & continuo exiuit sanguis, & aqua.*

Multa ille p̃mit vestigia pruna] Pro calcat multã prunã vestigijs.

Passis illum complectitur vlnis] Vnde factum quidam putarunt, vt is paulò post interierit, atque ideo cuncta in malam partem interpretabantur, id Petri vanitati, & mendacio tribuẽtes: nam huiusmodi lanceæ commentum astu Raymundi cõfictum dictitabant, veluti refert Archiepiscopus lib 7. c. 18. apud quẽ videre poteris, nam mihi cuncta persequit nec licet, nec libet.

360 *Vult Deus hoc fieri bellum*] Quæ fuit vox cũctis diuino quasi afflatu olim expressa, cum Summus Pontifex Vrbanus in hoc bellum Christianos animaret, vt vidimus superius.

Tersisque e ponte fugatis] Illic enim præsidium collocarat Corbagus, vt arctius Christianos in vrbem obsideret, ipsisq; facultatem excũdi adimeret; lento.n. bello eosdem cõficere decreuerat.

Pater arduus hastam] Narrat Archiepiscopus lib. 6. cap. 18. quo in loco ordinem aciei Christianorum diligenter exponit: refert etiam Aemilius, Rosieres, cæteri.

361 *Atque Caledonios*] Quos hodie Scotos vocamus ab ingenti sylua eiusdem nominis; sumuntur etiam interdum pro ipsis Britannis, vide Polidorum, & alios.

Præda in presens] Quod publico edicto cautum fuit.

Gradiuntur iniquã] Statim exprimit, cur pugnã iniquã dixerit.

Splendenti ex æthere rores] Ingens hoc miraculum in eo bello euenit, vt postquam Christianorũ exercitus instructus esset, ros e cœlo fluxerit; cunctosq; milites, & equos ita refecerit, vt illico pristinas, longèque maiores vires, & alacritatem sibi quisque reddi, augerique manifesto senserit.

362 *Ductor Achæmenides*] Fuit Achæmenides Artoxersis frater, cuius meminit Herodotus, dicuntur etiam Persæ Achæmenides à tribu quapiam huius nominis, vnde reges Persidæ sunt oriundi, veluti idem prodit in Clione, apud quem diuersis in locis crebra fit mẽtio huius viri, vt ibi videre potes: cæterũ qua ratione suos disposuerit Corbagus, docet Archiepiscopus lib. 6. cap. 20.

Salebrosa per ardua] Ne videlicet ab innumero hostiũ exercitu circumueniretur; dixit autem poeta salebrosa per ardua quo-

modo

modo superius lib. 10. *& latos superare angusta viarum Arduus*.

Monstra maris] Poetice dictum ad rem amplificandam, atque ita loqui interdum poetæ consueuerunt, vt prælij magnitudinē ante oculos lectori statuant, ac sanè prælium illud ingens fuit, ac memorabile, & quo nullum fortasse memorabilius.

363 *Obscuram exciuit nubem*] Alludit ad Dienecis vocem, qui Xersis exercitus multitudinem irridens, ac parui faciens, dixerit Græcos in vmbra pugnaturos, quandoquidem solem præ iaculorum multitudine, & sagittarum non essent visuri, rem narrat Herodotus, & Plutarchus; ipsamq; attingit alicubi Cicero, quāquam in ea referenda memoria lapsus videri possit: veluti nos admonet Petrus Victor. Var. lect. lib. 27. cap. 9. illuc respexit etiam Maro, cum dixit; *& obumbrarit æthera telis*.

Erumpente animā] Vi è corpore exeuntē, & prodire reluctātē.

Pacorum] Nomen Persicum, quod reperias apud scriptores, qui Alexandri Magni res gestas memoriæ prodiderunt.

Rorarius audax] *Milites rorarij dicebantur à rore, qui bellum committebant ante, ideo quod ante rorat, quam pluit*. Varro de lingua latina. Festus sic. *Rorarios milites vocabant, qui leui armatura primi prælium committebant, quod ut ante imbrem fere rorare solet, sic illi ante grauem armaturam, quod prodibāt rorarij dicti*. consule Vegetiū.

Non aliter quam cum] Liquebit expressius comparatio, si Virgilij versus conferantur, quibus is apum inter se prælia describit, res est celebri loco posita in Georgicis.

Corbagus] Hic dux vocabatur Corbagath, siue potius Corbagà, hoc est Imperator, seu Dux Coruus, agà enim Turcicè valet exercitus ductorem, soletq; in cōpositione nomini proprio postponi; hoc me docuit Angelius, qui Turcarum linguam, & mores optime callet; multos enim annos inter ipsos versatus est; Europamq; & maiorem partem Asiæ perlustrauit, cum Polinus Henrici Gallorum Regis nomine apud Turcarum Imperatorem legati munere fungeretur, in huius Polini comitatu Angelius noster diutius fuit, secretariumque, vt nunc loquimur, egit.

364 *Circumuentam aciem*] Boemundi aciem à Solimano à tergo petitam, ac circumuentam.

Vestis quibus alba tegebat] Non confugit ad machinam poeta, sed historiam narrat, veluti tunc credita fuit, & à Roberto Monacho, ni fallor, literarum monumentis consignata.

Cernere monstra dedit] Qui inter Christianos vnus miraculum illud aspexit; Turcæ porrò omnes putabant se ab illis, tanquam à militibus pelli, fugarique.

Direptisque opibus] De ingenti pręda, quam milites Christiani fuso, fugatoque exercitu Persarum in ipsorum castris repererunt; plura Archiepiscopus, Aemilius, alij.

366 *Ad puluinaria*] Repetitum ex antiquitate Romanorum: etenim Dij singuli sua puluinaria habebant, quibus imponebãtur; ad hęc puluinaria rebus prosperè gestis adibant veteres, ibiq; supplicationes decernebant, diesq; festos celebrabant, quos ritus irridet Arnobius his verbis. *Lectisternium Cereris erit idibus proximis; habent enim Dij lectos, atq;, vt stratis possint mollioribus incubare, puluinorum tollitur, atque excitatur impressio.* de eis mentio extat apud Ciceronem. Catil. 3. Horatius sic. *nunc Saliaribus Ornare puluinar Deorum Tempus erat dapibus sodales.* plura de hac re cõmemorare possem, quibus nunc volens, libensq; supersedeo illis reiectis in meos libros de Ritibus sacrorum ethnicorum, qui propediem, vt spero in solem prodibunt.

Diemque frangere] Horatius. *Cum quo morantem sæpe diem mero Fregi*: quod alibi variauit dicens. *Nec partem solido demere de die*: quod quid sit, pluribus vtrobiq; docet Dionysius Lambinus.

367 *Occubuit pater Addemarus*] Archieps lib. 7. c. 1. Aemil. reliqui.

Visum aliter] Virgilius. *Visum aliter superis.*

Henrico accensis] Et huius ét meminit ibidem Archieps Tyrius.

Et pugnas animo reminiscitur acres] Sic etiam Virgilius. *cælumq; Aspicit, & dulces moriens reminiscitur Argos.*

Conquestus quod non hostili] In pari causa conqueritur Aeneas apud Virgilium dicens. *O Danaum fortissime gentis Tydide, me ne Iliacis occũbere cãpis Non potuisse, tuaq; animã hãc effundere dextra.*

Magnamq, bonamq;] Horatius. *At bona pars hominum decepta cupidine falso Nil satis est, inquit.*

368 *Non has tibi clades*] Traijcit valde pio consilio ad religioné, quod in varias naturales causas alij conferebant, de quibus causis loquitur Archieps. lib. 7. c. j. vide insup apud Paulũ Aemiliũ lib. 4.

Inceptum contendere iter] Milites importunis conuicijs à ducibus contendebant iter suscipi Hierosolymã versus, at duces post lõgas disputationes statuerunt rẽ in proximũ autumnũ esse differendã.

Radijs afflata diei] Ex Virgilio. *Nosq; vbi primus equis oriens afflauit anhelis.* rursus: *Et me sæuus equis oriens afflauit anhelis.*

369 *Languida vbi recreent*] Quod deinde consiliũ ceptũ fuit, sicut est apud Archiepm: secus narrat Robert. Monach. ad calcẽ lib. 7.

Riguis sedeamus in hortis] Qui irrigatione opus habẽt, quanquã dicat Horat. *irriguo nihil est elutius horto.* de verbo *sedere* tetigi superius, & est ex Virgilio. *Immunisque sedens aliena ad pabula fucus*: & dixit *hortis*, nõ agris, vt militibus deliciosã vitã magis exprobaret.

Quo

Quo nullus fluit in terris] Propterea quod in eo Christi humanitas baptismatis aqua lustrata est à Ioannebaptista.

Hoc cælum] Foris assumendum est epithetum *insalubre* per subauditum intellectum propter illud, *cælo mutare salubri*.

Omnibus idem ardor ducibus] Rei veritas aliter se habet, sicuti docet Archieps, & Aemilius, sed poeta moras omnes abscidit ex vsu poematis, neq; actio principalis fuit interrumpenda aliquot mensium interpositione, quæ susceptum negocium nihil penitus adiuuasset; cæterum complexio hæc verborum desumpta est ex Virgilio dicente: *Omnibus idem animus scelerata excedere terra*.

370 *Aradi prædiuitis agri*] Ciuitas in Phoenicia non procul à Tyro, & Sinode, est etiam altera in Pieria nomine Antiochia. Strabo, Plinius, Ptolemæus, Stephanus: est Arad ciuitas Amorrhæorum. D. Hierony. vide ré fusius pscriptã apud Rob. Mon. ad calcé lib. 7.

Perque imos Casii scopulos] Syriæ montem accipe, non qué Ptolemæus in Mesopotamia collocat. vide Straboné, Pliniú, & Suidã.

Ingressis fines Galilææ] Velim cõsuli, nisi quid obstet, Ioachimũ Vadianum in Epitome trium terræ partium, nam mihi non vacat, & fortasse non est necesse cuncta hic singillatim persequi, id quod sæpe etiam superius testatus sum.

Interea Pharius] Aegyptius: incertum autem est, quis tunc temporis Hierosolymis imperaret, quoque nomine is vocaretur: quocirca liberum fuit hic nostro de suo nomé fingere; id porrò ab antiquo Aegyptiorum rege mutuatus est, cuius meminit Plutarchus in vita Demetrij, & in Commentario de Vitioso pudore, Diodorus, & alij; ac quanquam vetus ille Bocchoris iustissimus hominũ haberetur, hic tamen alijs moribus præditus fingitur.

Miscueratque herbas puteis] Idest succos herbarum venenatarú, ἐνδιάδυς, sic loquitur Maro *pateris libamus, & auro*: cæterum factum narrat Archiepiscopus lib. 8. cap. 4. Aemilius, alij.

371 *Quod Siculum ductor*] Tancredus; de re consule Aemiliú, & Archiepm lib. 7. c. 25. qui ipsã paulo aliter. q̃ hic nr̃ faciat, exponit.

Mœnibus egressos] Vt Gastum Viterbiẽsem inuaderent, qui vnà cum triginta equitibus infestus, ac prædabundus vsque ad Hierosolymæ mœnia excurrerat.

Apim] Ducto nomine ab antiquo illo Api rege Aegyptiorú, cuius crebra mentio apud Herodotum, Strabonem, Diodorum, Plutarchum, Plinium, & alios tum Græcos, tum Latinos scriptores.

Non si pleni] Immaginem refert sentẽtiæ cuiusdam Homericę, ac Virgilianæ, de qua alicubi superius ad alium huic consimilem, ac propè parem locum mentionem feci. Statius sic. *Non ego centena si quis mea pectora laxet Voce deus, tot busta simul vulgique ducunque*,

Atque; Tot pariter gemitus dignis conatibus æquem:

372 *Quos contra Pharius ductor*] Hunc Aegypti Principem vocat Archiepiscopus, nam, vt dixi, eius proprium nomen ignoratur, hic igitur se ad obsidionem sustinendam comparauerat, sicuti docet idem auctor lib. 7. cap. 23.

373 *Quam Ligur Ebriacus*] Gulielmus Ebriacus Ianuensium classis præfectus. Archiepiscopus lib. 8. cap. 10. Aemilius, alij: cæterū quanquam expugnatio illa celerrime ad finem perducta fuerit, hic tamen lōge maiori breuitate exponi videtur: sed voluit poeta miraculum augere, Deiq; auxilium nostris allatū manifestius ostendere; præterquam quod maior difficultas totius illius negocij versata fuit in expugnatione Nicææ, & Antiochiæ, inque delendo ad internecionem Corbanæ exercitu. reliqua præ illis parui omnino constiterunt; neque eorum narratione poemia ornatius extitisset.

374 *Et insiliens murum*] Hæc enim laus Goffredo conceditur ab Archiepiscopo; sed Robertus Monachus Lutoldo cuidam Goffredi militi eam tribuit; post quem Vuicherum illum, qui leonem solus prostrauerat, quique plures hostes vno ictu medios dissecauerat, in vrbem irrupisse scribit.

Atque vbi ventum] *Ad templum Solomonis (inquit Aemilius) eorum proceres refugere, vbi paulisper prælium recrudescens tenuit, ab Aegyptiorum nullo temperatum.*

375 *Tancredus sedenim*] Qui in aliorum gratiam laudem hāc Rinaldo nescio cui tribuerunt, à veritate historiæ longissime dicesserunt, suumq; potentioribus viris blandiendi studiū nimis aperte detexerunt, nam veritas habet, Tancredum templi fores perrupisse, inq; illud primum fuisse ingressum. Archiepiscopus: de Rinaldo nulla prorsus mentio, cui propterea tām nobile factū non fuit ascribendum, meritaque laude illum alterum defraudandum; res ferri posset, si viri nomen, illiusq; facinoris auctor in obscuro lateret; nunc cum de eo haud dubie constet; quid dicent eruditi alioquin homines, qui huic poemati detrahunt, illud alterum in cœlum ferunt: quod & ego quidē libenter facio, atq; aliorū laudi volens, & ex animo faueo; sed hoc Angelij poema multis de causis ei esse anteponendum censeo.

Atque hic exhausti] Imitatur aliquo pacto Ouidium, qui in fine Metamor. dixerit, *Iamque opus exegi, quod nec Iouis ira, nec ignes, Nec poterit ferrum, nec edax abolere vetustas:* & reliqua; sic et legas apud Horatiū. *Exegi monimentum ære Perennius.* neq; his absimile est, qđ ait Statius in fine Thebaidos: nota verò modestiā huius nostri, qui non fastus inanis causa suo poemati perpetuitatem precatur, sed vt eo Christiani homines incitentur ad aliquid auden-

dum

dum contra communes hoſtes; is enim, veluti alter Petrus Eremita, contumelias Turcarum in Chriſtianos homines & vidit, & ſæpe mecum de eiſdem conqueſtus eſt; nunc hoc poemate Principibus noſtris calcar quaſi quoddam ſubdere conatur, quo tandem aliquando incitati contra teterrimum hoſtem arma ſumant, Chriſtique imperium longè, latèque propagent.

F I N I S.

Erratorum quorundam Correctio.

	Errata	Corr.
407	*partæ. ſalutis 1572*	*lege 1571*
409	*nõ mihi nunc vacat*	*lege non vacat*
443	*Arriani peplũ*	*lege Periplum*
435	*de Typographia*	*lege Topographia*
437	*in Typographia*	*lege Topographia*
444	*de qua ſtrabo et Euſtachius*	*lege ſtrabonem & Euſtathium*
449	*parcunt admodum*	*dele illud admodum*
453	*Tyſcerni*	*lege Tyſerni*
	Robereus	*lege Roboreus*
	Vrbinatiuum	*lege Vrbinatium*
454	*apud ſagam*	*lege ſagram*
455	*Campanni*	*lege Campani*
456	*veluti ex quo*	*lege equo*
457	*ſe ſungete*	*lege ſingere*
	Aeduus	*lege Aeduis*
	Geneenſe	*lege Geneuenſes*
464	*Cræſi regna fuerunt in Lydia.*	*lege regia fuerunt ſardes in Lydia.*
474	*puris maris*	*lege puri*
491	*cuncta perſequit*	*lege perſequi*

R E G E S T V M.

* ** *** A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z.
A a B b C c D d E e F f G g H h.

Omnes ſunt Quaterniones, præter * ** *** & B b qui ſunt Duerniones.

F L O R E N T I Æ,
Apud Philippum Iunctam. MDXCI.
Cum Licentia, & Priuilegio.